



**Antonij Democharis Ressoniei Pernecessarium in octo libros
Topicorum Aristotelis Hypomnema, : quo tota disserendi uis in
omne problema ingeniose demonstratur : cum recta contextus
distinctione, ad phrasim Graecam bona fide innumeris
sordibus repurgati.**

<https://hdl.handle.net/1874/455447>

BUCHHEL



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

W. qu.

67





137
C.





67

Litterae Graecae

Quarto n°. 67.



N 123. B.

Supp
n m
oum
quor
u C
ad cy
q m
nary
Hd m
v y b
le m
om
am
a
oub
m
r
ju
suab
son
sty
m
oq
d
p
m
m
m
m
m
m

ANTO-
NII DEMOCHARIS

RESSONEI PERNECESSARIUM
in octo libros Topicorum Aristotelis Hypo-
mnema, quo tota differendi vis in omne pro-
blema ingeniose demonstratur: cum recta
contextus distinctione, ad phrasim Græcam
bona fide innumeris sordibus repurgati.

Ex dono Brunolii



PARISIIS.

Ex officina simonis Colinei.

I 5 3 4



ANTONII DEMOCHARIS AD GVILIELMVM
Hamelii Ambianensis ecclesie præfectum, sanguine & mori-
bus nobilem, Epigramma.

Musa locos suaues depinxit nostra, decenti
Quos tradit numero magnus Aristoteles.
Illa Mineruali pertinexit membra liquore,
Infuditq; sacrum mentibus ingenium.
Huic igitur faueas uirtutis fautor honestæ,
Hamelie gentis gloria, laus, & honor.
Tollere iam cristas author captiuus atroci
Stamine, uel promptos poscit habere pedes.
Te precor excipias perblando pectore, munus
Ingenij primum cui dare, cura fuit.

EIVSDEM AD PETRVM BILLOREVM CA-
nonicum Nouiomensem professore iuris pontificij studiosum.

India donat ebur, tribuunt sua thura Sabæi:
Conferimus mentis pignora chara tibi.
Aurifluas defert Tagus, & Pactolus arenas:
Auratas mittit noster agellus opes.
Collustrat radijs mundi pia corpora Phœbus:
Accendit mentes, quod tibi damus, opus.
Hippolytum ualuit tenebris reuocare Diana:
Hoc claris poterit pellere tetra locis.
Munere fungetur demum, si nomen ab hoste
Eripias diro, fortia regna tenens.

REVERENDISSIMO IN
CHRISTO PATRI AC D. DOMINO CARO-
lo Villerio Episcopo Bellouaco, patricio Franciæ, &
priuilegiorum almæ Vniuersitatis Parisiensis con-
seruatori, Antonius Demochares S. D.



Lurimū me inuitauit ad posteris pro-
pagandam ingenii memoriam, gra-
uissima illa Sallustii parænesis pror-
sus delphica, Præsul sanctissime: qui,
vt illi perpetuum est, rotundo verbo-
rum agmine elegantiuscule assurgēs,
inquit: Is demum mihi viuere atq; frui anima videtur, qui
aliquo negotio intentus præclari facinoris aut artis bonæ
famam quærit. Cui Vergilius maximus gentis togatæ Ho-
merus astipulatur, dum in hæc verba prorumpit: Breue &
irreuocabile tempus Omnibus est vitæ: sed famā extende-
re factis, Hoc virtutis opus. Verū quum nullis auspiciis
nullóq; molimine totius vitæ seriem atq; filum extēdi pos-
se commodius intelligam, quàm honesto ingenii cultu &
mentis artificio: cuius splendor vt perennis est, ita & im-
mortalitatis beneficium conciliat, noménque dentibus æui
eripit: anxie mecum ipse considerauit, cuius rei honestioris
studio me totum deuouerem. Demum in mentem venerunt
libri octo Topicorum Aristotelis, qui antiquum perdebant
vigorem, prisco imminuebātur candore, ruinam minaban-
tur, ob peregrinos quorundam incurfus: eos demq; vt abie-

Etissima quæq; non pauci professores valere sinebant, ipsa
 forsan difficultate perterriti. Nam vnus tantū in manibus
 habetur apud nos, qui splendorē quibusdā breuibus scholiis
 afferre his libris tētarit. Proinde tam insigni beneficio tan
 to priuari tempore studiosam iuuentutē perferre, neq; pul
 chrū, neq; æquum duxi. ast indefessis laboribus non tantū
 illustrare, sed & infinitos propemodū locos aperire sum co
 natus viriliter: quorum vtilitas mortalibus hætenus deli
 tuerat. è quibus thesaurus rationum abunde hauriri possit,
 tāta luce, vt nemo sit tam mente cæcus, qui non permani
 feste intelligat. Adieci simul, ad copiosiore negotii vsū,
 singulorum nomina in quoduis thema propositū: quæ faci
 le cōmendare poterit memoriæ quiuis adhuc artis dialecti
 ces neoptolemus. Neq; his contentus, omnium numeros &
 vsū tam pulchre digessi, vt haud arbitrer aliquē, vel me
 diocriter eruditum, qui non possit intra paucos dies in rem
 quāuis probabiliter disserere. Contextum in super innume
 ris vindicaui erroribus, non sine exacta voluminum reuo
 lutione, quæ extare crederentur, tum Græcorum omnium,
 tum Latinorū: ne studiosus lector amplius aliquo offende
 retur. Deniq; eam in singulis adhibui industriā, quæ vnū
 quenq; recto tramite per omnes rhetorum, pōetarū, histo
 riographorū, & philosophorū patentes campos libere per
 ducere valeat: vt tandem ad eam metam perueniat, quam
 Arist. in ipso vestibulo eloquitur, ad hunc modū: Proposi
 tum autē huius negotii est, inuenire methodū per quā po

terimus differere, de quouis problemate: & ipsi sustinentes positionē, nihil dicemus repugnans. Magna hinc profecto horū librorū deprehenditur vtilitas: vel ob id, q̄ vis differendi tota his ipsis continetur, eisdē cæteræ firmantur disciplina: tum demū eisdem quicquid est artis & eruditionis, suū nomen retinet. Idcirco dum contendo omniū, quos Aristoteles posteris in sui memoriam reliquit, hos esse bono iure vtilissimos, quoniā annuntiant cuiusuis rationē: in his felicia adolescentū ingenia exerceri, nō autē nugis, sophismatibus, & prodigiosis quibusdā mōstris irretiri, summe optauerim. Perpulchre itaq̄ mecū agetur, si nostro huic hypomnemati nascenti & inculto genium animamq̄ dare minime dedigneris, vt cuncti literarū affectæ agnoscat, se tibi deuinciri, tibi q̄ vni gratiam omnem referendam esse: q̄ id tuæ Celsitudini paratum sit. Multū autem in tuo nomine & gratia positum est, vt in manus Parisinæ iuuentutis quàm gratissimum veniat: qui vnicus sis, quem velut numen quoddā omnis studiosorum chorus amat ac reueretur: quem solum omnis ordo theologorū grauissimus, quem vnusquisq̄ iuris canonici princeps, quem cuncti medicinæ professores, quem singuli præclaræ artiū facultatis doctores, rector, quatuor nationū procuratores, & (vt semel finiam) tota studiosorū pbalanx absentem, instinctu magis diuino, q̄ humana prudentia, exercitus palladii regem consecrauit, priuilegiorum conseruatorem denuntiauit, & primum parentem constituit. quòd candidissimam illam tui

EPISTOLA NVNCVPATORIA.

Studii integritatem, & integerrimum tuæ probitatis can-
 dorem ab incunte ætate probe cognouisset. Par enim erat,
 vt quæ cæteris præficiebat, etiã virtutibus eũdem antecel-
 lere iudicasset: ad amussim Pauli assertoris diuinæ lectio-
 nis fidelissimi legem obseruans: qua ad Timotheũ scribens,
 Veri Episcopi simulacrũ depingit. Nam te maximè innocẽ-
 tẽ offendit, & omni vitiorũ contagione vacare, pudicum,
 sobrium, vigilantem, comẽ & benignum, alienum ab omni
 leuitate, & morum ineptia, beneficum & hospitem, ad
 docendum promptum, non vinolentum, non percussorem,
 non litigiosum, nõ cupidũ, tuis bene præpositum, neq; neo-
 phytum, demũ quæcunq; in deligendo Episcopo desideran-
 tur, in te vnum conuenisse & iuuenes & senes vno ore de-
 clamauerunt. Quocirca congruum esse videtur maximè, vt
 tuis auspiciis felicibus meliores efflorescant literæ, & ad
 cæteros transmittantur. Nempe nullius imperio iuuenescẽt
 disciplinæ, virescent, & incrementum accipient, quàm eius
 qui vindex sit constitutus & patronus. Non enim diffido,
 Præsul sanctissime, si serena fronte, quod tuæ dignitati
 consecrauimus, hypomnema susceperis, quin Parisienses ho-
 nestissimam differendi rationem consequantur. Itaq; tuo
 suffulta grauissimo patrocinio, hæc prima nostri ingenio-
 li fœtura ipsis promulgabitur, vt tibi referant acceptum.
 Vale Academiæ Lutetianæ parens & vindex, ex Gymna-
 sio Burgundiano. X I I I Calendas Ianuarias, Anno
 à partu Virgineo I 534.



Vām uirile fuerit famæ imperium, uel eo maxime sensî
 candide lector, q̄ eius nutui nec uolui, nec debui, nec po-
 tui reclamare. Etenim cum paucis ab hinc diebus anno-
 tationes aliquas calamo excipiendas in aliquot Topicorū
 Aristotelis libros discipulis tradidissem, quos solidiore illo
 philoſophiæ cibo educandos Claudius Roilletius uernantiſſimi Burgū-
 dionum gymnasij primas prudentiſſimus mihi crediderat, nescio quis
 genius in omniū aures sufflauerit, me, ne dicam tantū cōmentarios cō-
 poſuiſſe, ſed etiam typographis excudendos tradidiſſe. Nimirum testi-
 moniū huius rei feret locupletisſimū chalcographus: à quo prius re-
 quirebantur uenales, q̄ à me accepiſſet. Teſtes erunt & illi infeſtiſſi-
 mi omnis literaturæ hoſtes, & continui totius purioris diſciplinæ oſo-
 res: quibus tantūm nugæ, deliria, & planè dicā, caſtra Hiſpanica arri-
 dent. qui numq̄ in meliores traditiones deſinūt conſpirare, ſed uiden-
 tur omnino ſe dijs Manibus deuouiſſe, ut, ſi poſſint, omne repurgatiuſ
 diſciplinæ genus, quod inuiſum habent (fortaſſe ob id, quòd non illud
 didicerūt) funditus demoliantur. Huius factioſæ multitudinis non de-
 fuiſſe aliquos accepi, qui priuſquā prælis dare quippiam decreuiſſem,
 in me obſtrepebāt: & ut ſuis uociferabantur ampulloſius, in me ſtrin-
 xerant reprehensionis calamū. quorum ſane manifeſta tū leuitas, tum
 maleuolētia proditur, cū damnēt nondū cognita, neq; lecta. Nōne pluſq̄
 ſycophanticū eſt, damnare, & diris linguæ morſibus dilacerare, quòd
 nondum legeris, neq; perſpexeris? His itaq; omnibus uehemēter permo-
 tus, uiros tum literaturæ, tū prudētia principis conſului: qui uia quā
 ingrederer porrecto quaſi indice præmonſtrarēt. in quibus fuit matu-
 ræ eruditionis anteſignanus Ioannes Arboreus, uir nullius diſciplinæ
 expers: cuius cenſurā & iudicium accerſui, ne quid temere mouerem
 in re admodum perplexa. nam mirū q̄ mordicus teneā præcipit illum
 Marcelli calorē euertisſe rēpub. Rom. quā prudens Fabij cūctatio re-
 ſtituit. Is itaq; huc me impulit, ut annotationibus quas habebam in tres
 primos libros, iuuarem ſtudioſos, qui eas tantopere affectarēt: & futu-
 ros aiebat multo plures, qui hūc conatū probarēt, q̄ dānarent. in cuius
 ſententiā toto animo deſcendi. Nam pluſ ſarcinā q̄ imponebatur, ſpō-
 te ſuſcepi, ut aliquo obſequio ſtudioſam iuuentutem demererer: demū
 ut ſtylū exercerē ingeniūmq; excolerē. Ad opus itaq; architectos cōdu-
 xi, quos potui, q̄ plurimū inſignes, & græcos & latinos: ubi interdum
 uiribus diffiderem proprijs. quorū uigilijs & industria adiutus, qua-
 lecūq; hoc opus fuerit, erexi. tū maxime Alexādri, quem ſemper habui

paratū, ubi difficultatis locus sese offerebat. Nōnunq̄ Faber Stapulēsis manū porrexit, & quasi uacillantem firmavit. Postremo, ut purgatio contextus prodiret, adfuit traductio quæ Boetij circūfertur, tum quæ Argyropyli, tū quæ Fabri, atq; antiqua: quas cum græcis exēplaribus quatuor contuli. Ita demū factum est, ut ausim dicere, Aristotele nunq̄ hoc uno ad manus hominū nitidiorē peruenisse. Vnū tamen dissimulare nō possum, quōd minime ausus sum semper acriter omnia expungere uel immutare, quæ cōtextui græco haud quadrarēt: sed tantū in cōmentario diuersitatē testimonio græcorū codicū admonui. Cæterū ut inanē hunc laborē cauillabuntur misicali quidam: q̄ is alienis comprobetur suffragijs, uel eūdem cū plerisq; sequar trāmitē. Quibus respōdeo, nō esse id inane, quōd magnā cōmoditatem suggerit. V. sus sum frequēter Alexandri opera, fateor: eadem, si plura uelis, rota contriui semitā. Ingenuū est profecto pudoris, fateri à quo profeceris. Sed quē ex antiquis pferes, qui paucioribus fuerit adiutus, & qui nō plerosq; diuersorū etiam tēporū sequutus sit interpretes? Nam, ut ad antiquiores me conuertā, in Arist. Alexandri nostri Aphrodisiæ cōmentarios Themistius, Porphyrius, Syrianus non aspernatus est. cuius nō tātum sententiā, sed & uerba plerūq; referūt. Quos tādē Philiponus, Ammonius, Simplicius, Psellus, & alij multi obscurioris nominis utrisq; quod aiunt, ulnis amplexati sunt. Tantum abest, ut Quintilianus damnet hoc institutū, ut etiā præcipiat cū Macrobio apes nobis imitandas esse: quæ diutius uolitat & uagātur per aerem, ut flores carpāt: hinc quicquid attulerint, in alueū reponūt. Nō est igitur nouū neq; improū sum, aliena in propriū usum opportuna deriuatione conuertere: quod omnibus sæculis prorogatū est. quod pluribus argumentis Franciscus Syluius corroborat defensiōe illa Macrobij in eū furti accusātes. Quo circa spero me faciliore consequuturū ueniā, si Alexādri utar interdū sententiā, interdū exēplo: quū antiquis omnibus, ut omittā nostræ tēpestatis professores, cōcessa fuerit plausibilis hæc uenia: qui minus aliena fide, ob probatā multiplici eruditione auctoritatem indigerēt. Ab eiusmodi igitur obtrectatoribus candidè lector me liberes, in cuius gratiā & cōmoditatē hūc, quem uides, laboris testē educi studiose procurauim. Scio enim nō defuturos, qui hūc reprehendāt. at si eorū nullus meliora proferat, me nō prorsus oleum perdidisse, res ipsa testabitur. quōd si proferat, debetur mihi gratia, quōd alios meo exēplo iacentes excitauro, & eisdem præmuni uero uiam facilem omnibus, quæ semper fuerat se pibus asperis inaccessa.

Vale.

I
ANTONII DEMOCHARIS

RESSONEI IN PRIMVM LIBRVM
TOPICORVM ARISTOTE-
LIS, HYPOMNEMA.

PROOEMIUM.



Lngredientibus fertilem dialectices campū, non alienum sanè fuerit, in ipso statim limine audis omnium oculis uberrimā eiusdem frugem proponere: qua huius studiosi nō languide allecti, maiore studio & diligentia alacriore ad illum inuitentur, inuitati dignè incolant, cultum tanto tempore conseruēt, ut ab eo fructus germanā & maturam suauitatē referentes, abunde suscipiant. nec non intelligant hunc campū constitum haudquaquā uepribus esse asperis, dumetis crassantibus, neq; lolio & Xizania disseminatum acribus & austeris, nec demiq; saporibus quorundam peregrinis, stupidis & nullius palato sani arridentibus inspersum: qui ppe qui nō occupetur tendiculis inanibus, & in perniciem ingenuorum adolescentum ad bonas disciplinas mentem attollentiū excogitatis: uerū legitima facie fructus transmittat suauissimos: quos omni melle dulciores sentiet, qui gustauerit: nec non ipsa fertilitate fecundiores perspiciet. Tanto siquidem latior dialectices expanditur campus, quanto commune particulari maius enuntiatur. Maxime itaque copiosos colligent ex eo fructus, qui paratos habuerint animos, & quandā nati fuerint solertiam ad differendum de re qualibet. ad hos nimirum percipiendos facili accessu deducit inuentionis methodus, & recta locorum perceptio. in cuius proba assequutione diligens negligentia impendatur fuerit per opportunum, ut ea directi, tutissimè per uaria & incredibilia rerum genera, & demum pro uoto admodum fructibus amoenis satiati, per omnes totius philosophiæ patentissimos complexus euagari sanè, & expatiari ualerent. Nempe sine dialectices stabili præsidio nullæ definitiones se tueri poterunt, neq; diuisiones proprium nomen retinebūt, neque demonstrationes natium scientiæ lumen, & splendorem diuinum fouebunt. Neque profecto quicquid est artis consistere dignoscitur, quod non defendat dialectice. quare mu-

Dialectice
communis
omnibus.

Quib⁹ com
paretur.

rū philosophiæ fortissimum quidam philosophorum nō immerito uocarunt, alij sepē ab incōmodis philosophiā defendentem, pleriq; uerō oui testam, quod ambiret cæteras philosophiæ partes. Neq; tam præclaros dialecticos fructus amputat stoici (quorū Zeno omnium princeps & inter antiquos acerrimus disputator) qui eam transferūt ad bene dicendi disciplinā. uolūt enim eosdem & philosophos & dialecticos dici. Vnde propriū munus philosophi & perfectionē, bene dicendi rationē esse circūferūt & disciplinam. Academici insuper eosdem fructus neq; tollūt, neq; offendūt. qui dialecticē methodo diuisua cōcluserūt: quæ posset unū in multa spargere, & multa in unū cogere: ut genus in formas, & formas in genus. Platonis siquidem tempestate nondum traditam cōprehensionē artibus & præceptis decurrentē fidei Aristotelis testimonio tenacissimē adhæretes profiteri audeāt ingenuē docti. Scribit nimirū octauo Topicorū, nihil traditū esse ab alijs quæ pertinerent ad positionem seruandā respōdentis. Verum & in fine libri qui τῆς σοφίας ἐν ὧν ἐλέγχων inscribitur sub hāc uerborum imaginē prodidit: De rhetoricis erāt multa & antiqua dicta: de syllogismis autē omnino nihil habuimus prius quicquam quod diceremus, q̄ mora perquirentes multo tempore in sudauerimus. Idem facile exploratū habebit, qui uel mediocriter Platonis lectionē degustauerit: cuius disputatio & diligēs ueri indagatio diuisione, inductione, enthymemate prorogatur. Quare iure optimo fatetur Aristoteles, se præministrasse inueniendi quandam facultatem ratiocinatiuam de proposito per probabilia, & positionem consimili modo sustinendi. Nam dialectici officium est interrogare & respondere. Socrates in Platone paratus est semper ad interrogationes: at se respondere non consueuisse nec posse ingenuē Protagoræ fatetur, quare cunctos me Hercule in sui amorem studiosos beneficij accepti non immemores inflammare debet Aristoteles: qui unicus peripateticæ disciplinæ parens sit tum copiosus, tum nobilis: qui à se prognatam dialecticē aded coluit, ut ad uirilem perduceret ætatem: cuius naturam faceret methodum syllogisticam, per probabilia de omni proposito: quam constitutæ ætatis stabilibus præceptorum monumentis firmauit, pulcherrimis argumentorum formis illustrauit. Neque enim satis sibi putauit in omnium usum & gratiam adinuenisse, nisi sedulo contendisset illam ornamentis omnibus absolutam producere, & adornare. qua præditi boni iuuenes, uiri & senes citra negotium differere possent. Magna mediūffidius tantū uiri in iuuantis artibus monstratur diligentia, sagacitas incredibili-

Quid dialecticæ ex Zene.

Ex Platone

Syllogistica ratio Platonis quæ incognita.

Aristoteles differendi methodi author. Munus dialectici.

Dialecticæ absolutam reddidit Aristoteles.

lis in rebus inueniēdis, grauitas in iudicādis firmissima: qui ualuit inuentam à se dialecticē efferre, eidem incrementa addere perfectissima. quod ferme nulli alteri uel admodum paucis contigisse fatendum est. Nam ea quæ inueniuntur ferè omnia paruū in primis sumere consueuerunt incrementum: uerum elaborata paulatim maiorem dignitatem accipiunt: etsi utiliora sint, quæ ab initio comperiuntur: quod maximum & difficilimum omnium principium sit. Nam quanto quid potestate ualidius fuerit: tanto mole minus, difficilem admodum & quasi incomprehensibilem gignit intellectum. Hic singularis Aristoteles in rebus omnibus, rem statim susceptam ad summum disciplinæ apicem perduxit differendi methodū: quæ congruū dialectices nomen sortita est. Nam dissertura Latinis, Græcis dialecticæ à differēdo descriptur. quod notū est plus satis ijs, qui leuiter prima Græci sermonis tyrocinia attigerunt. Διαλεκτικὴ καλεῖται ὑπὸ τοῦ Διαλέγεσθαι. τὸ δὲ Διαλέγεσθαι ἐπιρωτήσια τε καὶ ἀποκρίσια. ὁ δὲ ἐρωτῶν ἐρωτᾷ πρὸς πάντος τοῦ προβλήματος ὑπὸ τῆς ἀποκρίσεως, ὁ δὲ ἀποκρίσας ἐκ τῆς ἐρωτήσεως πρὸς αὐτὸς πάντος λέγει συλλογιούμενος. Quis in nomenclaturam dialectici uocandus sit, dialecticæ nomine intelligitur facile: cuius munus obeundum fuerit, differere de omni proposito problemate. neque tamen ex ueris propositionibus, syllogismum connectere defatigabitur, qui ex responsione, siue uera, siue falsa probabiliter rotiocinabitur. Ratiocinium enim dialecticum, commune est opus interrogantis & respondentis. ex traditis nempe à respondente per interrogationem, struere contendit disceptans consequium. quare dialecticam antiqui rectè differendi facultatem tradiderunt: quæ circa orationem interrogatione & responsione consistentem uersatur. Insuper est dialectici circa utranq; partem contradictionis uersari & diuersis connexibus proposita in conclusiones demittere. ut uoluptatem esse bonam, quod eam omnia appetunt: & non esse bonam, quod bonos non faciat habentes, uel quod malis conueniat. quæ non consentire adinuicem in aperto est. Nam alterum oppositorum necesse fuerit uerum, & reliquum falsum. Satis itaque habebit dialecticus: si ex probabilibus siue ueris, siue falsis edisserat. Probabile etenim sibi tam peculiarem & arctissime coniuictam facit: ut nulli cuiquam alteri credere uelit. Vera autem pleraque tanquam adulterina & aliena, à proprio differendi negotio refugit: quorum ueritatem sensus & pœna annuntiant: de albedine niuis, de deorū cultu, ob expositam omnibus ueritatem non disce-

Quid accis
dat inuētis.

Dialectices
etymolo-
gia.

De dialecti-
co.

De opereæ

Materia dia-
lecticæ.

Que uera à
dialectica
reijciuntur.

ptat, neque de dignitatibus, per se fidem facientibus: neq; de his quorum est propria demonstratio & propinqua, differet. Hæc enim notiora sunt, quàm conueniant muneri dialectico. Propria est principiorum & scientiæ philosophis cura. Quædam falsa dialectici officio suscipi, fiet exemplo illustrius: quum contingat eadem simul esse probabilia & falsa. Detur enim duo multæ eruditionis professores, Plato animam immortalem cõtendat, Aristoteles autem mortalem conetur concludere. Nam sunt plurimæ in utranq; partem rationes probabiles. Ca uendum tamen nobis erit, ne dum tantopere uolumus uera quædam reijcere dialecticum, & quædam falsã artificioso quadrare, monstra parere uideamur, & incautis erroris locum cõsingamus: uel (quod dicere cupiebamus) aliquot superstitionis cauilli argumentum asseramus, qui detorte nos suspicetur, omnia falsa dialectico committere. Sed intelligat oportet, quibus animi ad argutias adparati sint, crebra esse falsa, quæ omni ueritatis fide capta, & probabili ratione emancipantur omnino. Quærent maiorẽ populi applausum qui rhetoricen eandem dialecticæ cõtendent. Nempè defnitore Aristotele ἔσω δ' ἢ ἐν τοῖσι δ' ὑμῶν τῶν δι' ἡμῶν τῶν θεωρητικῶν τὸ ἐν δ' ἐχόμενον πρὸς τὸν νόμον. Sit autem rhetorica, potentia quæ circa unumquodque contemplatur existens credible. & subiungit idem, Rhetoricen rei datæ uidetur posse cõtemplari credible, quare (inquit) dicimus ipsam non circa aliquod genus proprium determinationem habere artificiosam. In superiorum artium nulla de cõtrarijs ratiocinatur: sed rhetorice & dialecticæ id solæ faciunt. similiter utræque sunt contrariorum. & in principio primi libri rhetoricæ: Rhetorice est conuertibilis cum dialecticæ: ambæ autem de talibus quibusdam sunt, quæ cõmunia quodãmodo omnibus cognoscuntur, & nullius determinatæ sciētiae. quare omnes quodammodo utriusq; sunt participes. Quum igitur neutra sit rei determinatæ, & utraq; probabilia scrutetur, circa opposita rationes consimili diligentia prædat, quo insigni distrabantur interstitio? nõnne locis communibus utraque fidem mutuatur? Quoniã uniuscuiusq; docentis in primis studiũ adhibetur diligentiae comes, in ea re quam constituit, animis infundere iuuenilibus: ut intelligat si contrariã per suasionem acceperit (qua constante, nulla fides inducetur) eã primũ euellere molietur rationibus: cõtrariã opinionem expugnabit omnes, quæ increpationibus dignæ circũferentur. Otiosũ enĩ esset futiles & temerarias sententias & placita psequi. equũ igitur fuerit p ingenij infirmitate, ppositis occurrere obiectionibus: quæ dignos habeant defensores. quibus ex

Dialecticus per falsa differt.

Quod rhetorice sit ea de dialecticæ obiectiones.

sententia Zenonis nõ esset impedio difficile respondere. qui utraq; aded
 coniunxit adinuicem, ut solum amplitudo orationis & angustia distin-
 ctionem adferrent. proinde non dubitandum fuerit, quod si rhetorice
 uirtus, ut Crasso, ut Ciceroni & plerisq; oratoribus suam efferentibus
 artẽ uisum est, & dialecticẽ uirtutis nomine insigniri: quæ bene dis-
 ferendi sit propagatrix. sed redeamus ad certamen propositum. Fa-
 temur rhetoriẽ, facultatem esse rerũ inueniendarum cum dialecticæ:
 & neutram habere certam rei materiam, seu alicui propriam: è qua
 argumenta & probationes depromat. Ex omnibus enim utraque uim
 comprobandi rem propositam desiderat, & ex probabilibus in uno-
 quoq; fidem construit: neq; tamen consequi oportet, nulla ex parte dis-
 ferre: uerũm rhetoriẽ mediam esse inter sophericam orationem &
 dialecticam: quoniam sopheres electione contendit, non uiribus. magis
 enim studet mouere & delectare auditores, quàm docere: & uideri sa-
 piens, quàm esse: ut qui quærat applausum popularem. dialecticus ue-
 rò contempto omni fauore & affectu, contendit uiribus argumentorũ
 & rationibus firmis rem propositã ostendere. rhetor autem & æquis
 utitur rationibus, & fauorem expetit plausibilem. quare utrisq; con-
 iunctus bono iure ab Aristotele proditur: qui facultatem ratiocinandi
 habeat, mores consideret, & affectus examinet. Itaq; efficitur rheto-
 ricæ, quasi quædam sit dialecticæ propago, & eius negotij circa passi-
 ones, quod iustum est appellare politicum. quapropter se insinuat sub
 figuram politicæ rhetoriæ: & qui eam sunt adepti, se consecutos pote-
 statem rei civilis arbitratur. Vtitur profecto dialectica syllogismo &
 inductione, non ex quibuscunq; cum deliris etiam nonnulla uideantur
 probabilia: sed ex his quæ ratione indigent. Rhetorica autem ex his
 quæ consultari consueuerunt, enthymema & exemplum parat. huius
 enim munus est: de ijs quæ consultamus, & artem non habemus, &
 apud tales auditores, qui non possunt per multa conspiciere, neque ra-
 tiocinari remotum. nam multa & remota auditores uel iudex non
 planè consequitur, nec bene intelligit. Rationes autem tum dialecti-
 cæ, tum rhetoriæ, de quibus locos dicimus esse, sunt quidem commu-
 nes, de iustis, & physicis, & politicis, & multis specie differentibus,
 ut maioris, & minoris locus: ex quo nõ magis licet ratiocinari, uel en-
 thymema inferre de iustis, quàm physicis uel logicis, et si specie diffe-
 rant. sunt autẽ in singulis generibus propriæ propositiones, & cir-
 ca rem subiectã: de quibus philosophus agit & demonstrator. Nam qui
 cunque forte proprias propositiones sumpserit, uel principia: nõ am-

a. iiii.

Responso
ex ZenoneAn dialecti-
ce uirtus.
Dilutio.Rhetorice
media iter
dialecticen
& cautillato-
riam.Rhetorice
ad mores
deflectitur
magis q̄ dia-
lectice.
Instrumen-
tis differunt.Rhetor præ-
ter aduer-
sariũ habet as-
siliũ iudicis.

plius rhetoris uel dialectici partes agit, sed illius philosophi cuius principia possidet. quare ut syllogismi ex communibus, sunt dialectici, & nō ex proprijs enuntiatis: sic enthymemata quæ ex cōmunibus, sunt rhetoris. Proprias in unoquoq; genere ppositiones, species seu εἶδη: propositiones omnibus similiter cōmunes, τὸ πᾶσι, in rhetorice uocat Aristoteles. Quidam definiūt locū, principium epicherematis: & epicherema syllogismū dialecticum intelligūt. Sic etiam locum possumus reddere, elementū in quo accipimus circa unūquodq; differendi argumentū. Per argumentū, concipimus terminū mediū: cuius uirtute ratiocinamur. à Boetio dicitur ratio rei dubiæ faciēs fidem. à locis accepit nomen hæc præsens institutio, cuius inscriptio, de locis, latine cumfertur. Vnde liquido constat, quod prius dicebatur, nō semper ex ueris argumētationē decurrere: quoniam propositione falsa in mediū producta in quā probabiliter quis elaborat differere, nō eā per uera iusto ratiocinio licebit concludere, quum recepta sit communis illa sententia, per falsum nunq̄ uerum colligi. quapropter per probabilia, rationem dialecticam expatiari fuerit necesse. Pleraque sanē falsa maiori fide iudicantur digna, quibusdam ueris. notissimum id sanē fiet ex tam multiplici dogmatum uarietate: quorum numerus copiosior Iouis filijs. Nam eiusdem rei tot circūferantur grauissimorū philosophorū dissentientes sententiæ: ut interim prætereā multitudinē ignarā, quæ pluribus inuoluitur opinionibus q̄ dici possit. de quibus abunde dicendum esset: nisi perniciosum putarē esse bonis artū cultoribus & indignū, reuocare in memoriā, quorum obliuio perpetua desideranda uenit. quæ bonarū disciplinarum lumen extingūt: simulq; uiuacia corrūpunt ingenia. Dolendum est me Hercule plurimū, Pallada infeliciter depopulari, in partes miserè rapi uarias, calamitose concuti, fuscis semper tenebris offundi. Taceo quædam spectra & uana delirantiū phantasmata, ab omni integritate & iusta eruditione q̄ alienissima: ne dormientem hanc multitudinem in me cōuertam. Habeant igitur boni iuuenes, in quorū gratiam nostra parauimus hypomnemata, pro legitima proemij lege: quæ huius institutæ methodi intentio, quæ utilitas, & quale præceptionis genus.

Propositū quidē negotij est methodum inuenire, per quam poterimus ratiocinari de omni proposito problemate ex probabilibus: & ipsi orationem sustinentes, nihil dicemus repugnans.

Obferuarūt ſemper boni interpretes in diligenti philoſophorū enar-
 ratione, quædā ſtatim prælibare, quæ à Græcis *προλεγόμενα* dicū-
 tur. ſint proſecto numero octonario comprehenſa: propoſitū, utilitas,
 cuius ſit opus, ordo librorum, titulus, diuiſio in partes, docēdi modus,
 & relatio. Quoniam in ſingulis rebus adminiſtrādis intentio & ſinis
 omnium prinus conſtituitur, & in diſciplinis maxime cōiectandus ue-
 niet. ſi quis ſcopum negotij ſuſcepti ignorauerit, uel delirus planè di-
 iudicabitur, uel ipſe animi dexteritatem remittet. uelut cōtingit iſs, qui
 eò proficiſcuntur, quo neſciūt: medio itinere ancipites, ſtare cogūtur.
 Negotij igitur præſentis ſcopus adfertur in ipſo principio eſſe, metho-
 di inuentio: per quam poterimus ratiocinari de omni problemate ex
 probabilibus: & ipſi diſputationē ſuſtineñtes & poſitionē, nihil dicē-
 mus repugnās. Quantus nimirum fuerit in literis fouendis Ariſtotelis
 ardor, ex hoc ipſo clariffime demonſtratur: qui finem hunc ſtatuerit,
 ut inueniat in ſtudioſorum gratiam methodum & diſciplinā facilem,
 decentibus inſtructā præceptis. neq; ſatis putauit eſſe, ut demerere-
 tur ſui ſtudioſiſſimos, dare munus certum, quod domi magno labore
 comparafſet: niſi eiufdem ſummā dignitatem, fructus impenſe copio-
 ſos ſuggereret. Promptiorē ſanè unūquenq; ad opus ſubeūdū præſci-
 ta utilitas efficit. Huius proſecto methodi fructus plurimi ſunt: qui ad
 colloquia, ad exercitationes, ad philoſophiā declinarunt. neq; uirtute
 deſtituuntur eximia: qui promptos ad interrogandū, & reſpōdendū
 faciāt. Tribuit autē hæc methodus uim diſceptandi & arguendi pro-
 babiliter de omni problemate dialectico: ſimul reſpōdendi & defen-
 dendi ſine redargutione poſitiones. Priorē partē ſibi uendicāt inter-
 rogātes, poſteriorē reſpōdētes: qui dialectices aſſeclæ nūcupētur. qua-
 re qui utraq; cumulatiffime fuerit dotatus, dialecticus æquo iure dici
 poterit. Vnde & dialecticem definiemus: Methodum qua poterimus ra-
 tiocinari de omni problemate dialectico ex probabilibus, & reſpōdere
 decenter. A quibusdam autem ſub hoc uerborum modulo finitur: Ars
 diſputandi, per quam aliquid probamus uel improbamus ex interro-
 gatione & reſpoſione differentium. Addidimus, de omni problemate
 dialectico: quoniam non ſimpliciter de omni problemate diſſerit dia-
 lecticus: ut notū fiet ſequentibus. nā non oportet dialecticum, omne
 problema, nec omnem poſitionem conſiderare: ſed quæ dubitabit a-
 liquis eorum quæ ratione egent: non autem pœna, uel ſenſū. neque
 quorum propinqua eſt demonſtratio: neque quorū eſt ualde remota.
 quare de omni problemate dialectico intelligendum uolumus. Neq; fa-

Ab interpre-
 tibus obſer-
 uanda.

Scopus.

Utilitas.

Dialectices
 definitio

Nō de om-
 ni pbles
 te diſſerit
 dialecticus.

tem egredientia à quopiam desiderari. Habet enim unaquæq; institutio quædam propria quibus credatur, & quibus eisdem interpretari fuerit necesse. Adiungitur ad quot & quæ præsens methodus sit utilis, cuius & enucleatur finis, & demum in quibus colloctur. Eadẽ esse monstrantur propositio & problema, secundum subiectum: diuersa uerò enuntiandi modo. Insuper quot genera prædicatorum, à quibus propositiones & problemata sint: quoniam quatuor dicuntur, & quæ sint, & quid unumquodq; horum redditur. Similiter quæ prædicata propria, quæ adiungenda unicuique prædicatorum: & quare tot & non plura sint prædicatorum genera, & syllogismo & inductione cõcluditur. Subnectitur & eiusdem diuisio seu multiplicitas, definitur propositio dialectica, & problema dialecticum, & quæ illis contineantur: & positio omnis esse problema monstratur. Quot sint disputationis dialecticæ species, & quid unaquæq; deniq; quot organa, quibus abundare dialecticũ oporteat: & utilitas horum ad dialecticẽ, comprobatur. Refertur dialecticẽ, ad omnes disciplinas: quæ omnibus præsidium afferat per probabilia. Dissimulare modo quorundam doctorum opinionem non possumus: quam si possumus, non tamen debemus, qui aliter, quàm nobis usum est, de Aristotele & Topicorum libris sentiant: qui candidum Aristotelis nomẽ denigrare satagunt, & locorum institutiones sugillant, à quibus studiosos artium assecras seuocare moluntur, ut his contemptis magis in sui admirationẽ incautos rapiant, sua opera præstantiora uenditent, in se omnium animos inducãt. Vnde multæ auctoritatis uirum gaudent redarguisse: gloriam qui quærunt populare redargutione, uel nominis denigratione. Verum talium non audiendam esse sententiam, facile deprehendet, quicumq; rationes acceperit, quas in medium afferemus, ne absentes indicta causa, temere iudicemus. Dolendum (inquiunt) sedisse illud animo grauissimi hominis, ut non simpliciter atque apertè proferret, quæcunque inuenerat: ut præter laborem, quem ipsa rerum esset habitura obscuritas, alia nobis, etiam ex ipso, obijceretur difficultas: quo necesse haberemus mentem ipsius uelut oraculi suspensam & ambiguam indagine perquirere. Themistius itaque author est, lōge aliter omnia foras esse ædita ab illo, quàm sint domi tradita: demetiæq; simile esse, si quis legendis libris ipsius, speret illius se sententiam consecuturum. Sed quid Themistii proferimus? Aristoteles de se locupletissimus est testis. Scribit enim quadã ad Alexandrum epistola, ædidisse se, quæ ad philosophiam pertinent: sed perinde tamen, nisi qui ab eo audierint, eadem ista, ac si ædita non essent,

Relatio.

In Aristotelem obiectiones.

futura. Adiungūt etiam, Aristotelem summo ingenio, doctrina, eloquē-
 tia, rerū peritia, prudentiāq; & ut semel omnia complectantur, sum-
 mum hominem, sed hominem tamen fuisse putant, hoc est, quem latere
 aliquid potuerit: quique, ut non omnia primus inuenerit: ita alijs post
 se inuenienda aliqua reliquerit: qui etiā non omnia, quæ inuenerat, cre-
 diderit in uulgus prodenda: & nonnunquā fortasse contradicendi stu-
 dio, quo maxima ferē tentātur ingenia, nō tā quid ipse sentiret, q̄ cōtra
 quod alius sensisset, dicendum putaret. Plurima ille recte, sed & alius
 aliquid non male. quo iustiore ueniā illis esse credunt oportere: si qui
 fuerunt, qui putarent non utique illi tanquam scopulo usquequaque
 adhærescendum esse: neq; de suis desperandum ingenijs. Et hæc sunt
 rationes productæ in fidem: quibus de Aristotele sententiam ferant hu-
 iusmodi. Ast audiant, oportet, summi æquitatis illi antistites uerique
 fautores acerrimi, quæ ad hæc respondeat Themistius Aristotelis pa-
 tronus singularis: cuius testimoniū proferūt, ut telū telo cōtundamus
 proprio: qui hunc in modū de Aristotele mentionē facit honorificā, in
 primum physiorū paraphrasin scribens: Genus (inquit) philosophan-
 di Aristotelis differt à cæteris, quatenus obscuritates & scirpos illorū
 trāstulit in perspicuā quandā & propriā expositionē: & uim præ-
 terea probationibus & syllogismis adiecit. A Platone autē eousq; uide-
 tur dissensisse, quòd demonstratiōes apertius illustriūsq; inducit, quòdq;
 eorum principia à sensu, & ab euidentibus rationibus sumit. Ab omni-
 bus philosophis præterea simul dissidet Aristoteles, eo quòd partes om-
 nes philosophiæ naturalis usque ad singularia euolutas ac resolutas
 reliquit. Cum autē scriptorū commentationūq; suarū species duas ha-
 beret: unā eorum quæ exteriora cognominabat, quales erant histori-
 cæ & rhetoricæ meditationes: demū omnia ea quæ minus tum curæ
 ac diligentiae, tum intentionis & studij requirebāt. Alteram eorū quæ
 auscultatoria nūcupabat: in quibus philosophia remotior subtiliorq; a-
 gitabatur: ex quorū numero habetur hoc opus, cui titulus est, de physi-
 ca auditione: In auscultatorijs data opera uoluit obscurus esse: ratus
 hunc in modū obiter posse rudiora ingenia ab huiusmodi studio qua-
 si reiçi deterreri que: utpote quibus futurum sit, perinde ac si neque
 scripta quidem unquam fuissent. Quapropter Alexander post Persā-
 rum euerisionem hæc ad illum fertur scripsisse: Alexander Aristoteli
 salutem. Non recte fecisti, quòd auscultatorios libros foras inuulgaueris.
 Nam qua alia re, præstare cæteris amplius poterimus, si ea quæ
 abs te accipimus, omnium pror sus fiant communia? Ego uerò malim

Solutiones.

De philoso-
 phorū dog-
 matibus.

Duæ spēs
 scriptorū.

In auscul-
 torijs obscu-
 rus.

Alexandri
 epistola.

doctrina anteire, quàm copijs. Alexandro uerò rescripsit Aristoteles, ijs uerbis: Aristoteles Alexandro regi salutem. Auscultatorios libros quos æditos quereris, & non perinde ut arcana absconditos, scito neque æditos esse, neque non æditos: cognobiles enim ijs tantum erunt, qui nos utiq; audierint. Vale. Hæc Themistium tradere bona fide asserit Hermolaus Barbarus fidelis Themistij interpres. Neque offendimus quæ proferunt tali uerborum ambitu neq; sententiarum pondere contenta esse. quare Themistij sententijs non difficile agnoscit quiuis nihil detractū iri, qui profiteatur unū Aristotelem superasse cæteros philosophos artium inuentione, & earundem traditione: unū esse, qui quæ dispersa erant, tanquā in corpus compegit: quæ confusa, in ordinem redegit: hunc solum fuisse, qui literis mandauit, quæ instituerēt & nutrirēt adolescentes, uiros iuuarent, & senes conseruarent: hūc solum fuisse, qui omnem nostræ ætatis docendæ curam suscepit. Quod postremum obijciunt, hominem fuisse, non omnia sciuisse, nec inuenisse, & quæ sequuntur: non putamus diuisione dignum: quum eas querelas minus effugere possint. Hosti dant arma, quibus confodiantur. Quis enim non media luce clarius uidet æquore Marte in irruentes detorqueri? si nanque summus philosophus, & rerum scientia, scriptorum copia, eloquendi uarietate, inuentionum acumine, uarietate operum clarissimus (qualis Aristoteles Quintiliano teste) homo fuerit: non omnia sciuerit, nec inuenierit, & quæ obijciuntur reliqua: dicemusne hos, quorum nomen semper fuit obscurum, quos neque rerum scientia insigniuit, neque felicitas ingenij celebrauit, diuinos fuisse? omnia sciuisse? omnia adinuenisse? quasi contemptis authoribus celebratis, credendum sit incognitis. Vt profecto sani non esse iudicij, temere assentire quibus suis, semper credidimus: sic leuiter citra rationem à probatorum dogmatibus discedere, esse arrogantis uel inconstantis. Super sunt & calumniæ (uolebā dicere rationes) quibus funditus euertere hos libros octo, de locis moliuntur. In primis quòd angustius uidetur eorū conclusisse materiā: quoniā cuncta de quibus differeremus intra quatuor quæstiones contineri uoluerit, à quatuor prædicatis petitas: definitione, genere, proprio, & accidente. sed non id agimus, ut de istis semper queramus sub nominibus illis, quæ ab Aristotele sunt posita. Non enim querimus semper, sitne album accidens hominis? sed simpliciter, sitne homo albus? & eodē modo in cæteris prædicatibus. Huic occurrendum est formis dialecticarum quæstionum: quæ non nisi in constructione & compositione conueniunt: tantumque in his modus

Aristotelis
responso.Oppugna
tio Topico
rū prima.

Defensio.

Quatuor
questio-
nes.

- propositionum diuersus consideratur, & prædicandi uaria ratio. Vt
 queritur, si subiecto prædicatū inesse constiterit, quomodo insit: itane
 ut genus, uel terminus, uel proprium, uel accidens. Nam si non insit, ni-
 hil relinquitur disputandū. Quod enim nullo modo subiecto inest: ne-
 que ut accidens, neq; ut terminus, neq; ut genus, uel ut proprium in-
 esse potest. quare modum prædicandi inquit dialecticus: alterū præ-
 supponit, quod subiecto prædicatum insit. Neque credere conueniet
 quæstiones omnes esse dialecticas: cum quatuor sint quæstionū gene-
 ra: an sit, quid sit, quomodo insit, & propter quid insit: ad dialecticū
 pertinebit tertius inquirendi modus, ad cuius planā intelligentiam duæ
 priores quæstiones conferent: & desiderantur, in quibus quoddam inten-
 tionem non consequatur interrogans, ad quæstiones progreditur, qui-
 bus modus inexistenti perspicitur: qui in plures supra cæteros sese
 explicat: proinde non sine industria quæstiones illæ dicuntur dialecti-
 cæ. Opponunt etiam, quod non omnia quæ ad ostendendum inesse ali-
 quid accommodata sunt, recensuit Aristoteles, quum de accidente lo-
 queretur: quia insit nec ne primū de accidente solet queri. Verū qui
 cognouit omnium prædicatorū non eosdem modos subiectis inexisten-
 di: & maxime remotum accidentis modum à tribus alijs, facile concipit
 non eosdem esse locos accommodandos accidenti & cæteris præ-
 dicatis: uerū perfectiore stylo totum negotium absoluet: qui singulis
 prædicatis probandis rationes contribuit particulares. Arguunt etiā
 Aristotelem quod neq; locos descripserit, neq; numerū fecerit locorum,
 nec demum nomina adiunxerit. Testantur libri Topicorum oppositam
 sententiam, qui certos locos referunt, numerum ipsorū habēt: nomina
 proclamant. Nonne cōuincuntur obrectatores, qui Aristotelem locum
 à coniugatis & casibus fecisse tradiderunt? Speramus profecto hæc
 omnia clariora fieri dicendis. Deinde pleraq; inquit, posuit pro lo-
 cis: quæ nullius propria sunt loci. ut cum dicit inspiciendum esse qui-
 bus insit aliquid uel omnibus uel quibus nullis, id est, de quibus uniuersaliter
 aliquid affirmetur uel negetur. Ea de quibus affirmatur, dicit
 esse species. Quid ergo? definitio, genus, propriū, nō omnibus insunt? A
 Aristoteles hæc habet secundo loco secundi Topicorū, quo tradit locum
 seu præceptum constructiuum & destructiuū accidentis generi sub-
 iecto adhærentis, per species illius generis cui accidens dicitur conue-
 nire. Nam qui ostendit speciebus omnibus generis accidens inesse, &
 generi concludit inesse uniuersaliter. & contra, si alicui speciei nō in-
 sit, neq; generi uniuersaliter inest tale accidens. Quod docet exemplo

admodum illustri: ut, qui dubitaret utrū omnium oppositorū sit eadem disciplina an non, prædicatum subiecto inesse uel non inesse partium subiecti coniunctione uel remotione monstratur. quare ex ignorantia loci ab Aristotele traditi turpissime errarūt. omnibus his quæ effutiūt de locis, sola loci tradita definitio sufficit. Addunt quòd nimis arctos uis 5. detur dedisse fines dialecticæ: qui ijs quatuor quæstionibus terminaue rit. Falsa per suasionem niti nemo dubitabit: intelligens omnia quæ de re aliqua dici possunt, intra quatuor prædicata cōtineri. omnia quæ quæ- runtur in hæc recidunt: neq; plura sunt quæ excogitari possint. quod idem fateri coguntur oppugnantes: sicut me hercle dialecticæ materia non est propria, sed communis: sic & prædicatorum quæstiones ad communem porriguntur materiam. Demū res ipsa illud conuincit in- 6. quiūt, magni & immensi laboris esse, locos ab illis quæstionibus quas ipse instituit auulsos: in alium usum differendi traducere. Hæc ratio nimirum conuincit manifestam inscitiam opponentium: qui uelint uel putent auelli locos ex quæstionibus traditis ab Aristotele: quū in quæ- stiones problematicas & positiones differamus per locos, qui cōmunio- res sunt ipsis propositis problematibus. Quòd calumniantur, nullum esse usum locorum Aristotelis: nōne explorata est ratio, quòd non uersati sint in libris Topicorum: nec eosdem intellexerint? qui enim pedem aliquo tempore fixerunt in eruendis rationibus à locorum in- stitutione Aristotelis, iurare audent maiorem colligi frugem, usum pa- rari uberiorem ad omnes disciplinas, q̄ cuiusuis locorum traditione. Porro quem isti contribuerunt differendi usum? qui neq; constituent propositionē in quam congregiendum sit: neq; quibus & quot in ean- dem manifestent. Insuper neque docēt, qui loci sint cōstructiui & de- structiui, uel qui constructiui, uel qui destructiui solū: quot sint gene- ra problematum in quæ contingat discēptare, tradere omiserunt. Sed de his hæctenus. congruū tamē fuit (quantū cōiectura ualemus) diutius immorari, & prolixius agere in ijs quæ principijs obstarent huius in- stitutionis, & quæ multorum opinionibus splendida decantarentur.

Redargutio
quorundā.

Primum igitur dicendum quid sit syllogismus, & quæ eius differētia, ut sumatur syllogismus dialecticus: hunc enim quærimus secundum propositū negotium. Est sanè syllogismus, oratio in qua positus aliquibus, diuersum quid à positis ex necessitate accidit propter posita.

Quid syllo-
gismus.

Aperto huius negotij sine locupletissimo, quo animum intendant, &

eundem avidius amplectantur cupidi literarum iuvenes: desideratur
 præsidia quibus finis gratiam minori consequantur labore, magnum
 certe adfert fini conciliando momentum syllogismus dialecticus: ipsum
 nimirum dialectici instrumentum facimus, eo instructus abunde differere
 poterit. quare pertinere ad dialecticum qui artifex fidei & probabilis
 existat, nemo diffitebitur, nisi proprio instrumento destituere uelit. Qui
 igitur suscipiendus sit syllogismus dialecticus, qui negotio presenti fo-
 ret necessarius. Primum oportuit à superiorum cognitione ipsum repetere:
 quonia syllogismus dialecticus nunquam intelligitur non concepta syllogismi
 notione, qui illius sit genus. Vult enim definitio & eiusdem partes notio-
 res esse ipso nomine: & illi notiores esse, qui sit nominis dilucidam asse-
 quiturus notione, atqui syllogismus adfertur i syllogismi dialectici de-
 finitione, quod sit illius genus. quare tradenda fuit in primis syllogismi
 ratio ad habendam partium syllogismi dialectici claram intelligentiam: quippe
 quæ sit & firmissima à definitione hausta notio, & mirum quantum splendo-
 ris obscurioribus immittat. Accersendæ ueniunt ad speciem constituen-
 dam differentie: non enim genus impositum & rude speciem perficere
 potest, sed commercio differentie speciem ipsam complet. quocirca artificio
 diuisiue generis per differentias, in species decubimus. In singulis ge-
 nera præiacere oportet, & informata differentiis species constituere.
 Collocatur autem syllogismus, qui genus est syllogismi dialectici, in o-
 ratione ut in proprio genere. Nam oratio de syllogismo in quid præ-
 dicatur & cæteris orationibus specie differentibus. At quonia tali syl-
 logismi genere solo definitio non assurgat, nec propria natura arceat-
 tur, uocatae sunt differentie ad syllogismi constitutionem: quibus etiã
 separabitur à reliquis orationibus. Accessit quamprimum hæc dif-
 ferentia à genere primam definitionis partem occupatura (in qua
 quibusdam positis) quæ distrahit orationem syllogisticam à cæteris in
 quibus nihil ponitur. Quid autem ponitur in deprecationibus, in mæ-
 datis, in inuitationibus, in interrogationibus, per suasionibus, delibera-
 tionibus, fabulis, & huiusmodi? Per posita enim accepta & concessa
 intelliguntur: siue à respondente cum quo fit disputatio, siue ab ipso-
 met concedantur, qui syllogismum connectit. demonstrator nimirum
 syllogismum struit ex positis & concessis, non tamen à respondente, qui
 non interroget: sed à seipso. Ponuntur autem & cõceduntur ex æquo
 affirmationes, & negationes: quas complectitur uoce illa admodum
 propria. hinc datur intelligi categoricum diffiniri syllogismum: quod
 hæc dicantur poni quæ alicui conuenire uel ab aliquo discrepare su-

Dialectici
 instrumentum

Quo artifi-
 cio uenit
 definitio.

Syllogismus
 est oratio.

In qua
 quibusdam po-
 sitis,

mūtur. Hypotheticæ orationes secundū se non facient syllogismū, quōd
 supponātur non autē ponantur: neq; idē est profecto accipere & po-
 nere orationes, quōd ponere modū orationū acceptarū significet. nam
 categoricas indicare uult. quare syllogismi simpliciter dicūtur: qui ca-
 tegoricis constant propositionibus. Audio dici, per posita, dispositio-
 nem terminorū adinuicem triū intelligi. quibus pertinaciter reluctati-
 bus non est repugnare institutum. Remouetur & à syllogismi nomine
 omnis oratio, in qua altera posita alteram ex necessitate infert, ut dies
 est, igitur non est nox. homo es, animal igitur es. curris, ergo moueris.
 Multitudo enim propositionū monstratur assumendarum ex ipsa diffe-
 rentia, in qua quibusdam positis, ad syllogismi cōpositionem. unde ma-
 nifestū est Enthymemata omnia nō esse syllogismos proprie, quōd unā
 ponāt propositionē, alteram omittant, notā uel iudici, uel auditoribus.
 Qui tamē utrāq; acceperit & cōiunxerit, structurā effinget syllogisti-
 cā. Quōd syllogismus pluribus propositionibus uelit decurrere, ex ip-
 sa nominis nota exploratū fiet. syllogismus nanq; compositionē logis-
 morū significat & rationum: quibus enim & οὐρ adpositū fuerit, cō-
 positionē ipsorū manifestat: ut ὁ συμψηρισμός, οὐδὲσιν ψήφωρ: sic
 συλλογισμός, οὐδὲσιν τινὰ δηλοῖ λόγωρ. Aut si mauius syllogis-
 mus collectio est: at uero collectio, non nisi pluriū est. quicunq; autē po-
 suit unam propositionē, non colligit, non igitur faciet syllogismū: quia
 duabus est opus, ut angustissimus fiat. & propriū est syllogismi, per
 plura ostendere. neq; tamē satis erit si dictiones uariæ sint, ut per plu-
 ra dicantur decurrere & idem significēt. talibus non fiet syllogismus.
 Nam talis decursus orationum, potentia unam solum recipit. ut qui di-
 xerit esse syllogismum, hanc orationem, homo es, & non es nō homo,
 igitur animal es. duæ propositiones assumptæ sola uarietate dictionū
 laborant: non autem re ipsa. Quare si altera sola assumptarum. syllo-
 gismum non fecerit, neque duæ illæ eiusdem uirtutis assumptæ. Ter-
 tia pars diffinitionis haud negligenda uenit. quæ habet, alterum quid
 à positis. cuius tanta est uirtus & necessitas, ut ea sit quæ syllogis-
 mi utilitatem suggerat, & sola tueatur. nullam enim assequeretur
 dialecticus syllogismi commoditatem, nisi aliud ab assumptis conclu-
 deretur. uerum cum syllogismus sit instrumentum, necesse est ad usum
 aliquem parari. porro cuius instrumenti nullum est emolumentum,
 quis eo finem perquiret? Neq; enim dicatur instrumentum quidpiam,
 si illo nullum adipisci fructum cōtigerit. Nemo sani iudici diceret ly-
 ram musici instrumentum, qua musico non cōueniet uti. in cæteris in-

Alterum à
positis.

Instrumenta
utilia.

strumenta proprijs sunt rebus supposita, quibus paramus fructum: non igitur saluaretur syllogismi uigor, nisi alterum à positis concludatur & ostèdatur. neq; syllogismus permaneret oratio, qui utilitate careret. nempe si omne instrumentum utile sit: syllogismus non destitui fructu fuerit necesse, qui instrumentum ponatur. uerum in quibus orationibus, idem præmissarum alicui colligitur, non proueniet utilitas: neq; syllogismus igitur struetur. præcipua siquidem uis syllogismi est, obscura reddere manifesta. atqui non eadem possunt & ignota, & clara esse: proinde desiderant immanifesta lux illustrari: & ignota notis manifestari. Ridiculæ sanè sunt rationes istiusmodi: uel dies est, uel lux est: sed dies est, igitur dies est. Indignæ profecto quæ nomen syllogismi recipiant. Nam quemadmodum in cæteris organis non sufficit ad integritatem ueri organi tenere figuram conuenientem, & non alienam à structura: sed postulatur & materia decēs, & idonea, ut qui cera radium componeret uel aliud instrumentum, ineptum censèbitur, formam tamen habebit: sic ad syllogismum non satis erit figuram dictionum obseruare, sed & oportet, ea quæ syllogismi ingrediuntur complexum posse lucem infundere obscuris, & aliud concludere. Materiam dicimus primam, tres terminos ad inuicem tali unione uinctos, ut necesse sit aliud inferri. separantur hac parte, rationes à partibus oppositis & destructis, in quibus altera pars assumptarum consueuit concludi: simul à diuisione argumentationes, complexiones distinctiue cum negatione alterius partis, inferendo alteram. ut dies est, uel nox est. sed nox non est, igitur dies est. neque uolumus aliud inferri uocabulorum distinctione. Nam nominum & dictionum permutatio & sola diuersitas non maius habebit commercium syllogisticum, quàm cæteræ quibus respondebit. ut qui utitur argumentatione conflata eisdem omnino terminis, notum est non effingere syllogismum: sic qui parauerit dictionibus synonymis syllogismum connectere, non multo felicius efficiet. quare colligere oportet non idem re ipsa & ratione: & non penes terminorum distinctionem, sed rerum aliud concludendum uenit. Vt cum istæ conspirent & sint eadem, dies est & nox non est. idem cõmittes utranuis inferas. ita in consimilibus dicendum erit. Definitioni inferebatur particula ex necessitate, qua separatur inductio à syllogismo. etenim inductioni cæteræ definitiõis partes prædictæ consentiunt, quæ certum est syllogismi nomine nõ cõtineri: quoniam ex particularibus assurgit, uniuersale colligens. syllogismus autem ex uniuersalibus, ad particulare contendit, inductio oratio est in

Ex necessitate.

qua quibusdam positis diuersum accidit: at id nō ex necessitate fiet. nō enim necessarium fuit ex particularibus uniuersale cogere. quod silentio non pertransiuit Aristoteles in octauo topicorum. Proinde non iniuria dicitur: Inductio in repugnantes infirma est ratio: doctis parū, plebeculæ multum fauens & conueniens: neque ualebit alicuius inductionis oblata conclusio necessaria ad argumentum conclusionis ex necessitate consecuta. Aliud est sanè conclusionem ex necessitate demittere: aliud conclusionem necessariam. unde multæ habentur propositiones quæ contingentes ex necessitate inferuntur in intentione, ut in syllogismo omni ex propositionibus contingentibus decurrende confiteri fuerit necesse. Postremum differentia locum obtinens particula (eo quòd hæc sunt) argumentationes dirimit quæ easdem necessitatis uires cum syllogismo interceperunt. Cuiusmodi sunt quæ syllogistica impellunt propositionem in conclusionē quandam: sed eam in diuersam uel nominibus uel re transferunt differentes. quod contingit si ex conclusione inferenda, aliam in illius locum inferant contractam: ut hec argumentatio, omne pulchrum est bonum: & omne iustum est pulchrum: concludit hanc, omne iustum est bonum. utiq; quādo in locum illius conclusionis substituetur hæc, quæ ex ea cōsequio trahitur: omne bonum per se est eligibile, uel aliqua similis, non fiet syllogismus. quòd per assumptas non sequatur conclusio extremis & terminis constructa duobus medio termino coniunctis.

Inductio & syllogismus
alia.

Eo q̄ hæc
sunt.

Demonstratio siquidē est: quādo ex veris, & primis syllogismus erit: uel ex talibus, quæ per aliqua prima & uera eius cognitionis quæ circa ipsa est, principiū sumpserunt. Dialecticus autē syllogismus ex probabilibus colligens. Sunt quidem uera & prima: quæ non per alia, sed per se habent fidem. Non enim oportet in disciplinariis principijs inquirere propter quid, sed vnāquancq; principiorū ipsam per se esse fidem. Probabilia uero quæ uidentur omnibus, uel plurimis, uel sapientibus: & ijs, uel omnibus, uel plurimis, uel maxime notis & illustribus.

Quid demō
stratio, &
syllogismus
dialecticus,
& probabile.

Primam syllogismi speciē, bono iure demōstrationem facere decuit, quæ rem cōplecteretur necessariā omnium primam. nam habita definitione syllogismi generici, laborandū est in eiusdem reddenda diuisione per differentias, quibus in specierū prorumperemus cognitionē. Opus enim est differentijs & ad generis diuisione, & ad specierū constitu-

Propositio
nū diuisio.

Quatuor syl
logismorū
species.

Quorūdam
opinio.
Argumētū.

Argumētū
quadruplex

Philosoph^o.

Demonstra
tio.

Materia du
plex.

Demonstra
tio duplex.

Dupliciter
nota.

tionem. differentia autem afferuntur syllogismorum ex propositionum
multiplici natura: quæ materia syllogismis differentē exhibent. distin-
ctio materiae, compositorū arguit distinctione. Quum igitur proposi-
tiones quædam existerēt necessariae & quædam probabiles, quædam autē
apparerēt necessariae, & quædam probabiles, quadruplicē totius syllo-
gismi distinctionē facere oportuit. nam in demonstrationem, in epiche-
rema, in contentionē, & paralogismum. quorū cæteris præponenda ob
materiae dignitatē & uim priorē fuit demonstratio: non tamē cui syl-
logismi ratio magis q̄ cæteris congruat: quis enim hominem equo uel
bruto quouis digniorē & priorē diffitebitur? quibus tamen omnibus
æqualiter animalis definitio congruit. His enim quatuor modis, colli-
gendi formæ parantur. Non desuerūt tamen qui aliam diuisionē insti-
tuerint, qui argumentū definiunt: rationē rei dubiæ facientē fidem. &
argumentorum quadruplicē depingunt uultū. Nam alia probabilia &
necessaria protrahunt: alia probabilia & non necessaria: alia necessa-
ria, sed non probabilia: alia nec necessaria nec probabilia. Verū argu-
menta quando habentur non aliter probabilia, q̄ exteriore forma: &
quædam cute tenus necessariū cōmonstrent: illis ratiocinentur sophistæ
& his falsē describentes, quānā specie argumentorū utentur? Insuper
quod nullo modo argumentū dici potest, in numerum argumentorum
quis referet? nā quod nō est necessariū neq; probabile, attribuūt sophi-
stis: quod argumentū recte dici nō potest. Nos itaq; quatuor opificibus
omnē ratiocinādi formā, demonstratori, dialectico, sophistæ, pseudogra-
pho, subijcētes, quatuor argumentorū species constituemus: necessa-
riū demonstratori, probabile dialectico, sophistæ apparens probabile,
pseudographo apparens necessariū. Philosophus quē & demonstrato-
rem intelligimus solius ueritatis perscrutator, & sciētiae gignēda in-
dustrius artifex, propositiones necessarias & argumēta talia, quibus
perpetuo quodā amore ad demonstratiōis scientiā cōsequendā indulge-
ret, domi desiderat. Nāq; demonstratio, syllogismus est faciēs scire. quā-
re instrumentū demonstratoris sit demonstratio oportet: cuius materiae,
ex qua assurgit, sit existēs necessariū positū, & p̄nūtiata necessaria
in quā autē animū explicet, sit conclusio scibilis. Nomē enim materiae,
bijugæ est notionis: ex qua, & in quā, ut breuissime dicatur. Demōstra-
tionis finitione duplex insinuat̄ demonstratio: propter duplicē scienti-
ā, & quia est, & propter quid: nec non duplicē rerum intelligentiā.
Non enim idem est natura notū, & nobis: quemadmodum neq; idem
prius natura, & nobis. porro nota nobis, propinqua sensui. nobis sunt

& sen sui notissima, singularia. Natura uero, & quæ simpliciter nota
 fateri oportet, quæ intellectu perspicuuntur: & à sensu lōginquissima, ut
 uniuerſalia maxie. Ex ueris oportet ſyllogiſmū demonstratiuū omnē esse:
 quōd disciplina demonstratiua ex ueris est, nā falsum ſciri, est impossi-
 bile: ut diametrū lateri cōmensurabile esse, ſcire potest nemo. Neq; solū
 demonstratio finietur, ſyllogiſmus ex ueris: quod dialecticis cōueniret
 ſyllogiſmīs q̄ plurimis: sed dicitur ex ueris & primis ſyllogiſmus. Ex
 primis quidē, quoniā ex proprijs principijs. Idē enim principiu & pri-
 mu. Principiu autē demōstrationis, ppositio immediata & uacās me-
 dio, seu qua nō est alia prior. quare definitionis priori parte, demōstra-
 tio simpliciter datur intelligi. Vera enim & prima proprio splēdore a-
 deō perlucida sunt, ut nō alia luce iuuari possint: ac fidē habent tū fir-
 missimā, tum clarissimam. quare ipsorū propter quid & causa sollicite
 non est inquirenda, quæ nullā ab alijs originē contraxerint, in eo gene-
 re subiecto, cuius principia statuuntur esse: sed alijs lumen infundant
 propriū. quæ omnia nullus dubitat, qui uel postremis labris demon-
 stratiuæ disciplinæ riuulos & fontes degustauerit. ad quos recurren-
 dum est, qui principiorū discrimina quibus demonstrare contingit &
 quibus demonstratio terminis, & quot, & qualibus, & de quibus fiat,
 inquireat. Reliqua pars definitionis, demonstrationem quia est, ostendit.
 quæ ex ijs est quæ per principia cognoscuntur. Nam per principia &
 causas cognoscuntur effectus: & per effectus præpostero ordine prin-
 cipia intelliguntur, & alio scientiæ seu cognitionis modo. ut planetas
 prope nos esse monſtramus: quōd nō scintillēt, ab effectu: sed planetas
 non scintillare, quōd prope sint, per causam ſcimus. de his hæctenus,
 quorū uberiorē sermōnē libri posteriorū retinēt. Trāſeamus ad ſyllo-
 giſmi secundā speciē: cuius gratia & cognitiōe, tota ſyllogiſmorū mul-
 tiplicitas discutitur, oīs q; ſyllogiſmorū habetur iquisitio. Ille enī est ip-
 se q; præſenti negotio sit necessarius: & quē quærimus i hac methode:
 qua copiā, pabiliū argumētōrū distribuere cōtēdimus, & quā locis de-
 ſignatis, è qbus argumēta pabilia hauriātur, copiosam & abūdantē
 corrogari est necesse: cui inſeruit, tanq̄ diligēs ſamulus domino, ſyllogiſ-
 mus dialecticus. ſyllogiſmus dialecticus finitur, ſyllogiſmus ex pabili-
 bus colligēs. Vnde admonēdi sunt, diſſerēdi rationē nō esse appellandā
 logicē: qui dialecticē eādē logicæ facere laborāt. nā dicēda uenit diale-
 ctice, quæ ſyllogiſmo utitur dialectico: & logice seu rationalis quæ ſyl-
 logiſmo uel ratiocinio. Cæterū uel ex eo notissimū fiet: quōd pblemata
 dialectica & propositiones dialecticæ partiātur in naturales, morales
 b. ij.

Principiu.

Principiorū
nō est ratioDemōstras-
tio quia est.Quo ſyllo-
giſmo op?ſyllogiſm*
dialecticus.Differt dia-
lecticæ à lo-
gice.

& logicas seu rationales propositiones. Insuper demonstrator, haud
 paruo interstitio à dialectico disiugitur. at omnis demonstrator, ratio-
 nalis est: qui enim ratiocinatur & rationes habet deducere, rationalis
 censetur. Verū dialecticus, ex ipsa definitione, est solū probabiliū: & à
 differēdo desectitur nomē dialectici, seu à τὸ ἴδιον λέγειν μόνον, nō autē
 ut quidā futiliter ineptiūt. quare necesse fuerit ratione plusq̄ Chrysi-
 ppea, oēm qui differit ex pbabilibus, dialecticū esse: sed logicū, non solū
 ex probabilibus cōtextū cōstruere syllogisticū, nomē ipsum indicare po-
 test. Probabiliū tres adferūtur differētiæ. nā quædā uidētur omnibus,
 & à doctis & rudibus suscipiūtur: ut bonū est eligendū, deus est reli-
 giosē colendus, sanitas est bonū: & quæ huiusmodi. Quædam plurimis
 uidentur, & multitudini, nō autē sapiētibus: ut parādæ sunt multæ o-
 pes, dignitates, honores sunt quæredī, sanitas uirtute præstatiō. Quæ-
 dā sapiētibus uidētur. huius postremæ partis, sūt in tria mēbra deci-
 siones. nā quædā uidētur sapiētibus, uel omnibus, ut bona animæ eligi-
 biliora bonis uel fortunæ, uel corporis, & honos pecuniæ præfertur:
 & cōtēplatio actiōnē dignitate uincit. Vel plurimis sapiētibus uidētur,
 ut uita maxime desiderāda, mūdus est finitus, corpus nō est indiuisibi-
 le: uel quæ sapiētibus maxime notis & illustribus uidētur, ut Platoni,
 animā immortalē esse, seipsam mouere uisum est: & Aristoteli, mundū
 ppetuū, ingenitū: & quorū sentētiæ perælebres habētur. & hæc inter
 probabilia infimū habēt locū: cætera suis locis optimo ordine collocan-
 tur. Neq; mirandū est quod nulla à multitudine diuisio deducta fuerit,
 quæadmodū à sapiētibus: quoniā quæ uidētur aliquibus imperitis, nemo
 probabilia defenderet: neq; quæ alicui ignaro uidētur. Verū si aliqui-
 bus sapiētibus quædā uidētur, uel alicui insigni & admodū celebrato,
 illa fatebūtur probabilia: nisi repugnarint dignis maiori fide opinionis
 bus, & p duxerint inopinabiles sentētiās. Probabile igitur est, quod neq;
 fidei omnino, neq; prorsus dubitationis sit expers. nā quod sensu per-
 cipitur, & quod demonstratione notum est, similiter quod nullis uide-
 tur, probabilis imaginem non referet. Neque enim putamus: quo quid
 certius & clarius est, eo probabilius: neq; quod indubitātū simpliciter,
 id maxime dici probabile. quod demonstrationes ex notissimis & pri-
 mis cōmuniātur: quæ probabilia nō sint. nā si probabilia sint, per quæ
 demonstratio fit: consentiet demonstratio epicheremati seu syllogismo
 dialectico: quod esset syllogismus ex probabilibus. quare qui demōstra-
 tiōnē ab epicheremate speciem syllogismi aliā cōstituit, & necessariū
 & maxime notū à probabili distrahere cogitur. Habeamus ipsas duas

Logic⁹ qui-
bus uirtur.

Probabilia.

Questionis
dilitio.

Manifestis
sima non
sunt proba-
bilia.

species dictas, & materia & obiecto sepositas esse, demonstrationi tribuatur pro materia, propositio necessaria: pro obiecto, scibilis. Epicheremati pro materia, probabilis: & problema, pro obiecto.

Litigiosus autē syllogismus est: qui ex apparentibus probabilibus, non tamen existentibus: & qui ex sanè probabilibus, vel apparentibus probabilibus apparens: non enim omne apparens probabile, etiā est probabile. nihil enim dictorū probabiliū in superficie, habet omnino phātasiam: quemadmodū circa contentiosarum orationum principia accidit habere: statim enim & vt plurimum ipsis etiam parua conspiciere potentibus, manifesta in ipsis falsi est natura. Prior itaq; dictorum litigiosorum syllogismorū, & syllogismus dicatur. Reliquus autē litigiosus quidē syllogismus, syllogismus vero minime, quoniam apparet profecto ratiocinari: sed nō ratiocinatur.

Litigiosus syllogismus duplex esse prædicatur, alter quidem uera & propria syllogismi species dicitur. qui ex apparentibus probabilibus: & non existentibus decurrit. cuius distinctio à superioribus clara satis esse potest. eo namque à demonstratio, quod non ex ueris & primis: à dialectico autē, quod non ex his quæ existunt probabilia, sed solum apparent, colligit. non enim necesse est, omne quod uidetur probabile, re ipsa esse probabile: quod nihil prohibeat, quæ uidetur prima facie probabilia & cute tenus, non habere intus neque ipso in animo probabilitatē. Huius autem fides manifesta esse potest: qui litigiosarum principia disputationum, & argumenta animo altius infixit. cū nemo sit uel mediocriter eruditus, qui protinus manifestam talium rationum & argumentorum intus positam falsi naturam nō cōspiciat. huius farraginis sunt hæc propositiones, quæ à sophistis tanquam scientiæ principia apertis, quod aiunt, buccis decantantur: Ridētia os habere, quæ nō perdidisti hæc habes, quicquid loqueris, per buccā transmittitur, & similes quibus sæpe incautos misere intrincant, in laqueos deijciunt. vbi tamen quis parum negligenti solitudine, & maturiore prudentia ad has animum sustulerit, præter fraudes, dolos, mendacia, omnibus his nihil includi facile exponet: imposturas aperiens. ut qui æquiuocationē, amphiboliam, & similes sophistarū locos talibus cōtineri sentiet, quibus moliri insidias cōsueuerunt. non enim credere cōueniet propositiones dici sophisticas seu cōtentiosas, quod mēdaces existāt: sed

Duplex litigiosus.

Falsum nō est p se sophisticum.

Syllogism⁹
apparens.

magis quòd referant probabilis imaginem simulatam. Nam deũ omnia posse, falsum est: quoniam malum facere nequit: tamen sophisticũ non erit, sed dialecticum. Posterior litigiosus syllogismus à superiore longe diuersus est qui siue uerè probabilia, siue solum apparètia in præmissas assumat, species non erit syllogismi: neq; tam peræbre syllogismi nomẽ promeretur, quòd nõ colligat neq; illationis uim recipiat. quare solum syllogismus apparens appellatur, ob fictam illam colligendi naturam: non autem simpliciter dicetur syllogismus quòd nihil cõcludere possit. proinde deteriorem esse superiore nemo in dubium reuocare debet. Prior etenim colligebat, & eo syllogismi nomẽ accipit, nec non species euantiatur: cum diceretur autẽ à dialectico seungi, nõ diuersa colligendi ratione: uerũm eo solum quòd quæ uiderentur probabilia interciperet, & non existentia. Porro dialecticus quæ sunt probabilia assumit: ex quibus colligit. unde liquet satis noua syllogismi species litigiosi nomine. quod declaratur si forma syllogistica & triũ terminoru coniugatione decenti falsum improbable in conclusionem per ipsum demittatur. Neque tamen illud prætermittendum uenit, nomen ipsum syllogismi litigiosi homonyme dici, quòd priori conueniat simpliciter, posteriori secundum quid. Nam posterior ueram syllogisticæ coniugationis formam peruertit. quare solum syllogismus apparens uocabitur, & nõ syllogismus. ut qui cotenderet omnem hominem esse equum hac ratiocinandi forma solum apparenti concludere: Omnis equus est animal: omnis homo est animal: igitur omnis homo est equus. Quis aded tam infelici natus est ingenio, qui statim nõ intelligat propositum complexum non esse syllogismo conuenientem? quippe qui ex duabus affirmatiuis propositionibus in secunda figura deferatur. In eodem errore uersabuntur omnes, qui in prima figura uel ex ambabus negatiuis, uel particularibus, uel minore negatiua intentionẽ demittere incumbũt. similiter & in tertia incurrere labem in cõiugationem syllogismi seruandam cauere oportebit.

De paralogismo.

Amplius autem præter dictos omnes syllogismos, qui ex ijs circa aliquas disciplinas proprijs facti paralogismi: quemadmodum in geometria & huic cognatis accidit habere. Videtur autẽ hic modus differre à dictis syllogismis: neque enim ex ueris & primis ratiocinatur pseudographus, neque ex probabilibus. nã in diffinitionem non cadit: neque enim quæ omnibus videntur ac-

cipit, neq; quæ plurimis, neq; quæ sapientibus: & his neq; omnibus, neque plurimis, neq; probatissimis: sed ex proprijs quidem alicui disciplinæ sumptis, non tamen veris, syllogismum facit. nam vel eo quòd semicirculus describit, nò vt oportet, vel eo quòd lineas aliquas ducit, nò vt ducendæ sunt, paralogismum facit.

Noua differentia excussione, præter tres syllogismi præmōstratas species, quarta in medium depromitur: quam paralogismum seu obrationem uocare consueuerunt: quæ ex proprijs alicui disciplinæ propositionibus decurrat, falsum colligēs. ut in geometria, falsæ descriptiones & demonstrationes apparentes, & in cæteris eiusdem generis: ut arithmetica, musica, astrologia, uisua, quæ omnes circa quantitatem obeunt munus disciplinæ. Distinctionē autē huius à tribus superioribus uel digito ostendere nò erit impendio difficile. In primis quidem à demōstratione diffidet, quòd demonstratio omnis ex ueris & primis cōdēsetur: hic uero, ex falsis. À dialectico autem remouetur, quòd sit dialecticus probabilibus constipatus: hic uero nullam probabilium partem cognouit ad obsequium: qui sit ex proprijs alicui disciplinæ propositionibus corrogatus: at dialecticus, communes sumit & nulli scientiæ addictas ad syllogismum propositiones. Probabilia enim, rei non sunt determinatæ. Demum neque litigioso consentit: ut definitione notum esse potest. nam propter uideri probabile & apparere aliquā descriptionē, non aliquid describitur. Neque eo quòd non concludat litigiosus, dicitur describere falsæ. Ad hæc facit quòd litigiosus sit probabilis apparētis: paralogismus autē, sit necessarij apparentis, & rei determinatæ. quare ab illis ualida separabitur ratione, qui utatur principijs geometricis: è quibus cōsequentiā, tamen male detorta ad demōstrationē faciendam. ut, Ab omni signo in omne signum rectam lineam ducere, & omni centro & spatio circulum describere: quæ primæ libri primi elementorum Euclidis petitiones scribuntur. Qui igitur talibus principijs abutitur, & contenderit describere uel circulos uel dimidios circulos, parum feliciter instructus, uel lineas protrahit indecenti ductu: paralogismum compingit. ut qui triangulum æquilaterum supra rectam lineam collocare non posset, uel reliquas triangulorum formas: quòd male producantur circuli, uel lineæ non suo modo depingantur. similiter qui duo latera alteri æqualia inuertet: quòd omnis triāguli duo latera, reliquo sunt maiora quomodocunque

Differentia
paralogis-
mi.

accipiantur, quæ secunda est propositio elementorum, ad cuius fidem & semicirculos & lineas præter congruum ordinem & iustam describendi legem protraheret: in paralogismum labetur. quare merito conferetur demonstratiõni, paralogismus: sicut dialectico, syllogismus litigiosus. nam duo, recti tenent naturam. quibus duo opposita obliqui obseruant speciem, repugnat enim demonstratiõni paralogismus ex diametro, & dialectico litigiosus: nõ minus quàm uirtuti uitium.

Species igitur syllogismorum ut figura sit complecti, sint dictæ. uniuersaliter autem dicendo de omnibus dictis & post hæc dicendis in tantum à nobis determinetur. Quoniam de nullo eorum exactam rationem assignare prælegimus: sed aliquantulû figura de ipsis volumus pertransire. Omnino ducentes sufficiens secundum propositam methodum: posse cognoscere aliquouis modo unumquodq; ipsorum.

syllogismi diuisionem in quatuor species, in demonstratiõnem, epicherema, contentiõnem, & paralogismum breui admodum discursu ab soluimus. quarum definitiõnes, & numerum attigisse, citra uberiores de his tractatum & exactiorem demonstratiõnem per opportunum fuit. Non enim est præsentis negotij, particulari sermone syllogismorum naturas omnes sollicite peruestigare: & quicquid dici de illis contingit in medium educere. Verum esse satis secundum Methodu præsentẽ uidebitur, uniuersalem præmonuisse syllogismoru cognitionem: quoniam quatuor sunt syllogismoru species: quarum duæ tanq̃ ipsius recti & uirtutis censeantur: demonstratiõ, & epicherema. duæ reliquæ ipsius sinuosi & uitij. Demonstratiõ, & paralogismus circa eadem re subiectã & determinatam, diligenti nauant operã. nam demonstrator ex proprijs alicui disciplinæ, simul & pseudographus: sed ille, rem ipsam uere & studiose demonstrat, hic uero falsè & uitiose. In idẽ enim uirtus & uitij subiectu migrant. Dialecticus, re habet cõmunem: cui consentit & sophistes. Cæteru dialecticus probabiliter differit, sophistes per apparentia solu. Proinde iusta syllogismi distributiõ facta est: quæ omnẽ colligendi speciem complectatur per uniuersalia. Omnis enim qui ratiocinatur, uel per cõmunia rei cõcludendæ, uel propria, ostendit. Quod si per propria decurrat, uel illa erunt uera, & demonstratiõ constituetur: quæ si propria falsã sint, paralogismus nascetur. quare & demonstratiõ non male definietur, syllogismus per propria

Duo colligendi
di moduli.

Quatuor
syllogismoru
rũ formæ.

uera colligēs: & paralogismus per propria falsa, si uero communibus & uagis quid ostendetur, uel probabilibus & dialectico syllogismo utitur, uel apparentibus & contentioso monstratur. dialecticus enim syllogismus est, syllogismus per cōmunia probabilia decurrens. Litigiosus uero est, syllogismus per cōmunia apparentia colligens. Vnde patet tentatiuū syllogismū dialectico supponi: nec plures his esse quatuor rationū formis ratione mōstratū sit: Demonstratione, epiche remate, sophismate, & paralogismo. A numero syllogismorū & specie reijciuntur omnes argumentandi formæ sophistis frequentes: quæ colligendi uim non habent. Qui percupiet diligentem syllogismorum obseruantiam: quod hæc methodus solum communi figura hos concluderit, dictos in resolutorijs & dicendos in redargutionibus sophisticis syllogismos: ad eos quibus præceptio destinatur syllogistica, confugiet. ut qui abundātem omnium syllogismorum constructionem, mediū inuentionē, & demum resolutionem, primum priorum analyticorum reuoluat. Potestatem multa colligendi ex secundo desideret. Demonstrationes libri posteriorum iure hereditario possident, à quibus quiuis locupletari scientiæ cognitione abunde poterit. Dialecticus hic inquiritur, quo & differere oporteat. ad cuius mediū inuentionem præcepta constituētur. de Sophismate particularis habetur traditio in elenchorum libello: quare ad eos recurrendum erit, quibus delegata fuerit prouincia rei petitiæ singularis. breuissime itaque speculati oportuit syllogismorum species: quorum alijs uoluminibus commissā fuisse institutio. Neque tamen prætermittere numerum, definitiones, & differentias illorum inter se, quod sit opus dialectico syllogismo: quem nemo facile deprehendet, nisi differentias syllogismorum, & numerum, & definitiones planè cognouerit. Adiectis tamen singulorum definitionibus & traditis omnibus: unumquēque syllogismorum satis ample intelligere possumus.

Tentatiuū
sub dialectico
co.

De syllogis-
mis nō agitur
accurate.

Consequens profecto erit dictis, dicere: & ad quot, & quæ, utilis methodus. Est sanè ad tria: ad exercitium, ad colloquia, ad ipsas secundum philosophiam disciplinas. Quod igitur ad exercitium utilis, ex his planū est. Nam methodū habentes facile de proposito argumentari poterimus. Ad colloquia autē: quoniam multorum annumerantes opiniones, non ex alienis, verum ex proprijs dogmatibus sermocinabimur ad eos, transmūtates quo-

niam non bene videntur dicere nobis . Ad disciplinas quidē secūdum philosophiam: quoniā potentes ad vtraque dubitare, facile in singulis sumemus & verū & falsum. Insuper autem ad prima circa vnamquaque disciplinam principia: etenim ex proprijs secundum propositam disciplinā, impossibile dicere aliquid de ipsis: quoniā prima principia omnium sunt. Per ea autē circa singula probabilia, necesse de ipsis trāsigere: hoc autē propriū vel maxime peculiare dialectices est . Inquisitiua nanq; existens ad omnium methodorū principia viam habet.

Plurimū superioribus coniungitur, ut huius negotij instituti utilitas omnium oculis conspicienda proponatur . Retro nimirum dicebatur, quod esset propositum: idque inuentionem esse methodi, qua poterimus disserere, fuit adnotatum . Huic autem proximum est, utilitatem adferre. Non enim parum adiuuat, rei susceptæ ad gratiam studiosorum usus amplissimus, & fructus prouenientis cognitio. Ad tria, exercitium, colloquia, & philosophiam, conducere hęc methodum, quam dialecticē appellamus, rationibus confirmare admodum firmis licebit. In primis ad exercitiū, id est, ad consuetus gymnasticos seu ad conatum in utranque partem contradictionis per probabilia dignoscitur utilis hęc methodus: quoniam qui hęc fuerit assequutus, de quouis proposito problemate dialectico poterit probabiliter disserere, quod uocula, τὸ ἐπιχειρεῖν insinuat. Nam eam facimus locorum inuentricem ad omne propositum problema conferentium . quare ad exercitium robur habere ualidissimū dialecticē, quis audeat diffiteri? Quod si exercitium corporis utile sit, & amplectendum, quo corpus incolume conseruetur: laquidum curetur, & corroboretur. animæ honestissimos usus negligemus? ludos contemnemus suauissimos? quibus anima emaræscens excitatur, exhilarare scit, & reficitur. Probantur seruilium improbi labores artium, quibus alimentum corpori adferatur: paruifaciēntne boni iuuenes liberalium cultus, qui animam rem omnium sub cælo nobilissimam nutriunt? Ad colloquia, πῶς τὰς ἐν τῷ ξείνῳ λέγει τὸ ἐπιχειρεῖν πῶς τοὺς πολλοὺς, id est cōgressus ad multos: quibus præditos esse oportet humanos, καὶ φιλεῖν θρωποὺς, conferret. Nam ad dextre conuersandum cum multitudine, cui persuadere aliquid lubet: nulla commodiori ratione id effici potest, quam dialecticæ. quæ ipsi uulgo sit credita & probabilis. Necessarijs autem ratio-

Fructus triplex.

Ad exercitium,

Ad colloquia,

nibus & ex intimis disciplinarum penetralibus erutis, in communi ho-
 minum congressu fidem facere non conueniret: sed ex notioribus sin-
 gulis & magis perspectis. Vulgares siquidem principia potius admi-
 rantur, quam credant: quod ipsorum sint imperiti & rudes, neque ea
 discere contendant. Neque dolis & imposturis circumueniendi erūt,
 neq; arte sophistica deludendi: superest ut probabilibus fidem ingera-
 mus, quæ non ex peregrinis & obscuris quibusdam, sed ex peculiari-
 bus & manifestis dogmatibus, sententijs, nec non rationibus effere-
 tur. Ad euertendum si quid nõ rectè à quibusdam sit positum: ut de-
 fendat Eudoxus Gnidius uoluptatem esse summum bonum, quòd uni-
 uersa illam affectent. qui contèdet oppositũ firmare hac ratione ute-
 tur: Nulla generatio ad naturam sensibilem, est summum bonum (nam
 generatio est quid imperfectũ, & summum bonum est perfectum) at-
 qui uoluptas est generatio, igitur uoluptas non est summum bonum.
 Hæc demonstratio minus multitudini fidei ingenerat, quæ principio-
 rum sit ignara, nec plus credere principijs nouit, quam conclusioni.
 Verũm si à communibus traxerit rationem, & interrogationibus ag-
 grediatur credibilibus: ut nõne credis bonum bonos facere: quemad-
 modũ albũ albos, & calidũ calidos, uides facere? qua posita efflagita-
 bit, si uoluptas sibi bonos facere uideatur: quũ intemperantes, incõtenen-
 tes, aleatores, & uoluptatibus dediti fœdis uituperetũr, nec boni sint:
 quam si concesserit, non bonos uoluptatem facere, manifeste hæc con-
 clusio sequitur, uoluptas non est bonum. ex proprijs respõsionibus &
 probabilibus, sic contingit transmutare alicuius assertionem. Ad disci-
 plinas secundum philosophiam demum conferet, & ueri inuentionem.
 Nam philosophi nomine intelligimus scientiæ & ueri indagatorem seu
 demonstratorẽ. Dialecticus enim & quisquis hac methodo iuste fuerit
 instructus, utranque contradictionis partem rei propositæ argumẽ-
 tis probabilibus ancipitem reddere potest: & is facile in re quauis, &
 quid uerum & quid falsum sit, perspiciet, & quid sequendum intelli-
 get. quemadmodum iudex auditis utrinque rationibus, quid iustum,
 & quid iniustum, ueri lumine intuetur. qui utinam omni re exposita
 & lite perspecta, tam immenso tempore misere altercantes omnẽm-
 que substantiam prodigiõse corrumpentes, non suspenderet, nullus
 haberetur, qui in dies infinitos quasi legibus statutis controuersiam
 produceret. Conferre insuper ad disciplinas secundum philosophiã pro-
 batur: quòd sola sit dialectica quæ ex probabilibus principia probare
 intentet. Nullæ enim disciplinæ principiorum fidem faciunt: quæ de-

Vt in decio
 ethicoꝝ tra-
 dit Aristote-
 les.

Ad discipul-
 nas.

mōstrari nō possint, quōd sint omniū prima & notissima & per se fidē firmissimam habentia. quare tractatus fidei adgignendæ uel soli dialectico, uel illi maxime committatur. Rhetorice etiam credibilia habet: & probabilibus contendit. uerum maxime propriū est dialecticæ per probabilia de principijs transigere. Quoniā est inquisitiua & ueri & falsi per probabilia: in singulis uiam habebit & aditū parabit ad omnium methodorum & scientiarum principia cognoscenda & perquirenda. Vnde colliquefcit quosdā hęc lippientibus legisse oculis, qui temere nimis Aristotelem profitētur dialecticē artiu finibus exclusisse: eāque aptā solū, uel maxime, certaminibus disputationū credidisse: qui non uiderūt à triplici utilitate, triplicem huius naturam, triplex obire munus: nam exercet, obiurgat, & inquit: de quibus in sequentibus libris agetur. Vereor etiam ne forsan ineptior habear, si plusculum curiose persequēdo, collegero triplicem illam utilitatem, patefacere dialecticē de omnibus sollicitam. Nam primus usus, rationalis studium præ se fert: qui in ratiocinio sit positus. Secundus autem, morum traditioni fauet: quippe qui arguendum aut probandum, sequendum uel fugiendum aliquid, amice cōmonstrat. Postremus totis uiribus suffragabitur philosophiæ: quæ in ueri contemplatione sit collocata.

Corollarium.

Habebimus autem perfecte methodum, quando similiter habebimus, ut in rhetorica, & medicina, & talibus potentijs. hoc autem est ex contingentibus facere quæ prælegimus. Neque enim rhetor ex omni modo perfrua-debit, neque medicus sanabit. uerum si contingentium nihil reliquerit, sufficiēter ipsum habere disciplinam dicimus.

Expectabat pridem hunc locum inquisitio illa admodum uulgaris, quis dialectices finis, & quis dialecticē perfecte fuerit assequutus. Nam definitione cognouimus dialecticē, & eiusdem instrumentum, & utilitatem. Nunc demum agendum de opere, & quomodo, & quādo methodum perfecte habuerimus. Dilutio: Consequemur absolutam dialecticē, quando nihil omitemus eorum quæ ad probabiliter differendum conferunt. Nam quemadmodum rhetor ille est perfectus, qui nihil prætermittit, quibus per suadere contingit: similiter & medicus, & quicūque potentijs istis, quibus bene & male uti licet, insigniuntur: si nihil ad opus pertinentiū deserant, quo minus consequantur finem: sic dialecticus perfectus erit, qui nihil reliquerit eorum quæ uidētur

Rhetor perfectus.
Medicus.

Dialecticus perfectus.

facere ad fidem stabilendam probabilibus. commune sanè est omnibus
 facere ex quibus cōtingit, animo destinatum assequi. Neque tamen sic
 fortunæ medicū subijcimus, ut si non sanauerit, nomen suū retinere nō
 possit, quòd aliquando sanitatē impediāt altissima morbi origo, uel ni-
 mia egrotantis morositas, ut qui medico nō credit: nō minus quidē di-
 cetur finis, sanitas. Rhetoris finis, dicēdo copiose persuadere: non quòd
 semp uelimus illū persuadere. de huius fine multa Quintil. recenset lib.
 2. qui in bene dicendo summū collocat rhetoris finē. Verū, bene dicere,
 opus esse uidetur ad aliud relatū. Dialectici finem dicimus, differen-
 do fidem facere. Nam finis in singulis dicitur, ad quem cuncta sint re-
 ferenda. ut effectiuarum artium, finis, opus: actiuarum, operatio: con-
 templatiuarum, ueritas. quoniam dialecticas munere functus probabi-
 liter de re propōsa differit, ut disceptādo fidem faciat. Qui uero stul-
 ta uel præcipiti auditoris credulitate abutitur: ut sunt plerique suis
 & sibi placentes, ut Suffenus ille uel Mæuius: non præstant dialecticas
 officium. Vnde notum est, haud esse dialecticas finem conari ab aduer-
 sario extorquere, quod uelit: cum non omnia ad id instituantur officia:
 neque esse inuenire quæ fidei faciendæ sint apta, & inuēta dispone-
 re, neque accommodatissima ordinare, quòd hæc ad aliud dirigat, &
 propter aliud efflagitet. Neq; opponat quis in illud quod diximus, dia-
 lecticas finem esse, differendo fidem facere, quòd sæpe nō faciat fidem,
 uel ob ingenij tarditatem audiētis, uel quòd aduersarius noluerit per-
 uicax credere, uel difficilior res proponatur, quàm ut paruo tempore
 illius fides parari possit. Neque fecerit ille exercitus & pugna, utri-
 usque finem, uictoriam: neq; duorū athletarum, præmiū, quod utrisq;
 cedere non possit. An dicet satis esse ad strenuum militem taliter dimi-
 care, ut sua culpa, uel timiditate, effectum non sit, quo minus uictoriā
 assequeretur: qui nihil fecerit reliqui ut uinceret? sic dialecticus ille ue-
 rus est & perfectus, nō qui finē suū assequitur, quòd cōtingens sit, sed
 qui potest differēdo fidem facere: seu quod idem, qui nihil deserit eorū
 quæ ad fidem parandam conferunt. Qui nanque præeligit fidem ad-
 gignere, & eorum ex quibus eam facere contingit, nihil negligit, hic
 absolutus sit dialecticus.

Finit.

Remotio ca-
uilli.

Primum igitur contemplandum, ex quibus metho-
 dus, si quidem acceperimus ad quot, & qualia, & ex qui-
 bus, orationes: & de quibus syllogismi, & quomodo
 his abundabimus, habebimus quidem sufficienter pro-
 positum.

Quum nullius rei disciplina & cognitio adipiscatur, quæ uaga & infinita sit: primum dialectices studioso præscribendæ uenient institutiones, quibus non mediocriter adiutus, dialectices cognitionem consequatur. Porro præscribentur quando ex quibus assurgat, & in quibus posita sit dialectica, traditum fuerit. hoc sanè primum est considerandum à dialectico, ut cognoscat ex quibus, & in quibus sit dialecticæ. Cæterum quoniã tria sunt, quibus methodus hæc, seu differendi facultas coalescit: materia, instrumentum, & usus, qui cognouerit & acceperit ad quot, & quæ, & ex quibus fiunt orationes, & de quibus syllogismi, & quomodo his abundare oporteat, habebit sufficiẽter propositum, & intelliget ex quibus, & in quibus collocetur methodus. Ad quot, & quæ fiant orationes, scire condecet dialecticum, ut materiam dialectices non ignoret seu obiectum: ex quibus fiant orationes, & quot, & de quibus syllogismi, ne destituatur instrumento: & quomodo his abundabit, non negliget operam insumere, nisi simul usum & tractatum refugiat.

Trib⁹ affur-
git dialecti-
ce.

Sunt autẽ numero æqualia, & eadem ex quibus orationes, & de quibus syllogismi. fiunt etenim orationes, ex propositionibus: verũ de quibus syllogismi, problemata sunt. Omnis autẽ propositio, & omne problema, vel genus, vel propriũ, vel accidens, manifestat. Etenim differentia, ut est generica, simul generi adiungenda. Quoniam autẽ proprii, alterum quid erat esse significat, alterũ autem nõ significat: diuidatur proprium in utrasq; prædictas partes, & vocetur quidẽ illud, quod quid erat esse significans, terminus: Reliquum autem, secũdum communem de ipsis assignatam nũcupationem, appelletur proprium. Manifestum igitur ex dictis, quòd secũdum præsentem diuisionem, quatuor omnia accidit fieri, vel proprium, vel terminum, vel genus, vel accidens. Nullus autem suspicetur nos dicere, quòd vnũquodque horum secundum se dictũ, propositio, vel problema sit. sed quòd ab his & problemata, & propositiones fiant.

Tribus hæc methodus constare statuebatur, in quibus perquirendis incumbere dialectices amator studebit, pro cuius subleuando labore omnia in ordinem apposite digessit Aristoteles. Materiam omnium

primam ordine indicat uniuersalem, quam ternario, uel quaternario comprehendi fuerit necesse. Nempè materia dialectici dicitur propositio dialectica & probabilis, ex qua sunt syllogismi & disputationes dialecticæ, & talis materia ex qua, subiectum uocetur. aliam insuper dicimus materiam in quam dialecticus suum opus explicat, & problema erit dialecticum. nam obiectum dialectici est problema in quod differit. At propositiones dialecticæ, & problemata dialectica sunt æqualia numero. Nam tot sunt quibus assurgit propositio dialectica, quot quibus problema dialecticum & assurgit & denominatur. quoniam uel tria sunt numero uel quatuor prædicatorum nomina, à quibus totidem & propositiones non solum dialecticæ uel problemata, uerum omnes propositiones & quæcunque problemata originem & denominatione accipiunt. Omnis enim propositio, ei qui tria fecerit prædicata, & omne problema in triplici constituetur differentia: quòd indicare uel genus, uel proprium, uel accidens necesse fuerit. quare & omnis interrogatio dialectica ab his tribus trahetur, & problema. quare si ab eisdem numero, id est, tribus prædicatis, & in eisdem propositiones, ex quibus argumētationes, & problemata sint, de quibus syllogismi fiant, manifestum est æqualia esse numero ex quibus orationes & de quibus syllogismi. De problematibus quidem omnis disputatione communitur per propositiones. quare qui tria fecerunt prædicata, genus, proprium, & accidens, & in omni problemate, atq; propositione aliquod trium prædicatorum necesse sit collocari, tot esse species propositionū, quot problematum, construēt. quoniā tres. Huic numero uidetur arrisisse antiqui, qui tria prædicari, genus, propriū & accidens tradiderint. Verum quoniam illa in tria membra prædicatorum diuisione, ex quibus enascitur & triplex omnium propositionum & problematū distinctio, proprium sumitur simpliciter pro omni quod cōuersim de re prædicatur: & quoniam illius nō est simplex natura, quandoquidē unū quid est indicet esse recurrēs, alterum uero nō significet quid est esse, sed solum retro agitur & reuertitur: uariū dicere proprium congruum fuit, totāmq; illius naturā in duo diuidere. Illud autem propriū quod indicabit quid est esse, appellabitur nouo nomine terminus. Reliquū uero, quoniā non conueniens suppetit, quo nomine singulari uocetur, retinebit nomen, ne prorsus aliquo defraudetur, quo antiqui promiscue utebantur ad utrunque. Verum rebus tanto interstitio dissidentibus æmulis literarū pergratum esse debet, si nomina imponantur diuersa, ut res singulas acceptis uominibus &

Materia
omniū
pra.
ma.

Tot genes
ra ppositio
nū quot pro
blematum.

Proprium
duplex.

distinctis appellent. Manifestū itaque fuerit etiā ex hac diuisione proprii in duo membra, si quis eam obseruauerit recenter natam & nuper productam, equalia numero esse propositionem & problema, utpote quatuor. quoniam quatuor prædicatorū instituuntur differentiæ & prædicata: propriū, terminus, genus, & accidens. à quibus eisdem postquā desectuntur & propositiones & problemata, equalia erūt numero propositiones & problemata, nam omnis propositio uel proprium, uel terminū, uel genus, uel accidens indicabit. similiter & problema. quatuor igitur erunt omnia ex hac diuisione. Quare siue sequatur quispiam superiorē illam & antiquā prædicatorum traditionem, siue ab Aristotele factam proprii diuisionem, clarissima semper euidet conclusio, æquales numero sunt propositiones problematibus secundum speciem: quoniam uel tres uel quatuor. unde simul peruium esse potest Aristotelē nō uocasse quicquid omni & soli inesset & semper proprium, sed antiquos potius: qui dicat, Reliquū autem secundū communem de ipsis assignatam nominationem appelletur proprium. & præsentem seu nunc diuisionem proprii appellat quod κατὰ τὸν ὄρον ἀίρεσις dixit. Neque uerum esse quòd proprii nomine complexus sit differentiam qui premonuerit differentiā genericam adiungendam esse generi. Vnde facilis dilutio obiectionis concipitur: quæ fieri solet de propositione uel problemate in quo differentiā prædicatur nō existens aliquod quatuor prædicatorū. Quatuor solū esse prædicata inductione & syllogismo fiet manifestum suo loco, impræsentiarū hæc ratio sufficiat: Omnis propositio & omne problema quodcumque illud fuerit terminum habet prædicatiuum, at omnis terminus qui prædicatur de subiecto, uel est de substantia subiecti uel non. si de substantia subiecti fuerit, uel genus, uel definitio: si autem non sit de substantia subiecti, uel proprium uel accidens. quare omne problema & omnis propositio indicabit uel genus, uel terminū, uel proprium, uel accidens, quoniā omne quod prædicatur siue de substantia subiecti, siue nō: est uel genus, uel terminus, uel propriū, uel accidens. quare solum quatuor prædicandi differentiæ & formæ. Neque opinari oportet unuquodq; prædicatorum simpliciter dictum esse problema, uel propositionē, cui dictū sit, diuisione proprii facta, quatuor omnia accidere fieri, uel proprium, uel terminum, uel genus, uel accidens. quoniam prædicata propositiones non sunt, sed ab ipsis quatuor, assurgere omnia problemata & propositiones datur intelligi: à quorum distinctione nec non denominatione, distinctionem & denominationē mutuantur & problemata

Dilutio facilis de differentia.
Quatuor sunt prædicata.

Et propositiones, à subiectis autē nullam accipiunt: quibus tamen cōponuntur. quòd subiectū materiæ uicēs subeat, cuius non est distinguerē, nec denominare, sed est formæ, cuius prædicatū naturā retinet. ad hæc subiectum idem quatuor prædicatorum formis potest supponi, ut homo animali, animali rationali, risibili, colorato. quare à prædicato trahenda est distinctio conuenientior.

A subie. His
nō trahitur
distinctio
propositiōnū

Differūt autē problema, & propositio, modo. Nā cum sic dicitur, nunquid animal gressibile bipes, definitio est hominis? & nūquid animal genus est hominis? propositio fit. verū si, utrū animal gressibile bipes, definitio sit hominis, an nō? problema fit. Similiter autē & in alijs. quare merito æqualia numero, problemata, & propositiones sūt. Nā ab omni propositiōe problema facies trāsmutās modū.

Discrimen accipiunt problema, & propositio, penes pronuntiandi modū & usum. Nā si efferatur interrogatio per utrum seu πότερον, problema fit: cū uero per nunquid, uel an, seu ἄρα, propositio. Problema etenim utraq; cōtradictionis partem inquirat & interrogat, ut utrū mūdus sit sphericus, an nō? uerum si alterā partē nota interrogādi efferat, propositio: ut an mundus sit æternus? quare & numero æqualia conspiciūtur problemata & propositiones: quoniā à quatuor prædicatis eisdē utraq; sūt, sola distiūctione interrogādi posita. Nā ab omni propositiōe fiet problema, trāsmutatione notæ interrogādi. Non tamē credere leuiter oportebit, omnē interrogationē à quatuor prædicatis seu ab aliquo quatuor horū cū nota interrogādi utrū elatā, esse problema dialecticū, neq; cū interrogatur per an, uel nūquid propositio sit dialectica, quòd multa interrogētur talibus notis, quæ dialectica nō sint, quod notū esse potest ex superioribus. Nam nō solum propositiones dialecticæ quatuor illis prædicatis cōficiūtur, sed omnes, siue demonstratiuæ, siue sophisticæ, siue dialecticæ sint: quibus omnibus notæ illæ adiūgi possunt, et si fortasse nō sit necesse: illas tamen omnes nemo diceret dialecticas, ut quæ sunt prorsus indubitabiles, uel in ueritate, uel falsitate. quare nō fuerit necessariū quæ pponūtur in dubitationē pro exemplis adducta si problemata uel propositiones dicātur, cōtinuo esse dialectici muneris. Incredibilis enim esset interrogādi notæ uirtus, si demonstratoris clarissima principia, uel illis opposita, uel sensu manifesta, dialectica redderet. Quare in super nō oportet, si ab omni propositiōe problema trahatur modi trāsmutationis, & cōtra, ex omni pro-

Nota inter
rogandi.

Non ab omni
propositiōe
fiet dialec
ticū proble
ma, neq;
contra.

positione dialectica, posse fieri problema: neq; contra. quòd propositio
 nes aliquæ dialecticæ, quæ omnibus uidetur, ut ex definitione ppositi-
 tionis clarū euadit: tales autē nullo modo cōtingit pblemata fieri dia-
 lectica, ut liquet ex definitione pblematis dialectici. Insuper sunt quædā
 pblemata dialectica, de quibus neutro modo opinatur homines, quæ in
 possibile est dialecticas fieri propositiones. quare nō modi interrogādi
 & notæ interrogādi trāsmutatione dissident propositio dialectica, &
 problema dialecticū: sed & maiori claritate & fide. Propositio diale-
 ctica si cōferatur problemati dialectico, notior esse debet, quòd per eā
 in problema differatur. Nam omne problema dialecticū redditur cla-
 rius & probatur propositione dialectica: quæ omnē problematum ob-
 scuritatem pro uiribus extrudere per syllogismum disposita conetur.
 Quòd si quis statim occurrat, quòd propositio dialectica, interroga-
 tio est, at interrogationibus nō sunt syllogismi: respōdet Aristoteles in
 principio Priorum, propositionem dialecticam sciscitāti interrogatio-
 nem, sed ratiocinanti, sumptionem esse: & ea accipitur à responden-
 te qui interrogationem propositam concedit.

Dicendum autē quid terminus, quid genus, quid pro-
 priū, quid accidens. Est autem terminus quidem, oratio
 quid erat esse significans. Assignatur autē vel oratio pro
 nomine, vel oratio pro oratione. Possibile enim & eorū
 sub oratione significatorū, quædam definiri. Quicumque
 autem quouis modo nomine assignationē faciūt: manife-
 stum quod nō assignāt ipsi rei definitionē: quoniā omnis
 definitio, oratio quædā est. Definitiuū tamē & tale ponē-
 dū est, ut quòd honestū est decens. Similiter autē & hoc:
 utrum idem sensus & sciētia, an diuersum. Etenim circa
 definitiones utrū idem vel diuersum, plurima fit immo-
 ratio. Simpliciter autē definitiua omnia dicantur, quæ sub
 eadem existunt methodo cū definitionibus. Quòd au-
 tem omnia nunc dicta talia sint, manifestum ex his. Po-
 tentes enim quòd idem & quòd diuersum differere: eo-
 dem modo & ad definitiones argumentari abunde pote-
 rimus. Demonstrantes enim quòd non idem est, destrue-
 mus definitionem. non tamen cōuertitur, nunc dictum:
 non enim sufficiens ad construendam definitionem, de-

monstrare, & idem sit: ad destruendam tamen sufficiens, demonstrare quòd non idem est.

Quemadmodum in cæteris diuisio definitionem præcedit, quòd genus & differentiæ, quibus est opus ad definitionem, diuisione conciliantur: sic factam diuisionem in quatuor membra prædicatorum, eorundem definitio sequetur. Dicendum igitur, quid unūquodq; prædicatorum, ut singula uberius exequantur. Non enim prodesset nomina habere, & numerum, nisi eadem cognoscantur proprijs definitionibus. Primum omnium, terminus definitur, quòd perfectior, & natura prior cæteris prædicatis, ut qui omnia prædicata in se possidet. Est autem terminus, oratio quid erat esse significans. Transfertur termini nomen, à regionum finibus, quibus circūscribuntur ipsæ, & ab alijs disiunguntur. nisi enim assignaretur fines, in infinitum res ipsæ abire cernerentur, neq; deprehendi possent. at omnis finiti secundum se est aliquis finis & terminus, sic finitio seu terminus est certa alicuius rei comprehensio. quid enim aliud est definire, quàm rem ipsam intra suos fines comprehensam significare? Quibus oporteat cõfici terminum, in sexto dicitur, & de legibus ad constructionem obseruandis. Neq; uis facienda in uerbo (erat) immixto definitioni termini, quòd idem sit cum uerbo est: ac si diceres, est oratio quid est esse significans, seu quæ substantiã explicet. superest discutiamus, de quibus habeatur definitio, & quæ definitioni annectantur. Assignatur definitio oratio quid est esse indicans, pro nomine & eo quod uoce simplici profertur. ut est hominis definitio nonnunquam pro oratione. Non enim solum possibile est definiri quæ nomine significantur, uerum & quæ oratione exprimiuntur. Nam si nomina simplicia definiantur, per complexum horum simplicium, & definitiones constituantur illorum: ut hominis albi definitio, animal rationale mortale coloratum disgregatiuum uisus. de quorum complexorum definitionibus statuendis, in fine sexti. sit igitur notum definitionem esse incõplexorum & cõplexorum, quòd accrescere possit illius orationis una definitio, cuius partes definiuntur, definitionum assignatione utriusque partis. Quicunq; uero affert nomen, et si notius sit altero, pro alterius definitione, male tentabit definire. ut qui conaretur definire, quærenti quid est honestum, per decens. tales enim assignationes definitionum per nomina certum est non esse terminos: quòd definitio seu terminus oratio sit. quare minus definiet qui pro oratione nomen attulerit, definitionem. quis enim probè definiens posuerit boni laudabilis definitionem esse honestum? quòd orationis, nomen faceret definitionem. quare definitio potest esse oratio de oratione & de nomine: non

Terminus.

Quibus assignatur definitio.

Nomine non contingit definire.

Nomē alteri idem, de finitiuum.

Questiones eiusdē numero definitiuae.

autem nomen de oratione, neque de nomine. definitiuum tamen erit & accommodandum termino, nomen pro definitione traditum alicuius, quod consentiat definitioni in conuersione, & notiore explicacione. nam & nominis & orationis ad aliud nomen clarius conuertibile fieri potest traductio. Adiunguntur insuper problematibus definitionis quæstiones, utrum eadem numero an diuersa sint, ut utrum sint eadē numero sensus & disciplina, an differant. similiter utrum sint eadem intemperantia & incōtinentia numero, an nō. Omnes enim tales quæstiones de eodem simpliciter & proprie dicto, adiunguntur definitioni, quod in problematibus definitionū plurima fiat quæstio & disputatio utrum definitio assignata, sit eadem numero ipsi definito, an diuersa. Nam destruitur terminus qui monstratur non idem & unus definito. oportet itaq; definitionē eadem numero esse nomini. quarū enim rerū eadē est definitio, & res eadem monstrantur. & quarū diuersa est substātiæ ratio, res diuersæ. Et uniuersaliter, omnia problemata ueniunt adiungenda definitioni, quæ cadunt sub eandem methodū cū definitione. at quibus inquirimus, utrum sint eadem numero an diuersa, ea continentur sub methodo cōgruente definitioni: quod ea ipsa methodo, qua poterimus idem uel diuersum ostendere aliud ab altero, eadem facili negotio argumētabimur ad definitiones. Nimirū qui potest confirmare assignatā orationē pro definitione nō esse definito eandem, destruit orationē positā pro definitione, esse definitionē. Probatio enim diuersi, uiriliter infert euerisionē. Ratio tamen constructiua unitatis multū erit infirma, quæ nullā uim adferre possit cogentē. nō enim qui demonstrat orationē esse eandem numero nomini definiendo, necessitate colligit, orationē positā, esse definitionē. quoniā multæ sunt orationes (ut taxā nomina eadem) quæ eadem sunt numero alicui, nō tamē definitiones recipiuntur: ut propria, ut accidētia, ut homo albus, homo currēs, homo comedens, sunt eadem numero. Neq; oportet quis perperā intelligat, omnia problemata eiusdē, ad definitionē reuocari: quod idem triplex sit, numero, specie, & genere: sed ea quæ de eodem numero uel diuerso inuestigant. de quo abunde in septimo statim discussso sermone de definitione.

Proprium autem est, quod non indicat quid erat esse, foli uero inest, & contraprædicatur de re: ut proprium hominis, grammatices esse susceptiuū. Nam si homo est, grammatices susceptiuus est: & si grammatices susceptiuus est, homo est. Nullus enim propriū dicit contingens

alteri inesse, vt dormire homini: neque si forte secundum aliquod tempus, soli insit. Si autē fortassis aliquid & dicatur taliū proprium, nō simpliciter, sed aliquando, vel ad aliquid, proprium dicetur. ipsum siquidē ex dextris esse, aliquādo proprium est: bipes autem, ad aliquid propriū est dictum, vt homini ad equū & canē: quoniā sanē contingentiū alteri inesse, nihil cōtraprædicatur, manifestū. Non enim necessariū, si quid dormit aliud, hominē esse.

Proxime proprij determinatio per definitionē, terminū sequitur ob magnam inter se cōiunctionē. nam cōmune est termino & proprio, soli & omni cōuenire, & cōtraprædicari de specie. In eo tamē discrepāt: quòd terminus omnis, sit oratio & quid est indicās. Propriū uero sit oportet nequaquam oratio: neque indicare quid est potest, sed quandam dispositionem naturalem, ut hominis erectum habere uultum: uel potentiam, ut scientiæ susceptiuum, & risibile: uel actum, ut diuini corporis & cælestis, semper moueri. quapropter plura unius nō inconuenit esse propria, sed non eandem proprietatem indicantia. Quoniam proprium habet conuersim prædicari, illud non recipietur proprij nomine dignum quod soli non conuenit: sed uerius id cōmune appellabitur. Neq; si quid fortuna quadam & casu contigerit soli inesse per aliquod tempus, statim dicendum erit proprium: quod si cui placuerit proprium uocare, non tamen simpliciter appellatur, sed cū de terminatione. sed de his hætenus. latius in quinto extēdetur proprij natura, & quibus annectantur propria illa.

Proprium
varium.

Genus autē est, quod de pluribus & differentibus specie in eo quid est prædicatur: in eo sanē quid est prædicari talia dicuntur, quæcūq; cōuenit interrogatū assignare, ad quod est propositū. quemadmodū de homine, cōueniet interrogatum quid est propositum, dicere & animal. Genericū autem & hoc, utrū in eodem genere alterū alteri, an in diuerso. Etenim tale sub eadem methodum cadit cū genere. differentes nanq; quòd animal genus est hominis: similiter autē & bouis, disputantes erimus, quòd ipsa in eodem genere. si autem alterius demonstramus quòd genus est, alterius autē quòd nō est: differentes erimus quòd non in eodem genere ipsa sunt.

Genus definitione susceptum ante accidens, quoniam de substantia rei sit, & definitionis altera pars: cuius tradita definitio etiam pueris nota est. Generi adiunguntur problemata de eodem genere, uel diuerso. simul & quibus quaerimus eadem sint specie uel diuersa. Nec est praetermittenda de differentia quaestio, quam huic adnectendam praescriptum est. Differentia nempe cum genere de subiecto secundum substantiam praedicatur. a genere tamen differt, quod hoc in quid: differentia uero in quale. quonia genus & differentia subiecta speciem constituunt, necesse est illius substantiam referre. quare differentiam cum genere recurrerem nemo dubitat adnectendam generi esse. Caeterum de differentia cum specie infima conspirante, cui praedicatorum adiungatur, apud auctores uarie disputatum est, nec satis constat. Similiter & de specie infima quaestiones, si sint alicui praedicatorum conferendae. Boetius etenim, omnem differentiam siue diuisiuam, siue constitutiuiam, generi adponendam in Topicis tradidit: ast Rodolphus Agricola, ut speciei comparatur, cuius substantiae est pars, propriu uult dici rectius, quam differentiam, atque omnem adiungendam proprio putauit ea significatione, ut dicatur proprium quicquid conuersim de re praedicatur. cui suffragatur ratio, nam omne quod conuersim de re praedicatur, uel terminus est, uel proprium: at differentia conuersim praedicatur de re, & non est terminus: igitur propriu. Non desunt alij qui differentias infimas euertant, & esse negant ex Aristotelis intelligentia. quare nullam ab eodem talium factam fuisse mentionem. & Porphyrium diligentem Aristotelis asseclam, eiusdem fuisse sententiae, ut nullam differentiam infimam posuerit, etiam quasi iuramento testantur. Verum hi minus accurate utrosque euoluerunt, quoniam quarto Topicorum habetur quod de paucioribus differentia, quam genus. quare sumpto genere infimo, differentiae in quas diuidetur genus, cum speciebus recurrent. nam si genericae essent, & pauciora significant, quam genus: non igitur datum erat genus infimum. Insuper differentia (ex eodem) semper de aequalibus, aut pluribus, quam species dicitur: quod si de aequalibus cum specie, infima erit. Similiter, in differentia genus non ponitur. Nam differentia non continet genus: quia de pluribus oportet genus quam differentiam dici. adhuc, si nulla differentia generis praedicatur de specie assignata, nec genus praedicabitur. quare si constituitur genus infimum, & differentiae illius ultimae erunt. Praeterea omnis differentia specifica cum suo genere speciem facit: quod si non, neque differentia erit. Insuper differentia non pra-

Cui annexatur differentia.

Boetius.

Agricola.

Quidam negant differentias infimas.

Refutatio.

dicatur de genere, nec species: eo quòd genus de quã plurimis omnium dicitur. Ex quibus innotescit Aristotelem duplicem constituisse differentiam: quod & manifeste ex secundo posteriorum intelligitur. Insuper ex quinto Topicorum. nam habet, quicquid de subiecto conuersim prædicatur & non est terminus neque differentia, esse proprium. Cæterum & ex Porphyrio, an colligi possit, doceamus. in primis habet, differentia est qua abundat species à genere. & ut definitionem illam paucis aperiamus, nihil aliud est speciem abundare differentia à genere, quàm speciem præter genus habere in sua constitutione & definitione differentiam. quòd semper cum genere & differentia constituitur species. igitur præter genus, ipsa species abundat differentia. Insuper, inquit, sicut ex materia & forma res naturalis efficitur: ita ex genere & differentia species. Et in conuenientijs, differentia in pluribus sæpe speciebus consideratur. Et, differentia proprium est, sæpe de pluribus speciebus dici. Et genera præiacere oportet, & informata differentijs specificis, constituere species. Insuper differentia non continet species tot, quot genera. adhæc, ratione facile est monstrare, differentiam infimam, & cum specie indiuidua recurrere. At statim argumentū parabit uehemens aliquis colluctator, quòd si duæ sint differentia, opus esse sex prædicabilibus. Nam sicut duo sunt quæ ponuntur in quid prædicari, species & genus, alterum de differentibus numero, alterum specie: sic duo in quale substantiale. quare illa fuerunt distinguenda, nam alterum de differentibus numero, alterum de differentibus specie, prædicari dicitur. quibus adiunguntur & proprium & accidens, igitur sex uoces. Huic resistet, qui omnem differentia formam esse, quæcunque habeatur, & facere differre respondet, à quo nomen accepit differentia. quare una uoce utraque complectenda uenit, & diuisua & constitutiua omnis existit. at genus, quia rationem materiae subit, species cõpositi: fieri non potuit, ut eodem nomine complecterentur: quòd pars à toto longe sit diuersa. sicut enim nomine generis, comprehendimus & subalternum & summum: & accidentis, inseparabile, & separabile: sic differentia uoce, omnem differentiam & genericam & specialissimam. sed de his forsitan nimis curiose. Redeamus unde digressi sumus. Quidam uero astringendam differentiam termino esse aperto marte decertant, quòd conuersibilis sit, & de substantia rei. Quare ex illo ueluti opinionum aceruo quas decerpamus saniores, non est facile conijcere, quum unaquæque earū grauissimos pro se habeat authores. ne quo tamen offendi-

In idem ex
Porphyrio.

Obiectio.

Dilutio.

Quidã tertio
mino differē-
rentiam ad
iungunt.

Differentie
collatio.

culo quis obruatur, acriter animum intendemus in nō leue discrimen pro studio forū institutione. Differentia igitur infima si conferatur ad inferiora & de indiuiduis prædicatur, rationē generi cōiunctam recipit, & generi adiungatur, quod non de recurrentibus prædicatur, & substantiam dicat. Si uero prædicatur de specie conspirante, potius termino, quā proprio uelimus adhærere & annecti: quod sit de substantia rei & conuertibilis, quod proprio non conuenit: & eo magis accedit ad naturam definitionis, quā proprii: quod ingreditur contextum definitionis, non proprii. Idem de differentia cum genere conspirante, uenit dicendū: quæ si conferatur generi æquo, non amplius generis habet naturam: sed definitiui. Nam definitiua sunt ea omnia & definitioni adferenda problemata, in quibus idem de eodē prædicatur secundum substantiam, & notius prædicatur: ut monstratum de honesto & decente. Quare omnis differentia, siue ima, siue non, si in quæstione prædicatur de inferiori, generis redolet naturam, & illi adiungendam putamus, dicitur eō genericam. Nam ut generis est de pluribus prædicari, sic differentia sub tali habitudine acceptæ. Si uero de æquali prædicatur: definitioni potius, quā cæteris annectimur: quod parum à definitione sic collata distare conspiciatur. Nam genus suum includit, & infert, quod positum cum ea clare definitionē construere, quis non nouit? quare ingeniose dictū est, differentia ut existit genericam, cum genere ordinanda est. Nam omne genericum, generi annectendum: ut uero definitiua & constitutiua, quis negabit definitioni adhærere? Ad rationem confirmantem differentiam recurrentem esse proprium, facilis habetur responsio: quod non sumat adiungenda definitioni. Nam non omne (ut ex Aristotele notū est) quod conuersim prædicatur de re ipsa, est definitio, uel proprium: cum decens honesto coincidat & æquale, quod non est proprium, neque definitio: sed est definitiuum & definitioni adiungendum. Cæterum si ratio firma esset, probaret & differentiam esse definitionem. Nam differentia nulla re ipsa eadem est cum proprio: quod si conuertatur, & non sit propriū, igitur definitio. quare necesse fuerit intelligere adiungenda illis. Quæstiones de specie nullas esse dicunt dialecticas: quod de indiuiduis solum prædicatur talis species infima: quorum nulla est ars, neque disciplina. quare reijciendas esse. sed siue dialecticā quæstionē uocent, siue nō, haud effugiūt esse quæstionem. qui enim inquit de specie ad indiuidua quod proprie prædicatur de indiuiduis: uidetur à coniugatis prædicatum dici. Præterea non oportet, ut prædicatum dicatur:

Solutio rationis.

Quæstio de specie.

Tacita responsio ad quosdam.

propositionem consuere dialecticam . nam ut dicimus & iterum dicitur, multæ sunt propositiones, quæ dialecticæ non sunt interrogatæ: & in quibus nõ est disciplina: quas prædicato si quis destituerit, oportet & demonstratiuas propositiones prædicato destitui: quòd dialecticæ non sint. Insuper quæstiones de eodem secundum speciem, uel diuerso, plurimæ sunt à dialecticis: quas oportebit alicui prædicatorum adiungere. quòd si eas adiunxerint generi, quare & speciem nõ adponent? ad nullum enim prædicatũ uidentur comodius reuocari, quàm ad genus. Nã sicut genus de speciebus, ita species de indiuiduis prædicatur: & eandẽ habet uim species ad indiuidua, quam genus ad species: nihilque ad argumentandi rationẽ propemodũ differre uidentur. Quare nõ erubuit Agricola in locis recensendis, uocare, quicquid de pluribus prædicaretur in quid, genus: & de quo id prædicatur, speciem. Nos autem dicimus esse genus uel accommodatum generi, quicquid in quid prædicatur. neq; enim indiuidua, species uocare uolumus: neque species infimas, genera. quapropter problemata speciei, generi adiungimus: nõ quòd eadẽ sint speciei & generis, sed cõsimilis & analogus in his paratur differendi modus: quod ex quarto agnoscitur. nã de differentia, specie & genere proferuntur rationes & elementa eadẽ.

Agricola.

Species attribuitur generi indifferendo.

Accidens autẽ est, quod nihil quidem horum est, neque terminus, neque proprium, neq; genus: inest tamen rei. Et quod contingit inesse cuius unius & eidem, & non inesse: ut sedere, contingit inesse alicui eidem, & nõ inesse. Similiter autem & album. nam idem nihil prohibet aliquando album, aliquando autem nõ album esse. Est autem accidentis definitionum secunda melior. Nam cum dicitur prima, necessarium est, si debeat quis intelligere, præscire quid est terminus, & genus, & propriũ. Secunda autem perfecta est, ad cognoscendum quid est, dictum secundum se.

Accidentis duæ traduntur descriptiones: una ex negatione superiorum. Nam cum habemus tanquam principium, omnẽ propositionem esse à genere, uel proprio, uel termino, uel accidente, & omne problema quodcunque nõ fuerit ab aliquo trium superiorum, necesse est ab accidente corrogari. quare quicquid prædicatur quod non sit terminus, neque proprium, neq; genus, neq; illis adiunctum (de quibus dictum) necesse est accidens. Hinc ad illius cognitionẽ trium superiorum.

Definitiones accidentis.

prænotiones desiderantur. nemo enim dijudicabit quippiam, non esse
 genus, uel proprium, uel terminum, nisi qui præsciuerit, quid genus, quid
 proprium, quid terminus. ex affirmatione, negationem cognoscimus. Al-
 tera itaque subiungitur: neq; aliorum usum, neq; cognitionem depo-
 scens: quo nomine & constantior, & melior euadit: quæ etiam ex na-
 tura & rei substantiâ uenatur. Hic inquirent nonnulli, an hac definitio-
 ne posteriore, similitas nasi, oculorum cæcitas, albedo niuis, calor ignis,
 & corporis color contineantur: quæ omnia quidam ab accidentiu nu-
 mero submouenda putant, quod non eidem inesse & non inesse contin-
 gat. Verum quando neq; materiam neque formam rei referunt om-
 nia illa, neque genera, neq; differentias, neque terminum dici, exploraa-
 tum esse debet: quod genus & differentia, & terminus, rei substantiâ
 complent & perficiunt. & quod propria non sint, constat, quod non
 conspirent. nisi de colorato quis dixerit esse proprium: quod multi uo-
 luerunt. In primis notum est non solum corpus esse coloratum: sed &
 superficiem: quod corpus per superficiem, dicitur coloratum. Insuper
 neque color corpori substantiali per se inest. Ad hæc, neque simplicia
 corpora colorata sunt, quod qualitatum primarum complexu acquiran-
 tur colores. Neq; aliquis colorum subiecto cuiuspiam potest esse proprium. in-
 super proprium neq; magis neq; minus suscipit, coloratu autem intendi-
 tur, & remittitur. Similiter haberemus proprium non posse prædicari
 de indiuiduis sub specie. nam coloratum de aliquo corpore ut proprium
 non potest prædicari, quonia & album & nigrum niuis non sunt propria:
 cui autem species accidunt, & genera necesse est. neq; proprium quantita-
 tem præscribit: coloratum ut in sit, magnitudinem uult præiacere. demum
 res ipsa conuincere uidetur, quod sicut aliorum sensibiliu facimus quali-
 tates accidentia, sic & uisibilis corporis. Consimilibus argumentis in
 alia differi potest, si propria defendantur. Alij sunt qui talia accidentia
 uocant priori definitione accidentis comprehensa, non autem posteriore:
 quod faciant posteriorem solum complecti separabilia accidentia, priorem
 etiam inseparabilia. Verum non possum argumento duci quo sciant illi
 Aristotelè duplici nomine & definito uti in duabus dictis descriptio-
 nibus, qui nullam fecerit distinctionem. sed id omne uocat accidens quod
 genus, uel terminus, uel proprium non est. quod satis innotescit ex demõ-
 stratione quatuor prædicatorum. Nam, inquit, dicebatur accidens, quod
 neq; genus, neq; terminus, neq; proprium, inest autem rei. Similiter quarto
 topicorum habet, Qui album fecerit genus cygni, male assignauit: quod al-
 bum accidens sit & qualitatem significet. Verum quid dicemus ad ea o-

Dubitatio.

Ratio non
nullorum.

Coloratum
est proprium.

Quorundam
opinio non
admittitur.

omnia quæ proponerentur, si accidentia sint, poterunt inesse & non inesse? An tam separabilis quàm inseparabilis cum Porphyrio defendimus esse definitiones utraq; & omnia accidentia posse inesse & non inesse eidem: at separabilia ad utrumq; exire parata sunt, inseparabilia uero, quasi rei perpetuo copulata, nõ disiunguntur re ipsa, sed mente & cogitatione. ut si quis à coruo separauerit nigredinẽ, nõ minus coruus quàm prius erit. Quod si obijciamur de proprio quod possit inesse & non inesse intelligentia, id inficiamur præter corruptionem rei, cuius dicitur proprium. Nemo profecto potest intelligere risibile non esse, nisi simul & hominem: se mutuo nanque inferunt & constructiue & destructiue. Inde tres Porphyrij descriptiones credimus recurrentes, & eiusdem definiti: quod ex diuisione ab eodem tradita satis clarescit.

Adiunguntur autem accidenti & ad inuicem comparationes quouis modo ab accidente dictæ. vt utrum honestum an utile eligibilius, & utrum quæ secundum virtutem an quæ secundum fruitionem delectabilior vita, & si quid aliud consimiliter sit his dictum. in omnibus autem talibus utri magis prædicatũ accidat, quæstio fit. Notum est autem ex his quod accidens nihil prohibet aliquando & ad aliquid proprium fieri. vt sedere accidens existens, quando quis solus sedet, tunc aliquando proprium erit: solo autem sedente ad non sedentes proprium. Quare & ad aliquid & aliquando nihil prohibet accidens proprium fieri: at simpliciter non erit proprium.

Quemadmodum singulis adiunximus prædicatis, consentanea & propinqua, ut termino, de eodem & diuerso numero quæstiones: generi autem problemata differentiarum, & eiusdem genere uel diuerso: proprio quidem, problemata propriorum ad aliquid, & aliquando: sic consueimus accidenti problemata à comparatione: quod omnis comparatio sit ipsius accidentis. neque enim genus, neque terminus, neque proprium, magis uel minus suscipit: sed solum accidens. quare in sum fuit ut ad accides, à comparatione problemata reuocarentur, quouis modo in comparatione uenerint quæstiones: siue uni duo conferantur, ut utrum magis sanitas sit incunda, quàm utilis, an non? siue duobus unum, ut utrum diuitiæ magis quàm sanitas expetendæ, an non? siue duobus duo, ut utrum sanitas sit magis bonum quàm morbus malum, an non? Vnum uni comparatur nequaquam. uerum de his in secundo & tertio amplius. Veniunt in compara-

Ad rationem
responsio.Duplex acci-
dens.

Obiectio.

Comparatio-
nes accidenti
coherens.Comparatio-
nis forma.

Propriū ad
aliquid.

tionē quæ in cōsilijs deliberationibꝫq; proponuntur. ut utrū bellū ge-
rendum, an non? utrū ducēda uxor, an nō? in quibus utilitas queritur,
uel aliud accidentis nomine complexum. Adiungi etiam possunt acci-
denti, propria ad aliquid, & aliquādo uocata. quōd nihil prohibeat ta-
lia accidentis definitione contineri. nam si detur accidens quod pluri-
bus inerat, uni nunc insit: fiet proprium aliquando, & ex hypothesi:
si solus quis sedeat. Poterit & idem fieri ad aliquid proprium, ad non
sedentes comparatū. quare ut propria dicuntur, proprio adiūgenda:
ut autem accidentia, accidenti. Propriū tamen simpliciter, & quod con-
uersim de re prædiatur, nunquam accidens fiet. Sic continget eadem
problemata denominari ab accidente, & à proprio aliquando, uel ad
aliquid, ratione diuersa.

Non lateat autem nos, quōd omnia quæ ad propriū
& genus, & accidens dicuntur: & ad terminos conueniet
dici. nam demonstrantes, quōd non soli insit, quod sub
definitione, uti & in proprio: uel quōd non genus, quod
assignatur in definitione: uel quōd non inest aliquid co-
rum in ratione dictorum, ut in accidente quidē dicitur:
destruentes erimus definitionem. quare secundum prius
assignatam rationem omnia quidem erunt aliquo modo
definitiuā annūmerata. Sed non propter hoc vna in om-
nibus vniuersalis methodus querēda. neque enim facile
inuenire eam cōtingit: & si inueniatur, omnino imma-
nifesta & inutilis erit ad propositum negotium. Propria
autem secundum vnumquodque determinatorum gene-
rum assignata methodo, facile ex his circa vnumquodq;
proprijs, decursus propositi fiet. quare vniuersali figura
sanē quemadmodū dicebatur prius, diuidere oportet: re-
liqua vero, quæ maxime singulis familiaria adiungere, &
definitiuā, & generica, nuncupantes ea: at ferme adiun-
guntur, quæ dicuntur ad singula.

Vehemens
obiectio.

Accipiet forsan aliquis argutulus, non paruam arguendi occasione
in quadruplicē prædicatorū factā nuper assignatione. nam uel nostræ
rationis immemores conuincere nitetur: uel si eam probam sustinueri-
mus, ea nos ipsos facile iugulare tentabit. Hac etenim ratione uoleba-
mus adiūgenda esse quædam singulis prædicatis, quæcunq; caderēt

sub eandem methodū cum illis, quòd in differendo eandem propemodum legem cum prædicatis haberent: at genus, proprium, & accidens, sub eandē methodum cadunt, & consimilem diffinitioni differendi facultatē: igitur erunt definitiua, & diffinitioni adiungenda omnia. quare unum erit solum prædicatum definitio. Dissolutio, Non ignoramus rationes & locos generis, proprii, & accidentis, destructiuos, & diffinitionis euersiuos esse. nam quo argumento ostenditur accidens rei non inesse, eo destruitur esse accidens: & eodem definitio. Oportet nimirū tam accidens quàm diffinitionē, alicui inesse. Quæ etiam ratione interimitur genus, ut quod nō prædicetur in quid, ea prima diffinitionis pars euertitur: unde ruinā tota diffinitio sentiet grauissimam. Nāque prima diffinitionis pars, genus est: & differētia, altera: quibus destructis corrumpitur diffinitionis constructio. quare argumenta generi destruendo inferuentia & differētiæ, perniciem diffinitioni maximam afferunt. Destruitur similiter propriū, quòd non conuersim de re prædicatur: qua ratione & diffinitionis persequimur interitum. quare omnia superiora quodāmodo definitiua uidebūtur, & diffinitioni adnectenda: quippe quæ sub eandem methodum differēdi cum diffinitione relabantur & conferant ad labē diffinitioni inferendam. Attamen nō oportet diffinitioni coniungere, neque definitiua esse omnia: quòd una methodo cōtinerētur uniuersali singula: quam desiderare minime cōueniet. tū quòd difficile sit eā inuenire, tum etiā si inueniretur, omnino obscura esset, & quæ nullū ad differēdum posset usum afferre in rem propositam. Neque enim omnis locus accidentis destructiuus, est & diffinitionis, ut qui ostendit quod pro accidente assertur conuersim prædicari, uel de substantia rei: accidens destruit, non tamen diffinitionem. porro constructiuus accidentis, non est diffinitionis compositorius ob alium utriusq; prædicādi modū, ut uel cæcis clarū est. quare loci accidentis & diffinitionis, siue constructiui, siue destructiui, longe diuersi & diuersa methodo complectēdi, & propria: qua facili uia ad omne de illis problema transire potest quisq;. Non dissimiliter ostenditur de genere. nam quod assignatur pro genere, si æquale monstratur, & genus tolli fuerit necesse: non autem diffinitionē. Vnde ut constructiui non ualent omnes, nec destructiui generis uel proprii, ad cōstructionē, uel destructionē termini: sic nec accidentis loci: uerū magis constructiui accidētis sunt destructiui diffinitionis, & cōtra, ut quòd referere potest, accidens cōstruitur: uerū definitio destruitur. & quòd rei insit semper & conuertibile: ad dissolutionē accidentis, ad compo-

Dilutio.

Particular
res prædica-
torum loci
designādē.

sitionem definitionis affertur . Eodem modo de locis ad compositionē generis, & resolutionē . nam non in plus se porrigenſ, quā species, genus interimitur : definitio constructiue iuuatur, & contrā . Consimilis est ratio & in proprio . nam diuersi sunt loci & cōstructiui & destructiui proprii, à locis definitionis . quare nequaquam potest haberi una methodus differēdi uniuersalis ad omnia hæc : uel si habeatur, nullius erit felicitatis . Veniunt igitur loci distinguendi, & singulis prædicatis accommodantur proprii & conuenientes differendi modi, & constructiui, & destructiui : quibus facilis paretur accessus ad differendum de re proposita . Quare quatuor constituentur, ut instituimus, prædicata . Nam inuenta & assignata methodo propria differendi de singulis quatuor prædicatis : facile disceptabimus . proinde in quatuor prædicata, & problematum quatuor genera sufficiens ponatur distinctio : quæ neq; amplior, neque angustior, recto existat . Cætera autem omnia illis supponantur quatuor, & ad ea reducantur . ut definitioni, nominum in notiora trāssumptio, nec non de eodem numero & diuerso quæstio connectatur . Proprio subiiciantur, quæ propria aliquando, & ad aliquid circumferuntur supposita . Genus amplectetur differentias genericas (nomine prius declarato) constitutiuas . Definitio, quæstiones de eodem, uel specie, uel genere seu diuerso, etiam genus continebit : simul & speciem, quæ sub eandem methodū differendi cum genere cadat . accidēti adhærebunt, cōparationum formæ : & propria illa ut accidentia uisuntur . sic fiet profecto ut facilis habeatur ad omne problema disceptandi copia : omnibus in ordinem congestis .

Primum autem omnium, de eodem determinandum, quottupliciter dicatur . Videtur quidem idem (vt figura fit accipere) tripliciter diuidi . Nam vel numero, vel specie, vel genere, idem consueuimus nuncupare . Numero quidem, quorum nomina plura, res uero vna . vt tunica, & uestis . Specie autem, quæcunque plura existentia sunt indifferētia secundum speciē . vt homo homini, & equus equo . Talia enim specie dicuntur eadem, quæcunq; sub eadem specie sunt . Similiter autē & genere eadem, quæcunque sub eodem genere sunt . vt equus homini . Videtur sanè & ab eodē fonte aqua eadem dicta, habere quandam differentiam præter dictos modos, non tamen : sed & talis quidem in eodē ordinatur ipsis secundum vnam

Cōclusio super
perierum .

Enumeratio
breuis .

speciem quouis modo dictis. Omnes enim tales cognatæ sunt, & consimiles adinuicē videntur esse. Omnis etenim aqua, omni aquæ eadem specie dicitur, in habendo quandam similitudinem: ipsa autem ab eodem fonte aqua, eadem appellata, nullo altero differt: quàm eo quod vehemētiōr sit similitudo. quare non separabimus ipsam ab his secundum vnam speciem quouis modo dictis.

Priusquā aliō nostrum sermonē traducamus à prædicatorū definitionibus, leuiter attingemus illis adiutorū definitiones. Nā cum multa sint problemata de eodē & diuerso, & alia definitioni, alia generi copulentur: in primis multiplicatē illā depromere congruit: quā si quis prætermiserit, perfectam adiungendorū prædicatis tenere non poterit cognitionē: neque prædicatorū intelligentiā habebit. & præcipue definitionē non assequetur, quod genus dicatur prædicari de differētibus specie. Diuiditur itaque idē in tria (pro cōmuni omnium opinione) Nam & idem analogia interdū dicitur. Numero eadem dicuntur adinuicē potest honyma: quæcūque nominibus dissidēt, re consentiunt. Specie, quæ plura numero existunt, sed indifferentia specie. ut quæ sub eadem specie indiuidua. Genere eadem, quorū est idem genus. quare eadem numero, sunt eadē specie, & genere, non tamen retro agitur. secundū analogiā dicuntur eadem, quæ differūt genere, at similitudinē inter se habent: ut unitas, punctus, cor, fons, in principio cōueniūt. Obiectionē mouebit quis: quia, qui putabit præter dictos modos alios esse aduehēndos: quod aquæ ab eodē fonte saturientes, partes easdē habeāt: non tamē numero, cum re ipsa distinguatur, & plusquā nominibus: neque specie uidebūtur, quoniā aquæ diuersorū fontium sunt eadē specie: at plus conueniūt aquæ eiusdem fontis & maiore habent unitatē, quā diuersorū. quare recta argumentatione: si aquæ diuersorū sint eiusdem speciei, quæ plus cōueniunt nō uidebūtur esse eiusdē speciei. sic cōsequetur nouus unitatis modus. Dicendū est aquas ab eodem fonte emanantes, easdē esse specie: ut cæteræ omnes, & eiusdē rationis: habent tamē aquæ eiusdē fontis uehementiorem & maiorem similitudinem accidentariam, ut emanare ab eodem fonte: sed specie non differunt ab alijs. Nā quod dicantur eiusdem fontis, non arguit rei distinctionem. ut homines eiusdem regionis, plus conueniunt quàm diuersi soli in accidente. similiter & qui dicuntur germani, uel parentes, quàm cæteri non recipientes consimiles titulos, quos non diceret quispiam differentes specie.

Idē triplex.

Eadem numero.
Specie.

Genere.

Analogia.

Cōgressus.

Occursus.

Maximè autem cōfesse vnum numero idem ab omnibus videtur dici. solet autem & hoc assignari multipliciter. & propriissime quidem & primo, quando nomine vel termino idem assignatur: quemadmodum vesti, tunica: & animal gressibile bipes, homini. Secundum autem, quando proprio: quemadmodū scientiæ susceptiuum, homini: & natura fursum latiuum, igni. Tertium vero, quādo ab accidentibus: vt sedens, vel musicum, Socrati. Omnia autem hæc vnū numero volunt significare. Quòd autē verum sit quod nunc dictū est, ex transsumentibus nuncupationes maxime quis perdiscet. Sæpe enim præcipiētes nomine vocari aliquem sedentiū, trāssumimus: quādo forte nō intelligit cui præceptum facimus: vt ab accidente, ipso magis intelligente. & iubemus sedentē, vel disputantem, vocari ad nos. Manifestum vt idem opinātes & secundū nomen & secundum accidēs significari. Idē igitur quēadmodū dicebatur, tripliciter diuidatur.

Eadem maxime.

Inter omnes eiusdem acceptiones præcipua maxime, prima uenit dicenda. quā & omnes conuenientissimā fatentur. quia idem & unum re ipsa significatur. Idem nimirū specie, non simpliciter dicitur idem: quòd cōueniat re ipsa distinctis. quæ uero distinguuntur, nō sunt proprie dicenda eadē: quare multo minus eadem erunt quæ genere enūtiantur eadem: quo maiori rerum intercapedine dissociātur: quis nisi absurdus fateretur, hominē equo eundem? Relinquitur igitur omnium id maxime idē dici, quod numero idem circūfertur: cuius adhuc multiplex est expressio. Nam propriissime & primo, quando nomine notiore, uel definitione idē effertur. & hic modus iure bono primus & propriissimus: quòd definitio sit tota rei substātia, cuius est iudex: & quod nomine explicatur notiore & cōuertibili, definitioni propinquū est & amicū, ut dictum est. secundū locum habuit, idem numero, proprii figura expressum: quòd proprium uicariā habeat notionem cum specie. Accepit postremum ordinē quodam euentu accidens: ut si forsā cōtigerit Socratem & sedere, & musicum esse, & legere, & atleseri, omnia hæc eadē numero rem aperiunt, non quòd musica & Socrates sint eadē re, sed quòd Socrates, & cui hæc accident. signo deprehenditur illis accidentibus eadē rem intelligi: quòd si uelimus ad

Propriissime idē numero.

nos uocari Socratē, & cui præceptum accerfendi Socratē fit, ignorat quē appellemus Socratē: statim trāsmutamus nomen in notius, quo eandem rē numero significari uolumus: & dicimus uel sedentē, uel legentē, uel musicū aduocādū, nihil aliud intelligētes q̄ nomine proprio. His uniuersitatis seu eiusdē acceptionibus ex opposito respondent tot diuersitates. Differunt nēpe quædā numero solu: ut indiuidua eiusdē speciei. specie uero alia, ut species, & illarū indiuidua. Genere quidem, genera ipsa & illorū species. quare notum est differētia genere maxime differre: quòd & numero, & specie. sicut maxime eadē, quæ numero dicuntur eadē. Et genere differentia dicuntur quædā genere summo, quædā subalterno, quædā infimo. si quis sugillare appendices adiūctas moliatur: quòd eadē numero essent quæ differāt genere: nā Socrates, & musicus, & philosophus, & filius Sophronisci, eadē sunt numero, quæ tamē non sunt eadē genere: igitur nō oportet quæ sunt eadē numero, & specie & genere eadē esse: nec quæ differūt genere, differre specie & numero. An intelligātur de primo modo eiusdē: nā eadē numero denominatiōe,

Reprehēso

Defensio.

oīm possunt esse prædicamētōrū: sed nō definitione uel ratiōe, ut Socrates, magnus, philosophus, discipulus Archelai, docuit, esuriens, Athenis, sub prædiū, sedens, parū comatus: quibus oīa prædicamēta intelligūtur. Quòd autē ex pri^o dictis oratiōes sunt: & per hæc, & ad hæc, vna quidē fides, per inductionē est. nā si qs cōsideret vnāquāq; propositionū & pblemātū, apparebit vel à termino, vel à proprio, vel à genere, vel ab accidente facta. Alia autē fides per syllogismū. Nā necesse òne de aliquo prædicatiuū, vel cōtraprædicari de re, vel nō. Et si contrapredicet: termin^o erit, vel pprīū. etenim si significet quid erat esse, termin^o: si autē nō significet, pprīū. hoc enī erat propriū, quod cōtrapredicat quidē, sed nō significans quod erat esse. Si uero nō cōtrapredicet de re, vel est corū q̄ in definitione subiecti dicūt, vel nō: & si sit corū q̄ in definitione dicūt, vel gen^o, vel differētia erit, quoniā definitio ex genere & differētis est. Si uero nō sit corū q̄ in definitione dicūt, manifestū q̄ accidēs erit. nā id dicebat accidens, quod neq; terminus, neq; gen^o, neq; pprīū: inest autē rei. Distuleramus in hūc locū cōfirmationē huius enūtiati, Omnis propositio & problema, uel genus, uel propriū, uel terminū, uel accidens significat: contenti illius suppositione, pro rei necessitate exactiore spedi.

Inductiua
ratio.

rantes diligentia. qua nunc omnibus fidei modis prestare possumus: nepe inductione, & syllogismo, formis differendi omnibus. Et primo inductione, quod notior & nobis prior, quatuor predicata non plura neque pauciora, ex quibus orationes, & per quae, & ad quae fiunt, probantur. quae cumque enim quis acceperit propositionem particularem, uel problema, semper uidebitur & erit ab aliquo horum quatuor uel adiunctis, & nullo alio: igitur omnis propositio & problema aliquod horum indicabit. quare quatuor erunt predicata, & non plura. ut qui quaerit, utrum tempus sit motus primi mobilis, an non? problema a termino efficit: quod quaerat an praedicatum sit definitio temporis: & utrum bonum in substantia sit, an non? a genere: utrum igni soli sursum moueri secundum naturam, an non? a proprio: utrum ignis moueatur, an non? ab accidente. Idem de propositionibus iudicium. nam in omnibus reperitur quaestio ab aliquo quatuor praedicatorum. similiter syllogismo confirmabimus. Nam a praedicatis trahitur distinctio & multiplicitas problematum, & aequalitas, simul & propositionum, quod aliquod horum praedicatorum praedicatur. Igitur si tantum quatuor esse praedicatorum genera probauerimus, & totidem problematum, & propositionum. Sed illud doceamus syllogismo primae figurae perfectissimo & clarissimo, omne praedicatorum aequaliter, uel non aequaliter, dicitur uel ut genus, uel definitio, uel proprium, uel accidens: atqui omne quod praedicatur, praedicatorum est aequaliter, uel non: igitur omne quod praedicatur, dicitur ut genus, uel definitio, uel proprium, uel accidens. Assumptio notissima est: ad propositionem confirmandam currimus, Omne quod praedicatur aequaliter, terminus est, uel proprium: omne uero quod inaequaliter, genus est, uel accidens: quare fit, ut omne quod praedicatur aequaliter uel inaequaliter, sit terminus, uel proprium, uel genus, uel accidens. per coniunctionem partium ratio struitur. Etenim omne quod aequaliter & conuersim de re praedicatur, uel quid est esse significat, uel non: uerum omne quod indicat quid est esse conuertibile, terminus est, ut patuit retro, cum definiremus terminum esse orationem quid erat esse indicantem: at omne conuertibile non indicans quid est esse, proprium dicitur, ut notum est eiusdem definitione: quare omne quod conuersim praedicatur de re, necesse est terminum esse, uel proprium. similiter quod praedicatur inaequaliter, uel est de his quae afferuntur in definitionem subiecti, uel non: atqui omne quod affertur in definitionem subiecti, uel est genus uel differentia (nam genere & differentia solis consarcitur definitio) omne autem quod non est de definitione subiecti, & conuersim non praedicatur, illud est accidens: quare recta consequuntur

Syllogistica.

dicimus, omne quod nō conuersim prædicatur, esse uel genus, uel accidens. Nam sub genere differentiā docuimus comprehendī. quōd si omne quod conuersim prædicatur, sit terminus uel proprium: & quod non cōuersim omne, sit genus uel accidens: uerum est quod diximus, in hæc quatuor prædicata recidere quicquid prædicatur.

Post hæc igitur oportet determinare genera prædicamētorū, in quibus insunt dicte quatuor differentiæ. Sunt hæc numero decē, quid est, quātū, quale, ad aliquid, ubi, quādo, iacere, habere, facere, pati. Sēper enim accidēs, & genus, & propriū, & terminus, in vno horū prædicamētorū erit. nā omnes ab his propositiones, uel quid est, uel quale, uel quātū, uel aliquid aliorū prædicamētorū significant. Notū autē est ex his, quoniā quod quid est significans, interdū quidē substantiā significat, interdū autē qualitātē, aliquādo uero aliquid aliorū prædicamētorū. nā quādo posito homine, dixerit quod positū est, esse hominē, uel animal: quid est dicit, & substantiā significat. Quādo autē colore albo posito, dixerit positū, album esse, uel colorē: & quid est dicit, & quale significat. Similiter uero & si cubitali magnitudine posita, dixerit quod positū est, cubitalē magnitudinē esse: & quid est dicit, & quātum significat. Similiter autem & in alijs. Vnumquodq; autem talium, siue idem de eodem dicatur, siue genus de hoc, quid est significat. Quando uero de altero, nō quid est significat, sed uel quantum, uel quale, uel aliquid aliorum prædicamentorum. quare de quibus sanē orationes, & ex quibus, hæc & tot sint. Verum quomodo sumemus propositiones, & per quæ abundabimus, post hæc dicendum.

Nūc supereſt à quibus trahātur prædicata docēamus. Nō enim dicemus ipsa omne esse prima & rerū summa genera, quæ à summis illis origine trahāt, & in quibus tanq̄ in fertilissimo omnium rerū cāpo reperiuntur problematū & propositionū omnium differentiæ. Leuiter itaq; discutienda sunt illa prima rerū principia. Ne tamē nos lateat à quibus hauriātur illæ quatuor prædicatorū atq; propositionū differentiæ, eas numero attingemus, & denario comprehendemus, quæ in categorijs explicātur uberior. Vocæ (quid est) primū prædicamentū exprimi

d.ij.

Decē prædicamenta

mus: quod (quid est) substantiā dicat, nonnunq̄ & definitionē. Sunt quidē prædicamētōrū genera numero decē, hæc: quid est seu substantia, quantum, quale, ad aliquid, ubi, quando, iacere, habere, facere, pati: in quibus prædicata: & ab aliquo illorū necesse est quodcūq; prædicatū sit propositū, extrahi. quod manifestū esse potest: quod propositiones omnes & problemata a quatuor prædicatis assurgentia, aliquid decē prædicamētōrū enūtiāt. quare si ea quavis propositione intellecta sint alicuius prædicamēti, & prædicata sunt quibus enūtiatur & res datur intelligi, necesse est, à decē prædicamētis prædicata trahi. stultū enī esset unū prædicatū putare unius prædicamēti esse indicatiuū, & nullū consimile ab alio trahi prædicamēto: reliqua alterius esse prædicamēti. Verū quicquid prædicabitur, siue genus, siue propriū, siue terminus, siue accidens, in aliquo decē est prædicamentorū. Nam cū illa genera sint omnīū summa & prima, necesse illis decem omnia contineri. quare prædicata illorum imperio arceri oportebit: quod inductiue de omnibus prædicatis cōmonstrare possumus. In primis notum fiet de finitione, & de omni substantiā significante. Nam si terminus de aliquo prædicetur: necesse enūtiabit aliquid decem prædicamentorum: ut substantiā, uel quantitatem, uel qualitatem, uel relationem, uel aliquid aliorum prædicamentorū. ut si ponatur homo, de quo quæritur, quid est: & qui responderet hūc hominem, esse hominem, uel animal: quid est dicit, & substantiā significat, quod per definitionē, seu accommodatū definitioni, uel per genus respondeat: quibus omnibus quid indicari non est hæsitandū. Nomine hominis profecto utimur clariore in responsionē de hoc homine pro definitiuo. Neque per talia nomina definitioni adiungenda, debet putari responsio ridicula, quibus manifestius & apertius propositum in elationem tanquam definitione reddimus. similiter quando de colore aliquo albo inquiritur, quid est: interrogatus uero respondet, esse album uel colorem: pronuntiat rem prædicamēti qualitatis ipsō quid est. nam definitionem & genus reddit de suis in quid prædicata. Eodem modo si proponatur cubitalis magnitudo, qui eam dicit esse cubitum, uel magnitudinē: per quid est affert responsionem, & quātitatem explicat. Vnde arbitramur esse opus diuisione responsionis: qua habetur cubitalis magnitudo, & dicatur cubitus, uel magnitudo: ut sint definitio, seu accommodatum illi, & genus quæ in responsionem afferantur: quibus omnis quæstio per quid est, exprimitur. Nec dissimiliter in alijs prædicamentis quorū si aliquid proponatur per quid est, & definitio & genus illius

A decē sū-
mis generi-
bus mutuā-
tur prædicata.

Definitio ab
aliquo decē
trahitur.

Per nomi-
na respon-
sio.

Quid i qua-
litate.

Annotatio
medi, num.

propositi in responsione tradetur, & prædicamēti naturā illius effe-
ret. Vnumquodque enim eorum quæ prædicatur, siue idem de eodem
prædicetur, siue ut genus, quid est significat. quare quicquid prædica-
bitur, cuiuscūque fuerit prædicamenti, illud quando idem de eodē, uel
genus de specie prædicatur, quid est indicabit: & ipsum quid est, ali-
cuius erit prædicamenti nota. Possimus etiam ex subiecto agnoscere
prædicatum omne æquale, uel genus, esse in aliquo decem prædicamen-
torū. nam in quo prædicamento fuerit subiectū, in eodē & prædicatū
tale cōsistet, & retroagitur in talibus: prædicati à prædicamēto fit no-
ta decerptio. Si uero contingat non in quid prædicari, seu idem de eo-
dem, uel ut genus de specie, prædicabitur alterū de altero. quare illud
quantitatē, uel qualitatem, uel aliquid prædicamētorū accidentis signi-
ficabit. Nam omne tale quod prædicatur ut diuer sum de altero, acci-
dens est: at omne accidēs est ex nouem prædicamētorū generibus: igitur
uel quātitatem, uel qualitatem, uel aliquid reliquorum ostendet. qua-
re si omnia quæ prædicatur, ut idem de eodē, uel genus de inferiore,
sint in aliquo decem prædicamentorum, similiter quæ prædicantur ut
diuer sum de altero, sint in aliquo nouē prædicamentorum: & omnia
quæ prædicatur, aliquo horū modorū prædicatur: fiet ut prædicata in
aliquo prædicamentorū collocentur omnia, & ab illis scaturiant. Neq;
uolumus intelligendū in quolibet prædicamentorū quatuor illas for-
mas prædicatorū contineri: sed solum quodcumq; prædicatorū in uno
aliquo prædicamentorū, tanq; domi collocari. Quis enim tam ineptus,
substantiā substantiæ diceret accidere, seu in prædicamento substantiæ
accidens habitare: cū nihil magis substantiæ dissentiāt q̄ accidens. Vnū
tamen non inuis inficias: in summis illis rerum generibus, solū genera
& species quibus indiuidua subiiciuntur locū habere germanū, si uo-
lumus ea in castris illorū summorū generū sola, de quibus prædicatur,
retinenda: illis nempe solis propriā elargiuntur & distribuūt substan-
tiā: omnibus se æqualiter dedūt. Nō enim uberius amplā generis supre-
mi naturā, genera subalterna quā species uel indiuidua recipiūt: æ-
qualis illorum participatio. Quoniam autem definitiones, differentiæ,
propria, & accidentia, nulli generum summorū subiiciuntur, in nullo
erūt prædicamentorū. De talibus enim non prædicatur genera: sed so-
lum de speciebus & indiuiduis: sed illa, ut talia sunt, neutrū horū sunt.
Industrie inserimus, ut talia sunt: quod nō ignoremus accidentia omnia,
dici substantiæ accidentia. at proprio ordini restituta dicūtur species,
uel genera, uel indiuidua, ut color accidens est substantiæ, genus albe-

Quæ quid
est signifi-
cent.

Ex subiecto
notio prædi-
canti.

Quæ accide-
ntiū indicet
modum.

Admonitio.

Quæ in præ-
dicamentis.

Hęc nō subs-
tuntur
generi.

dinis, & albedo species alicuius indiuiduæ albedinis. Verū enim uero si
 hunc modum prædicandi omiserimus, & naturam generis & speciei
 propius contemplerur: non à prædicamentorum finibus excludemus
 definitiones, differentias, & propria. tota enim uis generis per diffe-
 rentias in species spargitur, illæ differentie collectæ totam naturam
 generis conseruiunt: distributæ uero, speciebus eadem sunt quas con-
 struunt: coniuictæ generi, speciei definitionem integram parant. spe-
 cies nõ alio ministerio quàm differentie constitui potest. quod si, quo
 quippiam cõtinetur, in eodẽ sit & substantia illius & natura: ubi spe-
 cies, ibi definitio speciei: quod si definitio, & differentia. nam definitio
 genere & differentia consuitur. Proprium autem aded speciei coniu-
 ctũ est, ut si proprium auferatur ab aliquo, & species: & cõtra. aded
 mutuus est utriusq; consensus, ut nullo ingenio dissentire possint. qua-
 re sicubi species, & proprium nõ est dubitandũ. De accidentibus nihil ta-
 le dici potest: quod sit ægrioris nature, ut quæ tota in domicilio cõser-
 uetur alieno. unde miseram constat accidens sortiri conditionem quod
 uitã non nisi inimicorũ fauore, & gratia, protrahat, nulli enim inesse
 potest q̃ substantiæ. Ad hæc, si generis problemata sit exploratum per
 omnia decẽ rerũ principia expatiari: quorũ diuisio per differentias in
 species habetur, differentie enim generi tanq̃ legitimo matrimonio co-
 pulatæ, species procreat definitas: à quibus generi coniuictis, ibidẽ re-
 lucere definitionem, quis tam cæcus est qui non uideat? Neq; audiendos
 putauerimus quosdam eiulantes: eorum solum, quæ in substantiæ præ-
 dicamento referuntur, commuiri definitiones. Nonne mirum est ali-
 cuius habere proprium genus & differentias, quibus solis sit opus ad
 definitionis structurã: tamen id definitione priuari? Insuper Aristotelis
 autoritas testatur, ipsum quid est in quantitate & qualitate: quod per
 quid non solum genus, sed & definitionem intelligit. Dicunt aliqui de-
 scriptiones esse accidentium, non definitiones. sed nõ aduertunt illi se
 destruere, genera alia esse à substantiæ generibus. Nã si uera sint ge-
 nera illa nouem accidentiũ summa, & differentijs proprijs diuidetur,
 & species habebunt proprie dictas, quæ cõplexu generis & differentie
 pariuntur. quare & definitiones erunt illarũ specierũ accidentis propriæ,
 quod genera & differentie habeantur. quod si nõ, neq; species erunt, neq;
 genera. quare uerã albi definitionem, coloratũ disgregatiuum uisus ex
 Aristotele nouimus. Præterea quã differentie, & definitiones, & pro-
 pria, non possint habere genus aliquod de illis dicibile, ueri claustra nõ
 uidebimur egredi, si suis adiunctis parentibus tenacissime afferamus

Accidẽs nõ
 in substantiã.

Accidentiũ
 est definitio.

& propinquis. Propria singulis prædicamentis conferenda defendet
 Aristoteles, qui in prædicamentis propria singulorū studiose reddere cu-
 ravit. Ad idem faciunt & species: quæ non minori amore complectun-
 tur propria: quam seipsas, cuiuscumq; sint prædicamēti. Nemo (quã-
 tū conijcere licet) reponit differētias omnes in prædicamento qualita-
 tis, et si qualitates dicantur à Porphyrio in introductione, & ab Aristo-
 tele in quinto Metaphisices: nã substantiales intelligūt differētias, qua-
 rū nullæ sunt accidentia: in prædicamēto tamen qualitatis tantum ac-
 cidens intelligitur. Insuper diuersorum generum & non subalternorū
 sunt uariæ species & differētiæ. Sunt nonnulli qui propria ad-
 huc defendant esse prædicamēti qualitatis, & in naturali potentia uel
 impotentia qualitatis specie contineri: quod si uerum sit, & propria
 omnia erunt accidentia substantijs, nam cui genus accidens, & spe-
 cies accidet: sed genus summum, accidens est substantiæ, & dictum ge-
 nus medium, naturalis potentia: quare & quæ illis comprehenduntur,
 accidentia & non propria erunt. Insuper propria non suscipiūt
 magis & minus, potentiarum qualitates agnoscunt utrunque. Ad-
 hæc sicut species prædicamentorum omniū uno genere contineri non
 possunt: sic neque propria omnia eodem residere poterunt. quoniam
 quotquot sint species, tot ei propria aduehere ratio postulat. Eufissi-
 ma esset illa qualitatis significatio, cuius species aliqua omnium specie-
 rum propria ambiret, abundans profecto nimis & transcendens cō-
 spicietur. Quare desiderabimus differētiās, & definitiones, & pro-
 pria, suis affinis prædicamenti nomine consentire, quod non uidea-
 mus cui prædicamentorum aliter adhibeantur. Manifestum itaque ex
 his omnibus non fuisse prætermittendam prædicamentorum enume-
 rationem, quæ plurimū dialectico momenti ad uniuscuiusque prædi-
 cationem naturam adferat. Nanque in illis tanquam in thesauro opulen-
 tissimo reseruatur, & in quibus inuenire & capere contingat, si-
 mulq; quæ sint genera prædicatorum, quoniam genus, terminus, pro-
 prium, & accidens, & quot, quoniam quatuor solum, de quibus syl-
 logismi, quoniam de prædicatis & problematibus ab ipsis nuncupan-
 dis, & ex quibus orationes, quod ex prædicatis & propositionibus ab
 illis peruiū esse & inductione & syllogismo potest. quare de quibus,
 & ex quibus, sit hæc methodus, dictum sit. quod reliquum est perse-
 quamur: quomodo sumemus hæc & per quæ abundabimus.

Differentie
 omnes non
 sunt qualis
 tates.

Propria nō
 sunt qualis
 tates.

Primum igitur determinetur, quid sit propositio dia-
 lectica, & quid problema dialecticū. Non enim omnem

propositionē, neq; omne pblema, dialecticū ponere oportet. Nullus autē proponet mētem habens, quod nulli videtur: neq; proponet, quod omnibus manifestū, vel plurimis. Nam hęc non habent dubitationē: illa autem nemo ponet. Est autem propositio dialectica: interrogatio probabilis, vel omnibus, vel plurimis, vel sapientibus: & his vel omnibus, vel plurimis, vel maxime notis non inopinabilis. Ponet enim aliquis, quod videtur sapientibus: nisi contrarium sit multorum opinionibus.

Postrema constituendæ methodi portiūcula enuntiabatur retro, abundantia eorū ex quibus orationes, & de quibus syllogismi: quā impossibile fuerit quēpiā assequi, nisi quæ ad abundantiam requiruntur, resoluantur. At quoniā propositio dialectica est præcipua & omnium prima disputationis dialecticæ: problema autē dialecticū, secundas occupat partes: in hoc enim disceptatur per propositiones dialecticas: primū itaq; omnium, definire oportebit propositionē dialecticā. Deinde problema dialecticū: ut omnis erroris locus expugnetur. Nō enim propositio omnis, est propositio dialectica: neq; omne problema, est dialecticū. Nemo sane interrogabit, quod nulli uidetur: quoniā nullus respondentū constituat, & cōcedat, quæ non uidentur. quare indigna interrogandi lege hæc existūt omnia. Nemo profecto, nisi uanus fieri studeat, quæ omnibus in mendacio consistere manifestissima sunt, sciscitabitur. Proinde separabūtur & quæ omnibus in ueritatis cōfinio se produnt q̄ clarissima à dialectica propositione & interrogandi imperijs. quis enim aded cæcitate talpam superauit, qui die media & sole cōspicuo, diem esse inquireret? quæ igitur nullū dubitationis habent locū, neq; inquisitionis. Verū manifesta, siue uera siue falsa sint, nullū relinquunt dubitationis argumentū: igitur neq; inquisitionis. quare neq; talia dialectici erūt muneris. Propositio enim omnis dialectica, est interrogatio: etsi non omnis interrogatio, sit propositio dialectica: sed interrogatio probabilis. & quemadmodū non omnis propositio, est interrogatio, ut demonstratiua, sed dialectica: sic neq; omnis interrogatio, est dialectica: sed quæ probabilis est. Interrogatiōe alterius partis cōtradictionis cōtinetur dialectica propositio. Nam plures sunt propositiones interrogatione elatæ. Aliæ nanque demonstratiuæ, ut qua uirtute magnes ferum attrahit? Aliæ sōphisticae, ut, an cornua habeas? Aliæ dialecticæ. sola dialectica est partis probabilis, demonstratiua necessaria,

Non oīs propositio est dialectica.

Plures interrogationes.

sophistica apparentis. sūt & interrogationes, aliæ à propositionibus, ut nominū: quibus de diuisione uel definitione inquirimus. sed hæ à dialectica propositione longe separātur. Quid probabile, retro pronūtiatū est. cui adiungitur declaratio postremæ partis, quā intelligendā reliqueramus. Nam id esse probabile nō promeruit, quod alicui sapiētum uidetur, si id ipsum aliorū receptis opinionibus & oraculis repugnet: cuius etiam oppositū manifestum: ut opinionem Antisthenis, quod non sit contradictio, nemo dicet propositionē probabilem: neq; sententiam Anaxagoræ, dicentis niuem esse nigram: Heracliti, contraria esse eadem: Parmenidis, unum esse ens. Non enim oportet omnem positionem esse probabile seu problema, ut innotescet ex dicendis: sed propositionem dialecticam præcipit ipsa definitio. unde colliquescit & distinctio propositionis dialecticæ à problemate dialectico: non solum modo interrogandi dicto, uerum & notiore fide & maiori. Nam problemata subobscuriora sunt: quod neutri parti credatur, uel cōtrarijs modis. At propositiones dialecticæ nō tam obnixè efflagitāt ambiguitatem: quod ex eo notū est, quoniā propositiones dialecticæ problemata probāt. uerū quicquid confirmat, stabilius esse oportet eo, quod per ipsum firmatur. sit igitur propositio dialecticæ, interrogatio probabilis.

Quod uidet
alicui sapiē-
tum, an pro-
babile.

Non oīs po-
sitis est, p-
babilis neq;
problema.

Sunt autem propositiones dialecticæ, & quæ probabilibus similia, & contraria his, quæ vidētur probabilia, secundum contradictionem protensa: & quęcunq; opiniones sunt secundum artes inuentas. Nam si probabile sit, eandem esse contrariorum disciplinā: & sensum eundem esse contrariorum, probabile quidem apparebit. & si vnā numero grammaticam esse, & tibicinariam vnā. Si uero plures grāmaticas, & tibicinarias plures. Omnia enim similia & cognata hæc uidentur esse. Similiter autem & probabilibus contraria secundum cōtradictionem protensa, probabilia apparēt. Nam si probabile, quod oportet amicis benefacere: & quod non oportet malefacere, probabile. Est autem contrarium quidem, quod oportet malefacere amicis: secundū contradictionem autē, quod non oportet amicis malefacere. Similiter autē, & si oportet amicis benefacere, inimicis non oportet. Est autem & hoc secundum cōtradictionē contrariorū. Nam con-

trariū est, quòd oportet inimicis benefacere, eodem modo & in alijs. Probabile autem & in parabola videtur, & còtrariū de contrario. vt si amicis oportet benefacere: & inimicis oportet male. videbitur autē & còtrarium hoc, amicis benefacere: huic, inimicis male. Vtrum autem & secundū veritatē sic habeat an nō, in his quę de còtrarijs dicētur, ostēdetur. Manifestū est quoniā & quæcūq; opinionones secundum artes sunt, dialecticę propositiones erūt. Ponet autē quis ea, quæ vidētur ijs qui in his probati sunt. vt de his quæ in medicina, vt medicus: de his autē quæ in geometria, vt geometer. similiter autē & in alijs.

Tres propositionū formę.

Propositiones probabilibus similes.

Secundū còtradictionē protensa.

In parabola probabile.

Propositioni dialecticę tria propositionū genera adiunguntur, ex habitudine ad illam accepta. Propositiones enim probabilibus similes, & propositiones de còtrario termino protensę secundū còtradictionē, & tertio opinionones artibus inuētis consentiētes, quodāmodo dialecticę & probabiles dicuntur. Nam si hæc sit dialectica & probabilis, sciētia est eadem contrariorū: & ista huic similis, videbitur probabilis: quæ est, sensus est idem còtrariorum, ob similitudinē huius ad illam. nā sicut se habet sciētia ad scibile: sic & sensus ad sensibile. quòd utrūque sit de suppositis iudicatiuū. & similitudo illa uel secundum analogiam appellatur. illa cognata sunt & eiusdem prædicamenti, quòd relationis. Scientiam monstramus esse eandem contrariorū inductio: nam medicina, sani & ægri scientia: Arithmetica, paris & imparis: Musica consonantię & dissonantię: Gymnastica salubris & insalubris. Eodem modo si probabile sit unam numero grammaticen, ratione subiecti unius: & tibicinariam unam esse numero fuerit probabile. similiū est consimilis coniectura & iudiciū. Similiter contraria probabilibus protensa secundū còtradictionem adiunguntur propositionibus dialecticis, hoc est, propositiones oppositę còtrariorū terminorū. Nam cū contraria probabilibus sint improbabilia: & improbabilibus opposita, fiēt probabilia. quare si probabile sit, amicis oportet benefacere: & huic de còtrario termino propositio eiusdē qualitatis erit improbabilis: hæc, amicis malefacere oportet: quare huius improbabilis negatio, hæc, non oportet amicis malefacere, fiet probabilis. & ita dicēdum de alio exemplo: quod solum ab hoc differt, quòd huius subiecta utriusque propositionis sunt eadem & impermutata, uerūm prædicata non eadem, sed contraria: hæc, benefacere & malefacere:

Illius autem prædicata eadem, subiecta uero contraria. Quòd si uelis
 pro more in figuras protrahere, desumes affirmationes cōtrariorum
 prædicatorum cum earūdem negationibus, atq; contrariorum subie-
 ctorum similiter, & quod concupis, uisu facile conspicies. Aliud genus
 probabiliū concipi potest, ex contrariorum comparatione. quod in pa-
 rabola dicitur contrariorum de contrarijs. Nam si probabile sit, ami-
 cis benefacere oportet: & inimicis malefacere, uidebitur credibile.
 Amici autem & inimici dissident, & benefacere & malefacere, ergo
 qualem fidei probabilis imaginem præstiterint duo inter se, & duo
 reliqua consimilem depingent. Neque obijciat quis, alteram illarum
 esse falsam, igitur non esse probabile: quòd idem probabile sit & fal-
 sum, ut sepe dictum est. Dicitur in parabola probabile: quòd in cōpara-
 tione & eorum inter se collatione probabile perspiciatur. Contraria
 enim è regione posita magis mouent potentiam. Sed quid dicemus ne
 propositiones illas contrarias esse, quòd contrarijs consententur termi-
 nis? an de his traditum est abunde in fine libri τριτοῦ ἐπιμυνέας? ubi
 docuimus contrarias nō dici, quòd sint contrariorū terminorum, cum
 tales ut bonū est bonū, & malum est malū, ueras esse contingit: at con-
 trarias propositiones utrasque esse ueras, impossibile est. de his etiam
 dicemus in sequenti libro, & quot terminorum possibiles coniugatio-
 nes contrariorum. Dicantur igitur contrariæ propositiones nō quòd
 terminis construantur contrarijs, sed quòd contrarie opponantur, &
 penes ordinem diuersum affirmationis & negationis uniuersalem u-
 niuersaliter. Postremo adponebantur dialecticis, propositiones artibus
 inuentis conformes. quòd manifestum esse cognoscetur. nam ponit in-
 terrogatus & concedit ea quæ conformia sunt artibus inuentis, &
 uidentur his qui in disciplinis probati prædicantur artifices. Credit
 enim scientibus adhuc rudis & inscius per probabilia. ut in medici-
 na, medicis audiet argumentis probabilibus aliunde aduocatis: non
 autem principijs, qui adhuc rudis & huius disciplinæ ignarus suppo-
 natur. sic in geometria geometris, communibus rationibus credit, non
 tamen ut propriæ scientiæ artifices hoc exequentur minus: sed pro-
 babilis fidei. Neque etiam inuentio propria & determinata est diale-
 ctices, sed scientiæ demonstratiuæ. quare inuentas propositiones in
 ipsis disciplinis per principia dicemus dialecticas: sed quòd effingun-
 tur propositiones probabiles in rebus definitis consentientesque pro-
 batis ex aliorum comparatione: non quidem principiorum constanti
 probatione.

In parabola
probabile.

Propositio-
nes artibus
cōsentientes

Problema autem dialecticum est, cōtemplatio intendens vel ad electionem & fugam, vel ad veritatem & cognitionem, vel per se, vel vt conferēs ad aliquid aliud talium: de qua vel neutro modo opinantur, vel contrarie multi sapientibus, vel sapientes multis, vel vtriq; ipsi sibi ipsis. Quædam etenim problematū vtile est scire ad eligendum vel fugiendum: vt vtrum voluptas bonum an non? Quædam verò ad sciendum solum: vt vtrum mundus sempiternus, an nō? Quædam autem ipsa sanè secundum se ad neutrum horum: conferentia vero sunt ad quædam talium. multa etenim ipsa secundum se nō volumus cognoscere: sed aliorum causa, vt per hæc aliud cognoscamus. Cæterum sunt & problemata quorū contrarij sunt syllogismi: dubitationem enim habent, vtrū sic se habeāt an nō sic: quia de ambobus sunt rationes credibiles. Et de quibus rationem non habemus, quum existant magna: difficile putantes esse propter quid assignare. vt vtrum mundus sempiternus, an non? Etenim hæc inquireret aliquis. Problemata igitur, & ppositiones, quæ admodum dictum est, determinentur.

Problema
dialectici.

Tria proble
matū gene
ra.
Ethicum.

Si quam potuimus, in necessaria propositionis dialecticæ traditione diligentiam obseruauimus: non minorem profecto in eruenda problematis dialectici natura laborem adhibere debebimus, in quod omnes conatus differendi intendimus, quod sit caput & summa totius rei: ad quod disceptatio quæuis dirigitur: quo ignoto disputationē uagari infeliciter fuerit necesse. In hunc modum itaque describatur problema, uel ut quidam Latine uolunt, percontatio, siue sciscitatio, de qua neutro modo opinantur, uel contrarie multi sapientibus, uel sapientes multis, uel utriq; sibi ipsis: siue suscepta fuerit propter mores, siue cognitionem, siue propter se, siue propter præsidium ad hæc. Vnde manifestum est omnia problemata dialecticorū in tria membra uenire distribuenda, in quæ cuncta redeūt: Ethica uel Physica, uel Logica. Ethicum seu morale problema, id omne est quod ad electionem uel fugam intēditur, & ad mores relationē habet. Nam circa bonū & malū quæstio, moralis, & ciuilis: & quæ eligēda, uel fugiēda cōtinet. ut qui quærit, utrū uoluptas sit bonū an nō? & uniuersaliter quæ laudabilia uel

uituperabilia effert quæstio, in moralem recidet philosophiam: siue ciuilia siue domestica fuerint: & ut paucis cõcludamus, quæ eligendum uel fugiendum finem sortitur. *Physicum* & naturale problema dialectici cum est id omne, cuius inquisitio pro fine ueritatis cognitionem habet, non autem actionem, ut in superiore. *Logicum* & rationale problema dialecticũ dicitur, quod neq; practicũ, neq; speculatiuũ, sed coadiuuans ad practica uel speculatiua consequenda. Logica enim inquisitio seu syllogistica negotiatio est adminiculatiua practicum & speculatiuorum, & instrumentum ad hæc necessarium. Et illorum quædam sunt propter se, quæ inquisitione digna sint propter se plurimũ. quare notum est problemate dialectico omnem rem cõtineri: nam moralis, naturalis, & rationalis. inquisitio etiam est cuiuslibet rei propositio dialectica, moralis, naturalis, uel rationalis. Sed differentia illis adiuncta separauit hæc ab inuicem: quam uerbo expresseris, si, ambiguitatẽ habens, dixeris: & admodum succincte definiens problema dialecticum esse interrogationem in ambiguas partes diductam, seu ambigua in interrogationẽ. Verum modi ambiguitatũ prætermittendi non sunt: qui quadruplices constituuntur, quibus necesse possibiles ambiguitatũ formas retineri. Nam duabus contradictionis partibus in problemate statutis, necesse fuerit uel omnes homines, siue sapientes siue uulgares, utrãq; habere ambiguum: uel plebeos partẽ alteram, at sapientes non similiter habere ambiguum: uel contra sapientes aliter dubitabunt, q̃ uulgares: uel neque sapientes sapientibus, neq; plebei plebeis confidẽt. Primo modo intelliguntur, omnes homines qui neutri contradictionis parti plus tribuunt, quàm alteri: sed æqualis utriusque partis opponitur obscuritas. quæ consurgere potest dupliciter, uel quia nullã prorsus habent rationẽ, neque ad affirmationem, neq; ad negationem firmandam: huiusmodi sunt hæc & similes, de paritate & imparitate astrorum: de multitudine reproborum, uel sanctorũ maiore: de angelorum compositione, uel simplicitate: de spirituũ reditu possibili, uel impossibili: de mundi perpetua conseruatione à deo, uel destructione certo tempore. Non plus habet cognitionis de his doctissimi illi uiri q̃ rustici: eo quòd hæc omnia difficilia nimis, quæ egrediuntur nostræ infirmitatis limites: neque ad similia indaganda plus ualeat huius mundi sapietia. quinimo cognitionis sublimium curiosa indagatio non minus menti officit, quàm constans multo tempore solis aspectus oculis: quare in his mysticis probam desideramus simplicitatem, non elatum supercilium. uel neutri parti adhæret firmius, quòd habet rationes & argu-

Physicum.

Logicum.

Ambiguitatum modi quatuor.

Neutro modo opinantur.

menta in utranque partem detorta eiusdem roboris & æqualis ponderis: ut de uoluptate, utrum sit bona an non? contrariæ sunt & in utranq; partē uocatæ rationes: nam quòd sit bonum, quia omnia illam appetunt: quòd autem non sit, quòd non bonos faciat. Vulgares sapientibus cōtrarie opinantur nonnunquam, & contrà: unde res ipsa in magnam controuersiam trahitur. ut de animæ bonis, & fortunæ, & corporis, quæ eligibiliora: de sanitate & diuitijs, honoribus, potestate, & pulchritudine, quæ potiora. & hi duo re consentiunt, ratione tamen differunt: nam idem est re ipsa, sapientes uulgaribus, & uulgares sapientibus repugnare. Postrema parte, utrique utrisq; dissentiunt: uel quòd cōtrarias habeant rationes in utranq; partē problematis. ut sapientes sapientibus cōtrarie opinantur de uacuo, de infinito, de tēpore, de rerū principijs, de animæ immortalitate. aliquibus enim uidetur rationes facere fidem, aliquibus autē nō. Plebei interdū plebeis repugnant: nā quidam sanitatem esse felicitatem, quidam diuitias, quidam honorem, quidam habere amicos aiūt. unde palam est hanc postremā maxime primæ repugnare: in qua dicebatur, neutro modo opinantur homines: quòd destituerentur rationibus æqualiter in affirmationē & negationē problematis, neq; ratio reddi potest & causa de maiori fide alterius partis: ut de siccitate, utrū causa prudētiae sit, an nō? utrū humiditas obliuionē pariat, an non? utrū stellæ perlucidæ sint sicca, sint prudentes, sint phāsticæ? utrum uirtute sorbitio cicuta stultitiam pariat, an nō? Neque solum tales dialecticæ producūtur quæstiones & difficiles, dignæ tamen multa inquisitione: sed & demonstratoriae. ut quare anima corpus in cerebro frigidū aut calidum omnino relinquat? quare flauæ bilis in cerebro exuperantia demētiam conciliet, atræ uero melancholiam? quare pituita & frigida omnia, memoriam offendunt & mētem? quare uirtute magnes ferrum attrahit? sint igitur quatuor omnes modi rei inquirendæ explorati: uel quando sapientes gregarijs, uel contrà gregarij sapientibus repugnant, uel utrique utrisque, uel neutri neutris contrarie opinantur. quòd omnes homines in duas sectas cum Aristotele disiungamus: in plebeos, & sapientes, quibus senatorium ordinem & equestrem comprehendimus.

Multi sapientes contrariantur.

Vtrig; utrisque.

Positio autē est, existimatio inopinabilis alicuius notorum secundum philosophiam. ut quòd nō est contradicere, quemadmodum dicit Antisthenes: uel quòd omnia mouentur, secundum Heraclitum: uel quoniam unū

est ens, vt Melissus dicit (nam de quouis contraria opinionibus proferente curare, stultum est) vel de quibus rationem habemus contrariã opinionibus, vt quoniã non omne existēs vel factum est, vel sempiternum est, quemadmodum sophistæ dicunt. Musicum enim existentem, grãmaticum esse, neque factum, neq; sempiternum esse dicūt. hoc enim etsi nõ videatur alicui, videbitur tamen: quia rationē habet credibilem. Est igitur & positio problema, non tamen omne problema est positio. quoniam quædam problematum talia sunt, de quibus neutraliter opinamur. Quòd autē & positio sit problema, notū est. Nam necesse est ex dictis vel multos cū sapiētibus de positione cõtendere, vel vtrosuis sibimet. quoniã existimatio præter opinionē, positio est. Fere autē nūc omnia dialectices problemata positiones vocantur. Differt autem nihil quomodolibet dicatur. non enim nomen effingere volentes, diuissimus sic ipsa, sed vt non lateãt nos, aliqua ipsorū existentes differentiã. Non oportet autē omne problema, neq; omnē positionē considerare: sed quã dubitabit aliquis ratione indigentū, & nõ pœna, vel sensu. Nam dubitãtes, vtrū oporteat deos honorare, & parentes amare, an nõ? pœna indigent: qui vero, vtrum nix alba, an nõ? sensu. Neq; profecto quorū p̄pinqua est demonstratio, neq; quorū valde remota. illa enim nõ habēt dubitationem, hæc vero maiorem q̄ secūdū gymnasticã.

Positio seu (si te iuuat græca uox) θέσις, est problematis quædã species: quæ definitur, existimatio alicuius insignis philosophi præter opinionem. Illa autē est præter opinionem sententia, quæ admirabilis, & ἀρετὰ δόξα, & quæ aliorū oraculis & cõmunibus sententijs repugnat: ita ut positio, particularis quædam opinio alicuius præclari philosophi dicatur. Porrò omnē inquisitionis dignitatē probata philosophi auctoritas ingerit, cuiusmodi fuit Antisthenis philosophi clarissimi assertio (de quo multa Diogenes Laertius in sexto libro) quòd non est contradictio, quam opinionem crebris rationibus euertit Aristoteles in quarto Metaphysices: & utrum omnia mouentur (ut uoluit Heraclitus, an non) de quo in physicis quàm plurima passim: & utrum

Theſis.

nihil moueatur (ut credidit Zeno) an nō? de eo in sexto physicorum: & utrum unum ens (ut defendit Melissus, nec non Parmenides) an non? de quibus statim in ipso portu naturalium, & positionibus philosophorum multiugis circa rei naturalis principia. Neq; tamē uelinus quempiam labi, qui existimare posset omnem cuiusuis opinionē esse positionem: quod sanē non potest colligi ex dictis, quōd intellexerimus opinionem notorum philosophorum & clarissimorum: non autem alicuius abecedarij assensum temere conceptum. cuius curam suscipere, & delirantis portenta captare, qui refractaria sine ratione effutit, qui aliorum opinionibus obstrepere gaudet: ut non esset modesti animi, ita neq; p̄udētis cōsiliij: quōd uanus omnis assumptus labor haberetur, & labyrinthum ingrederetur, à quo nec Theſeus libere egredi posset: cum etiā his nostris sæculis, p̄dolor, omnia proprijs quorūdā sentētij receptæ antiquitati ex diametro oppositis scatere uideantur. Nec est ullus prop̄e dixerim, qui priuatæ uel communi opinioni detractasse non superbiat. qui, quoniā non possunt sana eruditione gratiam & decus uendicare, delirijs, fatuis dogmatibus, gloriam quærunt: memores & seduli affecle Herostrati: qui cum uirtutibus & honestis illustrium operum encomijs nomen suū celebre non posset reddere, turpi facinore nomen sibi immortale cōparare curauit, homo gloria insolentior. Nam ignem in templū Dianæ Ephesicæ immittere nihil formidauit: & incendere non dubitauit, gloriæ igniculis totus ardescens: quod ob insignem sui elegantia inter septem mundi miracula enumerauit antiquitas. Cæterum istis magis est condonandum, quōd non elegant, neque deliberēt portenta hæc in lucem producere. Nam solo gloriæ feruenti incendio aduruntur: quo aded cōmouentur, ut nō sit illis integrum, ab igniculis & fastus & iactantiæ uanissimis abstinere. Nomina etiā publico deferunt theatro. Eritne conuiuendum quibus non ducitur propudiosum diuinam attrectare sapientiam, sacratissimam Palladem, sanctissimam philosophiam comprehendere tabidis manibus, oculis suspicere lippientibus, obesis perolfacere naribus, ore polluto eloqui, auribus percipere surdis? Videant boni iudices, An liceat pueris diuinā Palladis arcē Omnibus arbitrio in uarios deducere sensus. sed unde discesserat oratio, redeat. A positione uera disiunguntur sophistarum existimationes præter opinionem, qui paulo uulgaribus superiores uidentur esse, quōd nunquam destituantur ratione: si ratio sit dicēda, quæuis ratiocinandi forma. Verum quia non sunt illustres neque fide clari assertores, quæcunq; ab eis sustineantur propo-

Sophistarū
opiniones
nō sunt po-
sitiones.

sitiones, etiam quas rationibus cōmonstrare nitantur, dignam positione nō efficiunt assertionē. ut quia recepta est sententia, Omne ens esse factū uel sempiternū: cui si repugnarit tota sophistarum manus, non dicemus positionem esse illi oppositā, hanc, non omne ens factum est uel sempiternū, etiam ratione suffultam, qua moliantur euertere prolatam propositionē: sic, Omnis grāmaticus musicus nō est factus neq; sempiternus, atqui omnis grāmaticus musicus est ens, fit igitur ut ali- quod ens non sit factum nec sempiternū: cuius propositionis cconclusio semper recipiēda est euer sua. grāmaticū musicū non esse sempiternum, in aperto est: qui nō semper fuit, nec erit musicus. Verum quam omne factū sit, uel ex materia uel ex contrario: atqui neq; ex materia & subiecto, quōd grammaticus musici non sit subiectum: neque ex musico & grammatico unum fieri potest, quōd alterum materiæ, alterum formæ officium præstaret: Neque etiam grammaticus fit musicus, tanquam ex contrario, quoniam nullo modo opponuntur adin- uicem musicus & grāmaticus: quo fit ut sophistæ probatum iri uelint conclusionem propositi euer suam. Ast ubi quis attētiuscule audierit, latentem decipuli uigorem per facile agnoscat, nullōque incōmodo con- stitutam philosophorum propositionem tali argumentatione affici, quæ defendatur pro generatione propria, quæ est ipsius substantiæ, & non accidentis: de quo tamen differunt. quare contentiosam esse di- sceptionem, & ad nomen, non autem intellectum communiri. à quo ueri speciem induere uidetur. Qui autem per somnium suspiceret ra- tionem, appareret statim ualida & concludens ex necessitate contra- rium receptæ, ob apparentem uim ratiocinādi. sit igitur thesis & po- sitio illustriū uirorū uel de moribus, uel scientia, uel logice, præter cō- munē opinionē sentētia. vnde clara positionis distinctio à problemate proditur: quōd omnis positio sit problema, non tamen retroagitur. Problemata nempe quædam habētur, de quibus neutro modo opinan- tur homines, nec utri partium cōtradictionis magis adhærendum sit, agnoscent: quæ non esse positiones ex ratione & substantia plus sc̄- tis constat. quoniam positionum sunt semper fautores, qui certæ cui- dam parti credendum firmissime asseuerent, ipsāsq; constanter tuean- tur. quare speciem problematis positionem dicere, non erit piaculum. Positio quidem problema intelligitur: quōd sit admiranda & noua quædam opinio. quare multos uel sapientes sapientibus refragari fue- rit consequens. at problemata in ijs habētur, in quibus sapientium ia- ctatur dissentanea opinio. Non desunt tamen qui nullum discrimen

Problema à
positione
differt.

inter positionē & problema fecerint : quorum sententia ad nos tanquam per manus usque peruenit. & uulgariter omnia problemata sine errore, positiones appellantur. Porro quoniam multo laborant disfidio, se offerente eorum diligentiore cura, non indecens fuit differentias utriusque exponere ad rei perfectam notionem: non autem ob esingendæ uocis libidinem, & gloriam inducēdi nominis: quōd circa nomina negotium & uis nullum solertioris ingenij splendorem probet, uoluimus hæc abinuicē distinguere. quid enim refert quo nomine quippiam appelletur, dum res ipsa intelligatur, & incolumis permaneat? Exploratiſſimum itaque esse contingit, quid à problematum colonijs defecerit: quid à numero segregetur. Non enim conuenit omnem à quatuor prædicatis sciscitationē duplici interrogandi nota elatam, problema esse dialecticum, uel positionem: sed cuius quælibet pars oppositionis ratione eget, & argumentis probari possit, non autem sensu uel pœna aperta sit. Nam quæstio de dei optimi maximique honore, & calicularum omnium cultu & obseruatione, in utranque partem contradictionis extensa: non dicitur problema dialecticum. neque de dilectione parentum, & similia, quōd pœna nota fiant. Eodem modo neque propter Anaxagoræ sententiam de albedine niuis: quōd huius sensus sit proprius iudex: non ratio nec intellectus. Exularunt etiam quorum alterius partis cōtradictionis est demonstratio per propria principia & ualde manifesta. ut qui quæreret, utrum homo sit animal, an non? si enim alicuius rei monstrandæ propria habuerit principia quispian, non amplius dialecticus: sed demonstrator efficitur. quare diligentius propositiones perquirens, facit ignorans à dialecticis aliam fidem. Insuper non erunt dialectica, quæcunque sophistæ absurda & inopinabilia assumunt, uel probare moluntur & inquirunt. illa enim remota sunt & ab omni fide longissime distracta, quæ egrediuntur dialectici muneris cæcellos: quæ nihil habeant probabilitatis: & quæcunque simpliciter nulla disceptatione fidem recipiunt. quare sola problemata sunt, de quibus in utraque partes differendum. Quæ de thesi & hypothesi circunferantur ab oratoribus, ex illis petenda uberius, qui diuidunt quæstionem omnem in thesim & hypothesim, illam nudam & dialectici muneris: hanc uero personæ, temporis, loci uestitam circunstantijs, & rhetori propriam. Neque æstimare tamen oportet rhetoricen singulariū esse: nisi qui eā labilem & internecioni obnoxiam esse uelit, & artem non haberi. Nulla enim ars est singularium: ut medicina non quid Socrati aut Calliæ salubre

fit considerat, sed quid tali uel taliter dispositis: quod artificiosum est. singularia etenim infinita dicuntur: quæ numero haud comprehenduntur: quare scientia nequeunt contineri. neque utique rhetorica, quodcumque sit credibile, contemplabitur: sed quod uidebitur probabile talibus uel taliter dispositis.

Determinatis autem his oportet diuidere, quot orationum species dialecticarū. est quidem altera inductio, altera uero syllogismus. Et syllogismus quid sit, dicebatur prius. Inductio uero à singularibus ad uniuersalia accessio. ut si est gubernator sciens, optimus, & auriga: & omnis circa unumquodque sciens optimus est. Est autem inductio credibilior, & manifestior, & secundū sensum notior, & multis communis. Syllogismus uero uolentior, & ad contradicentes efficacior. Genera igitur & de quibus orationes, & ex quibus, quæadmodum prius dicebatur, determinentur.

Discussis interrogationibus dialecticæ proprijs, post uniuersalē omnium considerationem: proximum est, de orationibus, quot sint, secundum quas differere probabiliter contingat, dicamus, & utilitatē suggeramus. Quoniā omnis fides inductione uel syllogismo constat, & dialecticæ fidei duas formas disceptandi subiectas constituimus, syllogismum, & inductionē, ad abundantiam omnem arguendi. oportet dialecticū maxime abundare differēdi modis, quæ uolumus de omni problemate dialectico disceptare posse. siue igitur disputatio fiat ad uulgares, siue doctos, nō destituetur instrumeto: cū uulgaribus enim disputabitur inductione: cū doctis, syllogismo. Omnis autē qui aliquid de aliquo dici ostendit, id monstrare nititur per aliud: quod idem se ipsum non confirmet: non extraneum. quare illud uel rationem habet æqualis, uel superioris, uel inferioris ad rem probandam. si autem per hoc, inductione ostendetur: si per illa, syllogismo. Enthymema quidē syllogismum rhetoricū, Exemplum autē rhetoricam inductionem appellamus. quod omnes rhetores fidem faciant, uel exēplis, uel enthymematibus: sicut dialecticus inductione & syllogismo dialectico. De syllogismo dialectico satis ample diximus in huius principio: & quid esset, & quæ differentia illius, à cæteris: quare transeamus ad inductionis finem. inductio autem est, à singularibus ad uniuersalia accessio. qua-

Enthymema.
Exemplū.

Inductio.

re & syllogismus dici poterit, ab uniuersali ad singularia demissio. In prioru analyticorū 2. finitur inductio, quæ per minus extremu maius extremū medio inesse colligit. ut extremorū a & c, sit medium b: qui itaq; ostēdit ipsi b medio, cōuenire ipsum a maius extremū per c, inductionem fecerit. sit à longæuū: b non habēs cholera: c animal sine cholera: per singularia ipsius c, colligimus, omne non habens cholera esse longæuum. nam sic inducemus, homo sine cholera, asinus sine cholera, equus sine cholera sit longæuū: igitur omne sine cholera est longæuum. quare nō erit impendio arduū ex inductione syllogismū definire, quodd quodāmodo opponantur. Nam syllogismus, per mediū maius extremū de minori colligit: Inductio uero, per minus extremū maius de medio. unde patet, faciliē esse syllogismi in inductionē, & inductionis in syllogismū metamorphosim. qui nanq; singularia minoris extremi in syllogismo acceperit pro mediū loco, inductionē comparabit, maius de medio colligēdo: & contra, ex inductione syllogismū corrogauerit. Inductionem simul patet non ex simili ad simile decurrere: cum particularia uniuersali cōtenta, similia uniuersali nō uideantur: sunt enim partes totius: quare à simili ad simile argumentatio exempli naturam referet. Inductione probamus omnem eruditum esse optimum: & auriga eruditus, optimus: gubernator nauis eruditus, optimus: & medicus, & miles, & geometra eruditus, optimus. quare omnē artificē qui sit eruditus optimū esse colligimus. Differt syllogismus ab inductione, & natura, & usu. syllogismus nāq; natura & simpliciter notior est, & prior: quāto cōmune particulari notius: & robustior, qui impetū facit & necessitatis legē inferat. in repugnantes suas uires manifestat ualide: at inductio parum habet uirium, et si notior nobis sit: quodd per singularia colligat: quodd facilis sit instantia nullam intentionem necessitate demittens. quare idonea ad multitudinem & ignaros: qui magis sensibilia dijudicant. Genera igitur prædicatorum quatuor sint: à quibus & quatuor formæ propositionum & problematum dialecticorum: de quibus problematibus fuit disputationes dialecticæ, ex propositionibus dialecticis.

Differt syllogismus ab inductione.

Instrumenta autem per quæ abūdabimus syllogismis, sunt quatuor. Vnū quidem, propositiones accipere. Secundum uero, quotupliciter vnūquodque dicatur posse diuidere. Tertium, differētias inuenire. Quartum autem similis inspectio. Sūt autem aliquo modo & tria horum

propositiones. Nam est secundum vnumquodque ipsorum propositionem facere. ut quoniam eligendum est pulchrum vel delectabile vel conferens. & quoniam differt sensus à scientia, hæc namque deperdenti possibile est rursus accipere, illud autem impossibile. & quoniam similiter habet sanatiuum ad sanitatem & salubre ad salubritatem. Est siquidem prima propositio à multipliciter dictis, secunda autem à differentiis, tertia vero à similibus.

Reliquum est, quod se offert, determinandum, & quod postremum proposueramus, in quo sit methodus dialecticæ, non minus quam in prædictis. Reposuimus enim dialecticam in cognitione quatuor prædicatorum, è quibus suscipitur propositionum & problematum differentia, & in propositionum per quas fiunt disputationes dialecticæ notione, nec non problematum intelligentia, de quibus sit certamen in utraque contradictionis partem, & demum quibus instrumentis ad syllogismos struendos abundabimus: nam his tribus totam methodum contineri, & ex illis assurgere uoluimus. Quatuor enim prædicata omnem suppellectilem & materiam propositionibus & problematibus suppeditant: propositiones uero per quas disceptemus, & problemata in quæ cogrediamur digito monstrant. Nunc armorum magna multitudo, quibus pugnandum sit, desideratur. Nam sæpe expertum est, militem à repugnante armis, quibus ille furibundus primum impetum minabatur, assumptis destitui, uel ea frangi: quod si domi alijs caruerit, nec ad manum habuerit, quibus se protegat & defendat, uel hostem impetat nouo certamine inuito, timendum fuerit, ne se irritasse (quod aiunt) crabrones sentiat, & canes excitasse: qui temerarius audaciuscule in hostem congredi existimetur. Quapropter colluctator dialecticus, qui respondentem tanquam hostem habeat presentem, non tantum una instructus ratione in certamen prudentior descendet: ne statim intercepto rationis uigore uel ratione fracta, illusus à respondente magna cum ignominia suæ eruditionis ad suos redeat. quare omni telorum genere & argumentorum copia in certamen procedere conueniet: quam quatuor comprehendet modis. Nam instrumenta per quæ abundabit syllogismis & inductionibus, quadruplicia sunt. Primum, sumptio propositionum, seu, quod idem est, præptitudo & facultas propositiones sumendi ad disputationum formas. Propositio etenim instrumentum non est disputationis: quod instrumentum pars non sit eius, cuius est instrumentum: ut in artibus facile concipitur:

Quatuor instrumenta.

Propositio non est instrumentum.

at ppositiones, & syllogismi & inductionis sunt partes. Secūdū, posse multiplicia cognoscere & eadem dirimere, siue nomine & ratione, siue ratione solū multiplicia habeatur. Tertiu, cognoscendi differentias p tertia: quibus quaedā differūt ab inuicē. Quartū, similitudines, in differētibus inuenire posse. Verū quodā modo tria illa postrema ad primū recurrere uidentur: quod ad sumptionē & propositionū electionē cōferāt. nā ex multiplicis distinctione in partes magna propositionū abūdantia generatur: necnō ex differētiarū inuentione, & similiū contēplatione. Ipsum etenim multiplex per diuisionē propositio fit: ut quoniā eligēdum in pulchrū, uel delectabile, uel cōferens diuiditur, suscipiētes totam illā propositionē ex diuisione conari poterimus & argumentari ad problema, quo interrogaretur, utrū imperiū sit eligendum, an non? in hunc modum: Omne eligendum est uel pulchrum, uel delectabile, uel conferens: atqui dominium nihil horū est: non igitur eligendum. Eodem modo, si quæratur utrum anima sit corpus, an non? per diuisionem in problema differemus: quod omne corpus est uel naturale, uel mathematicum: anima neq; est corpus naturale, neq; mathematicum: non est ergo corpus. similiter differentiarū cognitio propositionibus abūdantiam confert. Nam qui cognouerit à disciplina sensum seiungi, quod diuisionē perditū iterū resumere & reuocare sit possibile: sensum uero amittenti impossibile repetere ipsum: abūdabit propositionibus ad differēdum in problema hoc, utrū sensus sit idem cū sciētia, an nō? ex differētiarū cognitione. & in singulis huiusmodi. Nō minorē cōtribuet copiā similitudinis cōprehēsiō: à qua depromūtur ppositiones, quibus similitudo explicatur, & quibus locupletati poterimus abunde disputare, ut qui sciamus similiter habere sanatiuū ad sanitatē, ac habile ad bonā habitudinē, facile argumētābimur in problema, utrum habilia seu salubria sint boni habitus effectiua, an non? hoc differendi prætextu, sicut habent habilia ad bonū habitum, sic sanatiua ad sanitatem: uerū sanatiua sunt sanitatis effectiua, igitur & salubria salubritatis. quare nulli obscurū potest esse ad propositionū copiam tria illa postrema non segniter concurrere.

Ipsas igitur propositiones eligendū, quotupliciter determinatur de propositione: uel omniū proponēti opinionēs, uel plurium, uel sapientū: & horū, uel omniū, uel plurimorū, uel notissimorū. aut etiā cōtrarias probabilibus, & quæcūq; opinionēs secundū artes sunt, aut cōtrarias probabilibus secundū cōtradictionē protētas, quem

admodum dictū est prius. Vtile autem & facere ipsas, in eligendo, non solū existentēs probabiles, sed & similes illis. vt quōd cōtrariorū est idem sensus, nam & scientia est eadem: & quōd videmus suscipientes aliquid, & non emittentes. etenim & in alijs sensibus sic: nam & audimus suscipientes aliquid, & nō emittentes: & gustamus, & olfacimus eodem modo. Similiter autem & in alijs.

Si quē excitari multa ratiocinādi copia, eundē propositionū probabiliū studiosum esse fuerit decēs: quōd illis cōsarcīatur disceptationes.

Qui autē habuerit delectas propositiones prēmeditatas, facilius & copiosius necnō prudētius disceptabit de themate. Delectas in primis accipiet, quæcūq; propositionis dialecticæ finitione cōprehēdūtur, & quæcūq; adnectebātur propositioni dialecticæ per relationē ad aliud: quæ ex dictis propositionis dialecticæ traditionibus innotescūt satis. quare his super sedemus, si postremo exēplo lucernulas apposuerimus: quo inquiritur, utrū uideamus suscipientes aliquid, an nō, sed emittētes: in quod cōgrediemur per probabiles huic similes, sic: audimus suscipientes aliquid, & non emittentes aliquid, gustamus per susceptionem saporis, olfacimus per odoris comprehensionem, & nihil foras emittimus: igitur & uidemus per susceptionem, non autem per emissionem. nam simile habēt naturam & proportionatā sensus ad sua sensilia omnes. Voluit Plato in Timæo, nos uidere non per acceptionē formarū à uisibili: similiter & Empedocles (cuius sententia in libello de sensu & sensato) sed produci uisionē per emissionē radiorū ab oculis & splendoris effusionē: non aliter q̄. candela ardet in lucerna, cuius lux egreditur quantum se fundere potest, collustrans uiam & tenebras uincens. Sic tunicis clausus ualidis, subtilibus, amplis, ignis natiuus, pupillarem impetit orbem: dissilit ille foras, quātū se fundere possit. Leonicus super his multa ex Alexandro tradidit.

Quod uideamus suscipiendo.

Insuper quæcūq; in omnibus vel plurimis apparēt, sumendum vt principiū, & credibilem positionē. Ponūt enim, qui nō conspiciūt in aliquo nō sic habere. Deligere autē oportet & ex descriptis orationibus: descriptiones autem facere de vnoquoq; genere, supponētes seorsum: vt de bono, vel de animali, & de bono omni, incipiētes ab ipso quid est. Annotare autē & singulorū opinio-

nes, ut & Empedocles quatuor dixit corporū elementa esse. Ponet enim aliquis quod ab aliquo dicitur pbato.

2. Sumuntur propositiones præter superiores ad syllogismorum contextū, quæcūque in omnibus ueræ cōspiciuntur, uel plurimis sine instantia tanq̄ principia & positiones seu confessiones omnibus apparetēs. Quæadmodum enim principia nō licet interrogare, sed utendū est illis cōfessis & fidē facientibus per se: sic quæ in omnibus uidentur uera, sumenda sunt simpliciter uera, & sine instantia, licet aliquando in omnibus nō consentiāt: ut est, maiori bono maius malū est contrariū: uel, omnis mater diligit filiū: talibus & similibus, quæ uel in omnibus uel in plurimis ueraces cōspiciuntur, sine aliquo instatiæ detrimento uti cōueniet. nam tales facile cōceduntur, quarum non habetur instantia ad manum, semoto dubiorū uelamine ueræ esse, quæ & à rudibus ut principia iudicantur.
3. Insuper deligere conueniet propositiones, non solum ex uulgarium opinione probabiles, & quæ uulgo circumferuntur solum accipere dialecticas: sed & ex descriptis orationibus quæcūque in illis probabiliter describuntur, deligere & habere præparata oportet. Non enim prompte ad problema accesserit, qui non abundauerit propositionibus, & prius inuenerit, quibus sit differendum. Oportebit igitur facere delectas propositiones secundum philosophorum traditiones, simulque intelligere quæ aliena, quæ propria scribuntur de re proposita. Nulla ferè res est, cuius mentionem non fecerint uariam & multiplicem, quā & scriptis reliquerunt sapientes. Huic negotio plurimum fauebit per omnia prædicamenta discursus: nam quicquid dici uel defendi possit, aliquo decem prædicamentorum arceri cogitur. quare secundum unumquodque genus conspiciendum est, quid de re proposita dici poterit, an substantia, an quantitas, an qualitas, aut aliquid aliorum, unumquodque per se & seorsum coniiciendo. Verūm ad talem delectum præsidium afferet non paruum, ordo rerum naturalis & prædicamentorum obseruatus: ut si de animali quæstio suscipienda sit, excitanda erunt quæ traduntur, siue aliena, siue conuenientia. Primum tamen à substantia munus intētare oportebit, & ipso quid: ut de animali, an sit substantia animata sensibilis: deinde quantum & quale sit, & quid omni animali cōueniat: ut sit ne omne animal aut gressibile, aut aquatile, aut uolatile: uel quæ uniuersaliter nō in sint, ut nō omne animal respirat: uel nō omne habēs cornua, est bidēs. simpliciter curādum est quod offenditur problemati refractariū proposito, quid semper, quid aliquādo cōgruat, quid sequatur, & quid inferat:

quæ omnia si per illas decem prædicamentorū classes distributa fuerint, magnū supra ueri fidem copiam emporiū suggerēt. Vt de bono si habeatur quæstio, licebit per omnes prædicamentorū cāpos libere expatiari: quòd in omnibus illis (ut in moralibus dicitur) disseminatum existat. Adhæc annotare diligēter decebit singulas philosophorum opiniones, & proprias & peregrinas: & eorundem nomina in gratiam interdum & fidem rei uenient proferenda: quòd facile credat ueram esse propositionem, cuius assertorem seu authorem opiniones intellexerint, quem fide & autoritate dignum admirantur, & à cuius sententia recedere piaculum esse existiment. ut quod Empedocles Agrigentinus tradidit literis, de rerum principijs, igne, aere, aqua, & terra, simiæ huius nonne blandientur? nonne Platoni consentiunt academicæ sectæ æmuli? nonne Aristotelem utrisq; brachijs amplectuntur peripapetici iuris fautores studiosi? quæcunq; igitur à probatæ eruditionis philosopho dicuntur, ad disceptationem producenda erunt. quilibet nanque concedit promptissime quæcunq; traduntur à philosophis, & maxime probatis: nisi aliò uocauerit uehemens nescio quis affectus.

Sunt autem (vt figura sit complecti) propositionū, & problematum partes tres. Nam aliæ sunt morales propositiones, aliæ naturales, aliæ rationales. Morales quidem sunt tales, vt, vtrum oporteat parentibus magis obedire, an legibus? si dissentiant. Rationales uero, vt vtrum contrariorum eadem sit disciplina, an nō? Naturales autem, vt vtrum mundus sit æternus an non? Similiter autē & problemata. At uero quales sint singulæ prædictarū, definitione quidem non est facile assignare de ipsis. uerū ipsa quæ per inductionem est cōsuetudine, tentare oportet cognoscere vnamquaq; earum secundum prædicta exempla considerantes. Ad philosophiam igitur, secundum ueritatem de his tractandum: dialecticè autem, ad opinionem. Sumendæ autem quàm maxime uniuersales propositiones omnes, & ex vna multæ faciendæ: vt, quòd oppositorum eadem disciplina, deinde quòd cōtrariorū, & quòd eorū quæ dicuntur ad aliquid. Eodem modo & ipsæ rursus diuidendæ, quousque contingat diuidere: vt, quòd boni & mali, & albi & nigri, & frigidi & calidi. Simi-

liter autem & in alijs . De propositione igitur sufficient
prædicta.

5 Desumet etiã dialecticus propositiones & ut apis sedula, colliget ex
ipsis artibus ad differendum probabiliter. quare & problematum nu-
merus pro artium numero triplici, ternario cõprehenditur. Artes enim
omnes referuntur, uel ad cognitionẽ, uel ad actionem, uel ad orationẽ
formandam. Artes autẽ cognitiuæ uocantur: naturales, mathematicæ,
& diuinæ sciẽtiæ, & reliquæ id genus, ex quibus sola rerum cognitio
& scientia desideratur. Artes actiuæ dicuntur, quæ earũ sunt rerum,
quæ actioni atque arbitrio nostro sunt addictæ: quales sunt, quibus
animus ad uirtutem dirigitur, probitate excolitur, quam moralem phi-
losophiam dicimus: quæ & ciuilem facultatem & domesticam intelli-
gimus. Artes quidẽ rationales omnes fatemur, quæ ad formandã ora-
tionem pertinent: quas λογικὰς appellant, quæ ad superiores uidentur
referri, quod tanquã illarũ ministræ quærantur, & ad præsiðiũ.
quare à tali numero dicantur propositiones & problemata, in tripli-
ci differẽtia. Morales propositiones (ut dicta exemplis inuentur) sunt
tales, utrũ oporteat parentibus magis obedire, an legibus? si discrepẽt,
quã quæstiõnẽ Plato in Ciuili, & in Minoe, in partes trahit uarias, &
quæcunq; ad electionẽ uel fugam suscipiuntur. Rationales, utrũ contra-
riorũ sit eadem disciplina, an non? & quæcunq; coadiuuat cæteras di-
sciplinas: Logica enim ut instrumentũ ad ethica & physica cõfert. Na-
turales sanẽ, utrũ mundus sit perpetuus, an nõ? & reliquæ quæ ad co-
gnitionẽ & ueritatẽ solum intentantur. quocirca manifestũ esse potest
exemplis tres esse partes propositionũ. Exactã tamen non laboramus
adinuenire omniũ, propositionũ differentiã, sed uniuersalẽ quandã tra-
ditionẽ prælibasse ducimus opportunius, multæ enim habentur quæ-
stiones quæ neq; de moribus neq; cognitiõnẽ, neq; oratione habentur. tales
sunt omnes quibus opus destinatur, & est finis: quæ operariæ, mecha-
nica, seruiles uocantur, illis enim omnibus corporis necessitati succur-
rimus: quæ numero septenario circũferuntur, his intellectæ: Lana, ne-
mus, miles, & nautica, rus, medicina, His ars fabrilis cõnumerãda ue-
nit. eas tamen poterimus supponere morali, quod actionẽ, uel opus ha-
beãt: nõ quod uelimus idẽ esse agibile & effectibile, quod alterũ sit ar-
tis, alterũ prudentiæ. sunt etiam & quæstiones de diuinis & rebus
mathematicis quæ naturales propriæ non dicuntur, ad illas tamen re-
ducere poterimus, quod cognitionẽ habeant pro fine & in cõtempla-
tione ponantur. quare non defuerunt qui philosophiam in tria parti-

Artium di-
uisio.

Mechanica

rentur: in logicum, contemplatiuum, & actiuum. Alij in logicum, naturale, morale, mathematicum, & diuinum. Similiter autem & problemata triplicis erunt discriminis, uti demonstratum est de propositionibus. uerum prætermittendum non erit silentio quòd usus sit figura quam hypallagen uocant, quæ est orationis uice inuersa prolatio: nam quam oportuit adiungere interrogandi notam propositionibus ipsis, adiuuauit Aristoteles problematibus, & quam problematibus, contribuit propositionibus. nam propositiones istas appellauit, utrum mundus sit æternus, an non? utrum contrariorum sit eadem disciplina, an non? quas constat esse problemata. Multitudine igitur non dissentiunt propositiones & problemata, sed ternario cõprimuntur. singulas tamen & unãquãq; propositam propositione non est facile definitione claudere, qualis fuerit, An moralis, an naturalis, an logica. et si habeamus uniuersaliter, omnes propositiones esse uel morales, uel logicas, uel naturales. sed oportebit tentare differentias inuenire propositarum secundum prædicta exempla: & in singulis per inductionem asuescenus cognoscere aliorum similitudine & comparatione quales fuerint. Nã ethica est quæstio, & moralis, an morales uirtutes sint cõiunctæ, cuius tamen cognitio est finis, non autem fuga uel electio: similiter utrum uoluptas sit motus an non? est problema morale: quod non ad electionem refertur uel fugam. quare morales quæstiones tales dicemus, quas qui pulchri & honesti causa non assequitur, non fiet ingenuus. naturales sunt quæcunque de augmentatione, de motu, de generatione & corruptione, & quoniam omne genitum est corruptibile, & similes. Logicæ quidem, quòd quæ ad aliquid dicuntur, simul natura sunt, de contrariorum disciplina, & de contradictione, quæ in uerum & falsum diuiditur, de specie, de syllogismis, de figuris, & coniugationibus: quas omnes & singulas propemodum infinitas quis poterit determinare esse tales uel tales? nempe ut laboris esset infiniti, si quis singulas contenderet definire & determinare esse talis denominationis: sic nullius disciplinæ. quare iure bono abstinentiũ fuit à singulorum determinatione. Propositionibus ipsis & problematibus triplicis differentiæ, in quæ uolumus quicquid interrogari potest, relabij alio sumptionis genere utitur demonstrator seu philosophus, & dialecticus. Nã philosophus, siue de naturalibus, siue de moralibus, siue de logicis negotiũ assumpserit, unicuiq; propria contemplatur: qui ex ueris primis & immediatis demonstratiõne connectat. Dialecticus uero de illis ipsis differit omnibus: id tamẽ communiũ opera absoluit artificiũ,

Hypallage.

Demonstrator ex primis.

Dialecticus
ex hominū
opinionē re
ceptis.

8
Deligendē
vniuersales

nempe per probabilia differere elaborat atq; monstrare quæcūq; opi-
nionē hominū recipiūtur, seu opinionē habent probabile. quare diale-
cticus sumet propositiones ad opinionē hominū momentū habentes nō
modicū. In delectu propositionū cuiuscūq; generis dialecticarū ad syl-
logismorum abundantia utilissimū fuerit sumere propositiones maxi-
me uniuersales: quod una uniuersali accepta pluribus abūdare poteri-
mus. ut qui sumpserit & quasi precario acceperit, omnium opposito-
rum eadem est disciplina: & quoniā contrariorū est eadem disciplina,
colliget syllogismo: & eorum secundum priuationem & habitum op-
positorū est eadem disciplina: & relatiuorū, & eorū secundum affir-
mationem & negationem est eadem disciplina. Insuper unamquamque
illarum diuidere conueniet accipiēdo magis singularia earum. ut in
cōtrarijs, quod boni & mali eadem est disciplina, sani & ægri, albi &
nigri, & frigidi & calidi in super eadem colligetur. similiter in alijs. ut
in relatiuis monstrabitur dupli & dimidiij, multiplicis & submultipli-
cis eadē est disciplina. & in priuatiuis ratione eadem firmabitur, cæci
& uidentis, loquentis & muti eadem disciplina. In cōtradictorijs suo
modo colligetur. Quare notū est una habita uniuersali propositione,
multas nos habere, quam in tot partes distinguere possumus. Fœcundæ
sunt admodum uniuersales propositiones: è quibus citra controuersia
non pauciores, quàm ex illo equo troiano prodierūt milites, partus in
lucem emittuntur. quare his modis omnibus præunitum esse con-
ducat in deligēdis propositionibus dialecticū, qui probam studebit na-
uare in differendo operam: in cuius gratiam tot constituti, & quoniā
octo modi propositionum sumendarum sufficiant.

De multis
plicis.

Ipsū autem quotupliciter considerandū est non so-
lum quæcūq; dicuntur secundum alterum modum: sed
& rationes ipsorum tentandum assignare. vt non solum
quod bonum altero quidem modo dicitur iustitia & for-
tudo, habile autem & salubre altero: sed quoniam & illa
quidem eo quod qualia quædam sunt, hæc uero eo quod
effectiua alicuius & non eo quod qualia ipsa sunt. eodem
modo & in alijs. Vtrum autē multipliciter vel vnice spe-
cie dicatur: per hæc quidem contemplantum.

Secundū feceramus instrumentū ad syllogismorum copiam quotu-
pliciter diceretur, unūquodq; posse cognoscere nec nō diuidere, cuius,
quod sola enumeratiōe facta attingimus, naturā apertissimis quibusdā

notis uolumus indicare, ut detur literarum studiosis libera multiplicis distinctio. Sciendum tamen multiplex duobus intelligi modis, uno quidem qui dicitur nomine, quod homonymum, seu æquiuocum est: altero autem oratione, quæ amphibolia consuevit dici. Verum de multiplicis æquiuoci inquisitione noster status cõstituitur. Multiplex quidem nomen esse non solū monstrare contendemus, quòd illud significata adinuicem differentia contineat, dicendo quoniam aliter & aliter de significatis ipsum enuntiat: uerū alius paulo rem ipsam repetemus, quæ naturā & rationis diuersitatem perquirendam uolumus uel unitatē. non enim solum conueniet cõcludere bonū esse multiplex ad iustitiam & salubre, q̄ aliter de illis dicatur prædicari: uerum proprias uniuscuiusq; cõttemplabimur definitiones & iustitiæ & salubris, in quorum reddendis naturis & definitionibus bonum non eandem educere naturā utriusq; communicandam manifestius fiet. Fortitudo namq; & iustitia ex eo dicuntur bona, quòd habentes iustitiā & fortitudinē quales sint & studiosi: uirtutes siquidē quales & simpliciter bonos reddunt. Salubre uero & habile ex eo dicuntur bona, quòd boni sint effectiua, ut sanitatis. quæ per se bona nō sunt, habentes enim ipsa boni nō sunt sed potentes. Hinc diuisio enata bonorum, in bonum per se seu simpliciter, & boni effectiuum. Igitur clarum est scire multiplex nomen dici. Nā si significatis diuersis differentes promittat definitiones proprias, id est multiplex. quare quodcumq; nomen propositum fuerit in multiplicis, uel simplicis disceptationem, cõttemplabimur, & inquiremus quibusdam rationibus, uel naturam eandem nominis, uel uariā insinuantibus. Argumenti namq; contextus multiplicē speciem & rationē colligens, nomen monstrat multiplex esse, & æquiuocum. quare an dicatur nomē multiplici specie, seu ratione, an simplici & eadē, locis sequētib; considerabimus: quibus tanquā signis dignoscatur multiplex nomen.

Primum quidem in contrario inspiciendum: si multipliciter dicatur, siue specie, siue nomine dissonet. Quædam enim statim & nominibus alia sunt. ut acuto in uoce contrarium est graue: in magnitudine autē obtusum. manifestum igitur quòd contrarium acuto multipliciter dicitur. Si uero hoc, & acutum. nam secundum utrunq; horum diuersum erat cõtrariū, non enim idem acutum, erit obtuso & graui contrarium: utriusq; autem acutū contrarium. Rursus graui in uoce contrarium quidem acue-

Multiplex
duplex,

Fides multi-
plicis.

tum: in magnitudine autē leue. quare multipliciter graue dicitur, quoniam & contrarium. Similiter autem & pulchro ei quidem quod in animali, turpe: ei vero quod in domo est, perniciosum. quare æquiuocum pulchrum.

Quoniā æquiuoca dicuntur quorum nomen cōmune est, ratio tamē substantiæ diuersa: & uniuoca quæ nomine & specie eadē dicuntur, bono differēdi iure colligetur multiplex, quod specie, id est, definitione uaria de suis prædicatur significatis. Variā nominis & multiplicē definitionē in primis colligemus ex oppositis. Verum opposita in quatuor ordines sunt diuisa, in contrarios, cōtradictorios, relatiuos, & priuatiuos. A quorū singulis argumenta ad congressus inuendos pro multiplicis fide, & compositione desiderabūtur. Primas igitur partes obtineant à contrarijs deductæ argumentandi formæ, ad multiplex cōfirmandum. Nam si cuiusdam plura nomine dissidentia & ratione, uel solum ratione comprobentur contraria, illud firmissime tenendum est multiplex. quare si in discrimen uenerit multiplicis nomen quoddam propositum, considerabimus quænam illi proposito cōtrarietur: cui si uel nomine & ratione plura, uel solum specie aduersentur: necessarium fuerit esse multiplex. Sunt enim quædam in quibus cōtrariorum nomina statim diuersa conspiciūtur, & nō solum rationes uariæ: quædam uero nomina, non recipiunt sibi contraria differentia: sed solum definitiones diuersas. Prioris factionis contraria à maiori fidei dignitate, quam aduehunt, multiplex nomen, in dubium pertractum confirmant. ut sit propositum in controuersiam, sit ne acutum multiplex, an simplex? ex hoc loco quod ei multa, & nominibus & rationibus differentia contrarietur, multiplex monstratur. Nam acuto in uoce contrariatur graue, acuto autē in magnitudine obtusum est contrarium, quod nomen diuersum est à graui, & eiusdem ratio alia: quare si acuto graue & obtusum nomina diuersa, & quorum rationes differentes sunt contrarietur, multiplex acutum colligendum uenit: unicuique enim illorū aliud acutum erat cōtrarium. nam acuta uox dicitur, quæ auditum feriat: acuta magnitudo, quæ tactum. Eadem ratione graue ostēdimus multiplex: quod graui, & acutum & leue diuersa & nomine & ratione cōtrarietur, nec dissimili loco pulchrū cōcluditur multiplex: quod illi & turpe & perniciosum contrarietur. Neque ex loco uirtutes omnes, ut fortitudinem, temperantiam, & cæteras morales multipliciter dicas: quod mediocritates sint inter duo extrema. nō enim uirtus ex-

I
Locus à cōtrario re & nomine pluribus.

Scrupus.

trema duo cōtraria habet excessum, & defectum proprie, sed uitium: improprie autem & pingui minerua dicitur cōtrariari illis: eo quòd contingat sine mensura & excedentia & deficientia uitia esse. quare uirtus una contrarietate illis opponitur, ut uitia sunt: nec illa extrema uirtuti diuersa ratione contrariantur. De extremo autē quod uirtuti & alteri extremo cōtrariari obijci potest: respondendum est timiditatem fortitudini contrariari, non autem audaciæ alteri extremo quatenus uitium: nā utrunq; eadem ratione est uitium. & in singulis nō disparē modū uolumus. Quòd si quis insurrexerit, de extremo, ut excessus dicitur, quòd contrarietur defectui & mediocritati, igitur illi plura contrariari: uides non æqualiter aduersari eidem duo illa: sed alterum magis ei repugnare, alterum minus: similiter relatiuorum naturam redolere. quare sit locus firmus, qui colligit, cui plura contrariantur nomine & ratione distincta, id multiplex habeatur. unde uulgaris sententia: unum uni contrarium est.

In quibusdā autē nominibus quidē nullo modo dissonat, verū specie per manifesta in ipsis statim differētia est. ut in claro, & obscuro. vox enim clara, & obscura dicitur. Similiter autē & color. nominibus igitur ipsis nihil dissonant: at specie pernota est in ipsis statim differentia. Non enim similiter & color clarus dicitur: & vox clara. manifestū autem id est per sensum. Nam eorundē specie idē est sensus: atqui clarū in uoce & in colore nō eodem sensu iudicamus, sed hoc visu, illud autē auditu. Similiter autē & acutum, & obtusum in humoribus, & in magnitudinibus. sed hoc quidem tactu, illud verò gustu. Neque enim hæc dissonant nominibus, neque in seipsis, neque in contrarijs. obtusum enim est contrarium utriusque.

Secundus differendi modus multiplicis desumitur à rationibus diuersis contrariorum solum: & non à multitudine diuersorum contrariorum eidem repugnantium. Nam, ut diximus, quædā habentur contraria multiplicia, quibus tantum una uox contrariari dicitur. quare non licebit in talibus loco superiore argumentari multipliciter: sed ex uoce, quæ illi contrarie dicitur opponi, diuersas rationes habente. ut clarum non monstratur multiplex, quòd pluribus nomine distinctis contrarietur (quod solum habeat obscurum contrarium) sed eo quod obscuri multæ & diuersæ rationes circumferuntur, ut de uoce &

2
A contrario habete unū contrarium, sed multa plex.

colore dicitur. cui secundum illas rationes clarum contrariari dicitur. nam alia ratione dicimus obscuram uocem, & obscurum colorem: quod illa, quia male audibilis: hic uero, eo quod offundat tenebras uidentur dicitur. quare clarum in uoce & colore multiplex dicitur, quod obscure contrarietur, multiplici secundum omnes acceptiones. quod Aristoteles expressit Græce: οἷον ἐπὶ τῆς λευκῆς καὶ τῆς μέλανος: φωνῆ τῆς λευκῆς καὶ μέλανος λέγεται, ὁμοίως ἢ καὶ τὸ χρῶμα. potuissent uertere sic, ut in albo & nigro: uox enim alba & nigra dicitur. similiter autem & color. quam interpretationem sequutus est Argyropylus. uerum quoniam albi nomen latinum in hunc usum nondum uenit, nec nigri: usi sumus nominibus clari & obscuri. Rationibus profecto diuersis de uoce clarum prædicari, & de colore, syllogismo hoc manifestum fiet: Eorundem specie & ratione idem est sensus: atqui non est idem sensus, qui iudicat clarum in uoce, & clarum in colore. nam clarum in uoce dicitur auditus: alterum uero uisus. Eodem argumento possumus uti, non solum in recipientibus contraria: sed in omnibus. ut color, quod χρῶμα dicitur, multiplex conuincitur, cui nullum est contrarium: eo quod diuersis sensibus percipitur. nam uisu, & auditu. simili modo obtusum multiplex manifestatur, quod acuto multiplex contrarietur: nam acutum in humoribus, & in magnitudinibus, diuersis sensibus innotescit: quare multiplex. manifestum est tamen illa nominibus non discrepare contraria: neque in seipsis, quoniam duo sunt solum sibi inuicem contraria: neque in contrarijs, quoniam obtusum contrarium est utrique acuto: & acutum utrique obtuso, siue in magnitudine, siue uoce intelligatur.

Amplius, si huic quidem est aliquid contrarium, huic autem simpliciter nihil. ut ipsi quæ à bibendo est voluptas: ea quæ à sitiendo tristitia, contrarium. Ipsi uero quæ à considerando est, quod diameter costæ incommensurabilis, nihil. quare multipliciter uoluptas dicitur. & ipsi à mori secundum mentem, odium contrarium: ipsi uero secundum corporalem actum, nihil. manifestum igitur, quoniam amor æquiuocum.

3
A contrario
partim.

Tertia arguendi forma trahetur à contrarijs secundum partem. Nam si quid partim contrarium non reformidet, partim uero, non aliter quam tenella securim planta, refugiat, multiplex arbitrandum est. In eo sanè colligitur differentis naturæ uirtus, quod alteri parti sit quid insensum, alteri uero prorsus nihil molestum. quare qui dubitaret

utrū uoluptas sit multiplex, an nō, omnem anxietatis locū auferet, qui uoluptati partim aliquid tædiosum afferet. ut uoluptati à cibo pro- uenienti, fame: & à bibendo sitim. hæc enim inter se contrarie aduer- santur. Verum uoluptati partim nihil infestū est: quoniā uoluptati con- ceptæ à cōtemplatione circa geometriam nihil repugnat, ut quod dia- meter est lateri incōmēsurable: q̄ nullius sint rationis inter se diame- ter & latus. & circa disciplinas uoluptati nihil est cōtrariū. Voluptas enim illa de re cognita contrarium non habet. Igitur uoluptas multi- plex: quòd significatis omnibus nō eadē ratio inimicitiae tribuatur, uel subtrahatur. Eodem loco probatur amor multiplex, quòd amori secun- dum mentem, odium cōtrarietur: secundum corporis actum, nihil. Pu- tabit magis ingeniosus hunc locū destruere primum, quo dicebatur si cōtrariū est multiplex, & reliquum: modo dicimus amorē esse con- trariū odio: & amorem esse multiplicē, non tamen odium. Verū adiuu- gebamus si contrariū acuto sit multiplex, & acutum omnibus multipli- cis significatis cōtrarietur, colligi multiplex. Odium autem nō omnibus amoris significatis contrariatur, sed solum amori contrariæ opponi- tur: ut significet animæ desiderium, & affectum.

Obiectio.

Solutio.

Insuper in medijs, si quorundam aliquid sit medium: quorundam autem nihil. vel si amborum quidem sit, nō tamen idem. ut clari & obscuri in coloribus, aliquid est medium, fuscum, in uoce uero nihil, nisi forte raucum. quemadmodum quidam dicūt raucam uocem, medium esse. quare æquiuocū clarum, similiter autē & obscurum.

4
A medio se-
cundū pars-
tem.

Adiungitur superioribus quartū epicheirematī principiū multiplicis probatiuū à medijs. nā si quorundā cōtrariorū nomine significatorū aliquod mediū habeatur, & quorūdam eodē nomine significatorū nihil sit mediū, necessariū fuerit esse multiplex. hæc ratione mōstramus albū & nigrū, seu si uanis clarum & obscurū multiplicia esse: quòd mediū partim habeant, partim non. nam in coloribus mediū habent fuscū: in uoce autē nullum agnoscunt. quare & differentia specie, seu ratione colligimus. si autē contigerit utrūq; contrariorū mediū occupare: non tamē idem fuerit in omnibus utriusq; contrarij significatis: nō minus concluditur multiplex utrunq;: ut clarū & obscurum multipliciter dici hæc ratione mōstramus: quòd in coloribus fuscū, in uoce raucum, me- dia diuersa & differentis naturæ sunt. Cōtraria uero eiusdē rationis habent eadem media: quare necesse est, quæ diuersæ rationis media non respuunt, eadem etiam consimilem referre naturam.

5
A distincti-
one rei mes-
dia.

Insuper si horum quidem plura media, horum autem vnum. quemadmodum in claro & obscuro. nam in coloribus multa media: verum in voce vnum, raucum.

A numeri
distinctioe
mediorum.

6 A medijs secundum numerum distinctis eruitur locus rei & nominis compositius multiplicis. nam si contigerit contrariorum quedam plura media recipere, & eadem secundum nomen unum solum, necessarium est multiplicia dicantur, ex hoc loco hauritur ratio clarum & obscurum probans multiplicia, quod illa in omnibus non recipiant eadem media numero, quibus significationem accommodamus. in coloribus enim plura media, et maior est numerus mediorum: ut media haec rubrum, fuscum. In voce uero unicum continetur, raucum: uel nullum: igitur, quod maior numerus mediorum clari & obscuri in coloribus, quam in voce, necessaria ratione distinctas naturas illorum dicimus.

Rursus in eo quod secundum contradictionem opponitur considerandum, si multipliciter dicatur. nam si hoc multipliciter dicatur, & huic oppositum multipliciter dicitur. ut non videre multipliciter dicitur: unum quidem non habere visum, alterum autem non operari visu. Si autem illud multipliciter, necessarium est & videre multipliciter dici. utriusque enim ipsius non videre opponitur aliquid, ut ipsi quidem non habere visum, habere: illi vero quod est non operari visu, operari.

A contradic-
tionis.

7 Sequitur ratio ab oppositis secundum contradictionem multiplicis per se sua sua. nam si affirmationi subnixum multiplex, & quod negationi est proximum, erit multiplex, & contra: quare haud difficile erit ratione hac adiutis indicare ipsum uidere esse multiplex, quod non uidere monstraret multiplex. nam & non habere visum & non operari visu insinuat: unde & uidere multiplex colligetur, in habendo & operando visu. quod utriusque prioris significato repugnet: quare si alterum oppositorum secundum contradictionem pluribus modis dicitur, & reliquum totidem: quoniam quod negatio negat, affirmat affirmatio: & quod affirmatio dicit, negatio inficiatur. oportebit itaque utriusque significationes aequas consistere: nec alterius significationem, reliquum transcendere.

Amplius in his quae secundum priuationem & habitum dicuntur, perspicendum. Nam si alterum multipliciter dicatur: & reliquum. ut si sensibile esse multipliciter dicatur, & secundum animam, & corpus: & insensibile esse multipliciter dicitur & secundum animam, & secundum corpus. quod autem secundum priuationem & habitum opponantur

tur nūc dicta, notū. quoniā nata sunt vtrūq; sensuum habere animalia, & secūdum animā, & secundum corpus.

Ab oppositis priuatiue nō mediocris comparatur uirtus cōstructiua multiplicis. nā priuatiuorū si alterū multiplex, & reliquū oppositū esse oportet. hoc suffulti argumēto mōstramus dubitāti insensibile esse nullū. quod illi oppositū sensibile, sit multiplex: nā sentire secūdū animā, est cognoscere & intelligere: at secūdū corpus sentire, est accipere sensum exteriorē & organorū ope. quare & insensibile tot significationū formis dicitur. Opponi illa secūdū priuationē & habitu notū sit hac ratione: illa priuatione & habitu opponūtur, quæ habent fieri circa idē ordine irregressibili & tēpore determinato: at sensibile & insensibile circa animalia utrūq; fieri habet: nā unūquēq; sensum & secūdū animā, & secūdū corpus nata sunt habere animalia: q̄ si nō habuerint quando nata sunt cōsequi, priuari dicentur. Nullā produxit mētionē Aristoteles relatiue oppositorū, q̄ adeo manifesta esset unius multiplicitas habita multiplici significatione alterius, ut nullius uideatur esse ingenij uel artis, id præceptis astringere. Nā ratio unius relatiui ab altero mutuatur, quippe quo relatiuū multiplex mōstretur, q̄ in utrorūq; rationibus, utrisq; oporteat uti. quare hoc loco sciētā multipliciter dici corroboramus, si scibile recipiatur multiplex. si quis uelit suadere quodcūq; relatiuū multiplex, q̄ non unum tantū sit oppositum (ut unius domini sunt multi serui: & unius præceptoris multi discipuli. nam hæc relatiua sunt) An una ratione cōmuni referri hæc omnia, ut ad rationem serui uel discipuli eandem omnibus dicemus?

Insuper autē in casibus considerandū. nā si iustē multipliciter dicitur: & iustū multipliciter dicitur. etenim secūdū vtrūq; iustorū est iustū. vt si iustē dicatur, & secūdū sui ipsius cognitionē iudicare, & vt oportet: similiter & iustū. eodē modo autē & si salubre multipliciter dicatur, & salubriter multipliciter dicitur. vt si salubre dicitur hoc quidem sanitatis effectiuū, illud uero cōseruatiuū, quoddam autem significatiuum: & salubriter uel effectiue, uel cōseruatiue, uel significatiue dicitur. similiter autem & in alijs, quando ipsum multipliciter dictum fuerit, & casus ab ipso multipliciter dicitur: & si casus, & ipsum.

Nunc uenit declarādus à cōiugatis, & casibus, seu denominatiuis locis cōstitutiuus multiplicis. nā si alterū cōiugatorū sit multiplex, et reli-

8
A priuatiuis

9
A relatiuis.

10
A casibus & cōiugatis.

quū. Coniugata autē sunt, quæ ab eodē nomine, diuerso tamē modo deducta fluxerunt. ut à iustitia, iustus, iustē, iustū. Casus uerò est, alicuius nominis in aduerbiū inflexio. Denominatiua quidē ex categorijs agnoscenda. Per hūc locū, si iustū uolumus monstrare multiplex, per casum monstrabimus, q̄ iustē sit multiplex: nā & iustē iudicare quis dicitur dupliciter, & quando iudicat secundū cognitionē, quā legū multiplici lectione sibi cōparauit, & simul aliorū deliberatiōibus maturis, fortasse tamē nō sanis, uel insigni testiū depositiōe dijudicat. altero modo quādo ut oportet lata est sententia: ut qui æquitate, uel clemētia utitur, nō seruato omni legū terico iure, nec tamen destructo. quare & iustus utroq; modo dicitur: sicut iustē, & cōtra. Eodē modo probare licebit hūc casum salubriter dici multipliciter, eo q̄ cōiugatū salubre sit multiplex. nā quot modis dicetur salubre, tot salubriter casus ab ipso deductus. ut si salubre dicatur tribus modis: primo pro effectiuo sanitatis, ut pharmacū, uel uenæ incisio: secundo pro cōseruatiuo, ut diæta, labor modicus, consimilis uiuendi ratio: tertio pro significatiuo sanitatis. ut color salubris dicitur, qui significatiuus sanitatis, uenarū pulsus, respiratio. hæc omnia salubria dicuntur, uerum æquiuocæ: quare & salubriter tot modis. Hippocratis oraculo astipulatur Aristoteles, in arte medica uocantis salubre alterum, ut corpus, hoc ut causam, quoddam ut signum. Etenim corpus salubre tradit, quod sanitatem natura suscipere aptum est: & causam salubrem, quæ eandem efficere uel cōseruare: & signum salubre, quod potest indicare. quibus tot respondent insalubrium & neutrorum modi, hæc ille. Quare à cōiugatis facilis habetur ratio ad multiplicis fidem. nam si casus multiplex. & coniugatum: & contrā, si ipsum primogenium, & deflexa.

Considerāda autē & genera secundū nomen prædicamentorū: si eadē sint in omnibus. nā si nō eadē, manifestū quoniā est æquiuocū quod dicitur, ut bonū in cibis quidē effectiuū voluptatis, in medicina autē effectiuū sanitatis, in anima uero qualē esse, ut tēperantē, uel fortē, uel iustā. similiter autē & in homine, aliquoties autē & quādo, ut in opportunitate bonū: nā bonū dicitur quod in opportunitate. plerunq; autem quantū, ut in mediocri. nam dicitur & mediocre bonum, quare æquiuocū bonum. Eodē modo autē & clarū, in corpore quidē color, in uoce autē bene audibile. Cōsimiliter autē & acutū. nā nō eodē mo-

do in omnibus idē dicitur. nā vox acuta quidē velox, quē admodū dicūt secūdū numeros harmonici: angulus autē acutus, qui minor recto: gladius vero, qui acutiangulus.

Incredibilis propemodum uirtutis elementū à distinctione prædicamentorū eripitur, quo multiplex struitur nomen. Nam si non sint eadē genera prædicamentorum secundum nomen, ad omnia significata, seu clarius, si nomē prædicatur de significatis, in diuersis prædicamētis residētibus, multiplex uenit colligendū: quādoquidē prædicamentorū naturæ & rationes sunt distinctæ sine cōfusione miscēdorū. Hoc principio monstramus bonū esse multiplex: quod his quæ diuersorū sunt prædicamentorū adhibeatur. Nam bonū de substātia dicitur, ut de mente, & deo: de quāto, ut de mediocri: de qualitate, ut de uirtute. Nam uirtus, bonum est animæ: secundum quā qualem animam, id est, tēperantē dicimus, uel fortē, uel iustā. & in homine bonū dicitur, quod studiosum, ut iustu, uel fortē, uel temperātem, efficit: quæ qualitatibus bona sunt. Bonū de his quæ sunt ad aliquid, ut de utili. de actione etiā dicitur, ut bonū in cibis, effectiuū est sanitatis: & in medicina bonum, effectiuum dicitur sanitatis. quibus actio indicatur. In passione, uidere, doceri. In loco, in Picardia esse, uel Lutetiæ. In tempore: occasio, seu opportunitas. In situ: sedere, iacere. In habitu: armatum esse, uestitū esse. quare notum, multiplex esse bonum: quod de diuersis prædicamentis dicitur, & per omnia prædicamēta diffusis. Neq; dubitamus quosdam codices græcos habere τὸ πρὸς τὰ τῶνομα κατηγοριῶν, alios uero, προσηγοριῶν, id est secundum nomē prædicamentorum, alios autem appellationum. quorum sententiæ non magno discrimine laborant. Eodem æquiuocationis iure, clarum astringetur. quod clarum de colore prædicamentī qualitatis prædicatur corpori adueniēte: nec non de uoce prædicamentī actionis quæ bene audibilis est dicitur, eo quod percutiat ualde uelociterque auditū. Neq; egredietur homonymiæ castra acutū. quoniā de quibus prædicatur, diuersorū sunt prædicamentorū. nā vox acuta de quæ prædicatur acutū, prædicamento agentis cōtinetur, quod uelox & celeris: at uelox aerē secat & diuidit. huius sententiæ defensores producuntur Pythagorei, qui harmonici eō uocari promeruerunt, quod harmonias secundū numerorū cōpositionē facerent. Omnia etenim ad denariū numerū & harmonias reuocabant. Illi itaq; uoluerūt plaga & circa aerē cōcussione facta ob impetū excitari sonos, quibus & uoces adiungūt. Vbi tamē magna motus facti celeritate audiatur sonus, is uox acuta dicitur. Ast si tardior fuerit motus, grauis sonus & uox senti-

II
A prædicamentorum
varietate.

tur. quare notū esse poterit, si uelociter mouere aerē, sit facere, & uox dicatur acuta, eo quōd aerē uelociter moueat: actionis prædicamēto cōtineri. Insuper de angulo, qui minor est recto, acutū prædicatur, prædicamēti relationis. nā omnis cōparatio relationis est: at minus recto cōparatiōis uim imbibit. Ad hæc de gladio acutū prædicatur habēte angulū acutū cuspidē & extremitatē acutā prædicamēti qualitatis: nā quæ figurā & formā referunt, quartæ speciei sunt qualitatis: atqui figurā gladius acutus dicit. quare si acuti aliud ī actiōe, aliud in relatiōe, aliud in qualitate, acutū esse multiplex notū sit: quicquid igitur de suppositis diuersorū prædicamētorū dicitur, hoc loco probabitur esse multiplex.

Cōsiderāda autē & genera eorū, quæ sub eodē nomine, si diuersa & nō subalterna sunt. ut asinus, hoc autē animal, & hoc uas. diuersa nāq; secundū nomē ratio eorū: nā hoc quidē animal aliquod dicit, hoc autē uas quoddā. Si uero subalterna genera sint, nō necessariū diuersas ratiōes esse. ut corui, animal, & auis, genus est. quādo autē dicim⁹ coruū auē esse, & animal quoddā dicim⁹ eundē. quare ambo genera de eodē prædicāt. Similiter autē & quādo animal volatile bipes coruū dicimus, auē eundē dicimus esse. & sic igit vtrāq; genera prædicāt de coruo, & ratio eorū dē. Verū in nō subalternis generibus, nō accidit hoc. nā neq; quādo uas dicimus, aīal dicimus: neq; quādo animal, uas.

12
A generum
distingtione.

Campus hic non parū spatiosus est, ex generum discrimine non subalternatim positorū. nam si genera eorū quæ significatur per idem nomen sint diuersa & non subalterna, etiam eiusdem prædicamenti, nomen illa significans multiplicis erit naturæ. ex eo colligimus asini nomē, multiplex: q̄ animal, & uas significet. quod Aristoteles habet, οἶον ὄνος, τὸ τε ξῶρον, καὶ τὸ σκεῦος. cuius significata sub diuersis generibus non seinuicem continentibus imperium habent: & cuius significata generū distinctorum, tanquā stipēdia militaria rationes recipiūt. Nam asinus significando animal, quoddam certū indicat & rudibile, quod sub animali species est. significando autē uas, quoddā intelligitur etiam determinatum. ut uas molare inferius, quo continentur grana conterenda. quod græce exprimitur, ἡ γὰρ ἰώον ὁ ποίον τι ἐνθῆσον ται, ἡ δὲ σκεῦος ποίον τι, reddidimus latine, nā hoc animal quoddā dicitur, hoc autē uas aliquod: ut per quoddā & aliquod quid finitū intelligeremus. quare si asinus rudibilis sub animali, & asinus molaris

sub uase, diuersis generibus non se continentibus, notū est nomen a fini solum esse illis commune, & rationes diuersas secundū nomen: igitur & æquiuocū. Cæterū si genera sint subalterna & sub altero alterū constituantur, quibus contineatur alicuius nominis significata, non erit putandum ex hoc differendi hortulo colligi, nomē multiplex: nemo enim diceret corui nomen esse multiplex. cuius tamē significata & sub aue, & sub animali generibus diuersis disponuntur: quoniam de omnibus coruis, & auis & animal genera dicuntur & nomine & ratione. Ratio huius est, quōd coruus de omnibus suis, ut species de indiuiduis nomine & ratione prædicatur, cui genera illa superiora conuenire habent, & unum sub altero sit. Verum in generibus illis non subalternatim positis non comprehenduntur significata alicuius nominis eadē ratione: quōd talium definitiones non se contineant, sed diuersæ sint: quare si de talibus significatis prædicentur genera diuersa non subalterna, & diuersas rationes afferent.

Considerandū autē non solum in proposito si diuersa genera & nō subalterna, sed & in contrario. nā si cōtrariū multipliciter dicatur, manifestū quoniā & propositum.

Occasionē suppeditabit præsentē multiplicis consequendi recepta cōtrarij multiplicitas. nā si cōtrariū dici multipliciter peruiū sit, siue ostendatur locis à generū distinctione siue prædicamentorū duobus, & reliquū contrariū multiplex censendū. quare nō solū argumēto, seu ratione deflexa in nomē multiplex propositū: sed & in contrariū illi poterimus mōstrare propositū nomē esse multiplex. quare sit quæstio de obtuso utrū sit multiplex, an non? probabimus nō solū per locos superiores, & significet res prædicamentorū diuersorum uel generum non subalternatim positorum: sed etiam per cōtrarium multiplex illi propositū & in quæstionē uerso: ut quia acutum multiplex sit, significando res diuersorum prædicamentorū qualitatis, relationis, & actionis. nā uox acuta, ex Pythagoreis, prædicamenti actionis: acutus autē angulus, relationis: gladius acutus, qualitatis. Nam contrario sic demonstrato, & obtusum quod proponebatur, multiplex colligetur. Valebit etiam hic locus in alijs oppositis examinatus: nam si alterum oppositorum per locos à distinctione generum superiores confirmetur multiplex, & reliquum multiplex monstratur.

Vtile autē & ad definitionē inspicere eam, quæ ex cōposito fit. vt clari corporis, & claræ uocis: nam destructo proprio, eandē oportet rationē relinquere. hoc autē nō ac-

cidit in æquiuocis, vt in ijs, quæ nunc dicta sunt. Nã illud quidem erit corpus talem habens colorẽ: hoc vero vox bene audibilis. sublato igitur corpore & voce, non idem in vtraq; relinquatur, at oportet, si vniuocũ esset clarum, quod in vtraq; dicitur, esse idem.

14
A definitiõẽ
neq; re ne;
quæ nomine
cõsentiente.

Non pœnitẽda congregiendi materies ex cõpositorũ definitionibus acquiritur, quæ corroborabit nomẽ multiplex. Nam si afferatur cõpositorũ ex nomine cõmuniore & significatis eiusdem definitiones, à quibus separentur significatorũ propriæ definitiones, nominis autem cõmuniore quæ reliqua fiet definitio, eadem non cõspiciatur, nomen id cõmune dicendum erit, multiplex diuersas habens definitiones. Nam si esset simplex, & definitio eadẽ haberetur consistens: facta à cõpositis partium semotione definitionũ. Vt qui dubitaret, utrũ multiplex homo, ad virum & mulierẽ, an nõ coniuugemus significata illa nomini cõmuniore, & hæc duo pueniẽt: homo vir, & homo mulier. quorũ utriusq; compositi reddatur ratio, & sit prioris hæc, animal gressibile bipes in alio generare potẽs: posterioris vero ista, animal gressibile bipes in quo gigni natũ est. A quibus cõpositorũ rationibus, si definitiones auferantur respondẽtes & viro & mulieri partibus, reliqua fiet hominis definitio, quæ eadem remaneat in utroq; quare dicimus esse simplex. nam hæc inuiolata consistet eadẽ, animal gressibile bipes in vtraq;. Verũ destructis partium cõpositorũ definitionibus, quæ reliqua fit cõmuniore definitio si non eadẽ fuerit omnino manẽs utriusq; cõpositi, nomẽ cõmuniore multiplex erit. hoc argumento clarum indicamus multiplex ad corpus, & ad uocẽ: quòd utriusq; cõpositi, ut clari corporis, & claræ uocis sint definitiones istæ: Prioris hæc, coloratũ disgregatiuum uisus triplicẽ habens magnitudinẽ. Posterioris autem, sonus factus secundũ impetum aeris percussione bene audibilis. A quibus definitiones significatorum nominis cõmuniore subtrahantur illis respondentẽs. ut corporis definitio, nec nõ uocis ratio auferatur. quare manebit ex priore reliquũ, coloratum disgregatiuum uisus: at ex posteriore, bene audibilis. quæ notũ est nõ esse prorsus eadem. Igitur dicendũ est multiplex clarũ, quum planẽ cõspiciatur duæ definitiones illis significatis collatæ. quare de corpore & uoce nomine cõmuni, sed rationibus diuersis, dicitur clarum. Nõ erit igitur magni negotij deprehendere nomen esse uel simplex uel multiplex ex hoc loco, q̃ constructis compositorum ex nomine cõmuni & eiusdem significatis definitionibus diuellendæ sunt significatorum definitiones: fiet demũ ut cõmuniore relinquatur defi-

nitio uel eadem, uel diuersa. A quibus unitas, uel multiplicitas scatebit nominis interrogati manifesta.

Sæpe autem & in ipsis definitionibus latet assequens æquiuocum: quapropter & in definitione considerandū, ut si quis significatiuū, & effectiuū sanitatis, quod moderate se habet ad sanitatē, dicat esse, non refutandū: sed inspiciendum quid moderate quidem secūdū vtrunque dixit. ut si vnum quidem quod tantum sit, ut faciat sanitatē: alterū vero quod tale sit, ut significet qualis sit habitus.

Fidelissimā oppugnandi simplicis existimationem ex propriarū definitionū dissidio intercipient colluctator. Nā quicumque significata nominis cōmunis monstret distinctas habere finitiones, monstrabit simul & nomen cōmune illis esse multiplex. neque enim semper credendū fuerit definitioni ad fidē simplicis adferendā: quod temere assentiendū nō sit huic argumento: talia habent nomē unum & definitionē unam, igitur uniuoca. quod cōtingat afferre unum nomen quod multiplex sit, & eiusdem definitio afferatur communis & multiplex, & cui multiplex admisceatur: quare attollenda mens fuerit paulo altius in definitionum naturis coniiciendis. ut qui & significatiuo & effectiuo sanitatis definitionem sani conuenire hanc, quod mediocriter se habet ad sanitatē insinuat: quæ cōmunis est omnibus sanis. nam sanum effectiuū mediocriter habet ad sanitatem, & sanum significatiuū mediocriter ad sanitatem habet: quod nemo sane negare poterit uerum esse, ob manifestissimam omnibus ueritatem. Cæterum nō uoculam sanorum ratio cogit esse simplicem: Nam definitio illa recipit nomen multiplex, à quo profluxit cōmunis quædam notio totius definitionis, & multiplex: quæ distribuitur per partes simplices & significatiuo & effectiuo. Hæc latentem multiplicis notam sentiet, qui diligentius definitionem propositam perscrutabitur, in partēsq; resoluat: resolutas multiplici consecrat. Protinus mediocriter habere aliud esse contributū sano significatiuo, aliud effectiuo nō minus clare sentiet quod intelliget. Nam sanū effectiuum dicitur mediocriter habens, quod quātitas mediocris & certa cibi uel medicamēti mensura efficiat sanitatē. quare mediocriter habēs elargitum sano effectiuo cōmensuratā quantitatem, quæ possit inducere sanitatem, refert. sanū significatiuum dicitur mediocriter habēs, non secundum quantitatem, sed qualitatem mediocrem. nam quod talis sit dispositionis & habitus mediocris, qui indicare possit sanitatem,

15
A definitio
ne non eadē
dem re.

sanū quid significatiuum dicimus. quare sicut sanū multiplex, sic mediocriter se habēs: q̄ quantitātē, & qualitātē significet. Habent omnes Latini, ut si hoc quidē tale significat, ut facere sanitatē, illud autē tale ut significare qualis quidem sit habitus: uerūm Aristoteles sic habet, οἶορ ἂ ῥ μὲρ τῶ τὸσδτορ εἶναι ὡσε ποιῆρ ὑγιᾶρ, ῥ ἢ τῶ τοῖσδτορ εἶναι οἶορ σημαίνρ ποιᾶ τῖς ἢ ἕξῖς. quem sumus sequuti.

Insuper si nō sint cōparabilia secūdū magis, vel similitē. vt clara vox, & clara uestis. & acutus humor, & acuta vox. nā hęc neq; similiter dicuntē clara, vel acuta, neq; magis alterū. quare æquiuocū acutū, & clarū. Nam vniuocū omne cōparabile: vel enī similiter dicet: vel magis alterū.

I 6
A, comparatione.

Quæcunque significata alicuius nominis conferri non possunt secundū nomen, necesse fuerit illa constituāt nomen multiplex. Vniuocā nāq; in nomine quo significātur habitudinē habēt maioris uel minoris uel paris: ut omnes circuli pticulares æqualiter circuli dicūtur. hominū alij magis albi, alij minus. q̄bus itelligimus, & circulū, & albū nomina esse simplicia. at clarū multiplex colligitur ad uocē & uestē quæ significat, q̄ uox & uestis nō cōferātur claro & nomini cōmuniōri: neq; enim uestis dicitur magis clara, uel similiter cū uoce. Eadē ratiōe mōstramus acutū multiplex ad humorē & uocē: q̄ non ueniāt in cōparationē secundū nomen cōmune. Nemo enim hęc cōferet acuto. Vnde distinctio naturæ & rationis manifeste cōcipitur, in quibus nō est cōparatio secundū nomen & rationē. Nec mireris q̄ aduerbiū minus non inseruimus contextui. nam Aristoteles id nō habet, neq; habet in probatione quod scribitur in alijs codicibus qui habēt, hęc enim neque simpliciter dicūtur clara uel acuta, neq; magis alterū. Aristoteles uero sic, τῶ ὡσδ ῥ ὁμοίως λέγεται λευκὰ ἢ ὀξεία, ὅυτε μᾶλλον θάτερον.

Quoniam autē diuersorū generū & nō subalternatim positorū diuersæ species sunt & differentiæ, vt in animali & scientia, nam diuersæ horū differentiæ, considerandū si quæ sub eodē nomine diuersorum generū & non subalternorū differentiæ sint: vt acutū uocis, & magnitudinis. nā differt vox à uoce: eo q̄ acuta sit. similiter autē & magnitudo à magnitudine. quare æquiuocū acutū, nā diuersorum generum & non subalternorum differentię sunt.

I 7
A differentia diuersorum generum.

Locus decerpitur ex differentiarū diuersorū generū unitate multiplex cōtinēs. Quoniā diuersorū generū & nō subalternorum, diuersæ

sunt species & differētia. quare qui pduxerit quippiā idē, quod esse differētiā diuersorū generū nō subalternorū cōtingit, colligere oportet id esse multiplex. alioqui idē simpliciter acceptū reciperet genera non subalterna diuersa: quod fieri nequit. Horū enim generū, animalis, & sciētiae diuersorū prædicamētis, nō sunt eadē differētia. Nā animalis sūt gressibile, uolatile, aquatile: quarū nulla est sciētiae: sed ipsi sciētiae sūt aliæ, ut naturalis, moralis, & logica. quare si cōtigerit nomē dici de pluribus q̄ differētia sint diuersorū generū nō subalternorū, id dicitur ex hoc loco multiplex. Hinc acutū significās acutā uocē, & acutā magnitudinē, multiplex est: quoniā acutū i hoc est differētia uocis, & acutū in magnitudine differētia magnitudinis: at uox & magnitudo sūt diuersorū generū nō subalternorū ut notū est: quare acutū in uoce & acutū in magnitudine sūt diuersorū generū differētia: igitur & multiplex acutū. Neq; ualebit obiectio de bipede quod differentia sit animalis gressibilis & animalis uolatilis diuersorū generū: eo quod utraq; sub eodem genere cōtineantur animalis, ut dicemus in sexto Topicorū.

Rursus si eorū quæ sunt sub eodē nomine, diuersæ sunt differētia. ut coloris q̄ est in corporib⁹, & alterius in melodijs. Etenī huius qui est in corporibus, disgregatiuū & cōgregatiuū uisus: hui⁹ autē q̄ in melodijs, nō eadē differētia. quare æqui uocū color. nā corūdē eadē differētia.

si alicuius nominis habeantur differentia diuersæ ad sua significata, necessariū est idē habere diuersas definitiōes ad illa: quare & multiplex intelligi. unde colorē cōuincimus esse multiplex ad corpus, & ad uocē seu melodiā: quod diuersis differētijs de illis p̄dicatur. Aliæ nāq; sūt coloris in corporibus differētia, aliæ coloris in melodijs. Nā corporis colorati sunt differētia cōgregatiuū uel disgregatiuū uisus, seu mediū horū. At coloratæ uocis non eadē sed diuersæ: quæ à musicis tres cōstituūtur: quæ admodū tres melodiæ partes, acuta, media, & grauis. Nō dissimiliter in fidiū cōcentu tres desiderātur chordæ, nete, mese, & hypate, abinuicē differētes. quare multiplex color ad hæc. Neq; obijciat quis q̄ species generis habēt diuersas differētiās, igitur oē genus erit multiplex. Nā genus unā habet differētiā ad suas species: quæ quidē differētia sub se continet species proprias differentias.

Insuper quoniā species nullius est differentia: nam homo & bos non est differentia, sed species vnūquodq; ipsorū: cōsiderare oportet si eorū quæ sub eodem sunt nomine, hoc species quidē sit, illud uero differentia, ut clarum

18
A discrimi-
ne differen-
tia.

hoc quidē in corpore species coloris, ipsum vero in voce differētia. nam differt vox à voce eo q̄ clara sit. de his igit̄ que multipliciter dicūt̄ p̄ hęc & talia perspiciēdū.

Produnt denique manifestam omnibus multiplicē nominis naturam significata, quorū quædam species, quædam uero differētia. Nam fieri nequit, ut idē sit species & differētia. quare si quid differētia & species uisatur, illud est tenendum multiplex. ut clarum esse æquiuocum dicimus, quod in corpore sit species coloris, in uoce uero sit differētia. His igitur decem & nouē locis multiplex cōprobabimus, qui proprijssimi sunt & maxime idonei: non enim diffidentur est plures his inueniri. ut si species diuersorū prædicamentorū uel generū individua dicatur significare, multiplex dicitur. Reposuius quæ ommissa sunt in Boetij interpretatione hæc, Nam homo & bos nō est differētia, sed species unumquodq; ipsorum, quia Aristoteles habet ὁ γὰρ ἀνθρώπος τις ὁ βὼς οὐκ ἐστὶ διαφορὰ, καὶ εἰς ἴσιν ἕνα οὐκ ἀντιπρῶτον. Insuper non parū id dignitatis affert ad fidem inducendā rei. Maxime igitur proprij è quibus nō difficile cōperiātur consimiles, in numerū & figuram componantur, ut sensu innotescant.

M U L T I P L E X.	à contrario. si contrario extremo	}	1	plura cōtrariēt̄ur nomine & ratione.
			2	plura ratione.
			3	partim contrariēntur.
	à medio. si contrariorum	}	4	sit medium partim.
			5	sint media ratione distincta.
			6	sint plura numero.
	à contradictione.	7	si affirmatio, & negatio: & cōtrā.	
	à priuantibus.	8	si priuatio, & habitus: & contrā.	
	à relatis.	9	si unum, & alterum: & contrā.	
	à cōiugatis & casib⁹	10	si coniugatū, & casus, & contrā.	
	à genere.	}	11	si diuersorum sit prædicamentorum.
			12	si generum non subalternorum.
			13	si contrarium sit multiplex.
	à definitione.	}	14	si non eadem sit neq; uoce neq; re.
			15	si non sit eadem re.
			16	si non conferantur eidem.
	à differentia.	}	17	si eadem sit diuersorum generum.
			18	si diuersæ eiusdem differentie.
	à specie & dria	19	si idem sit species & differentia.	

Differentias autem in ipsis generibus adinuicem cōtemplandum. vt quo differt iustitia à fortitudine, & prudentia à temperantia. hæc enim omnia, ex eodem genere sunt virtutis. Et ex alio ad aliud: in ijs quæ nõ nimitiũ distant. vt quo differt sensus à scientia. Etenim in ijs quæ multum distant, permanifestæ omnino differentia.

Accedit tertia instrumentorum supellex ad orationum dialecticarum abundantiam non mediocriter utilis, ipsa differentiarum cognitio: Nempe ad problemata de eodem argumentũ suggerit nõ tenue. Nam potentes propositorum differentias cognoscere, demonstrabimus non eadem esse: ut opinionem à scientia uel sensu disiungit differentiarum cognitio. Insuper uiam munit facilem ad diuisiones generũ capeffendas in species: quoniam qui acceperit differentias generis, citra laborem promptus erit ad generis diuisionem in species. adhæc inductioni euertendæ instantiarum copias admouet: qui nanque dissimiliũ congeriem inductione conclusam conspexerũt, inducenti audaciuscule reclamant. Conferet supra modũ ad opiniones, quæ in philosophia naturali crebræ uersantur: ut quod nõ est unũ ens. Ad morales disciplinas non frigide excitauerit. Ad definitiones rerum præscribendas mirum quantum conducatur: & simpliciter ad ea quæ unitatis uel distinctionis ratione non refugiunt. unde multiplicem esse usum, qui propemodum omnia ambitu suo contineat, facile est coniectare. Cæterũ ad rem propius accedamus. Differentiarum cognitionem nõ temere à quouis expetere debemus. quis enim sollicitam in quibus natura deprehenditur differens manifeste, nec non longissime diuisa, diligentiam probauerit? nõne qui sciscitabitur, & in dubium uerterit, utrũ homo à ligno differat, an non: planè rudis uel delirus omnium censura dijudicabitur? Verũ enim uero uenari oportebit differentias ab ijs quorum nõ est prompta differentiarũ abinuicem cognitio. uti in his quæ sunt eiusdẽ generis. Nam id laboriosum est, & ut sub artẽ ueniat, dignum. ut quo discrimine laborent iustitia, & fortitudo: quæ uirtutis species sunt. Nam mediocritates inter se dissentiunt, quarũ extrema dissociantur: at qui fortitudinis extrema traduntur timiditas & audacia, quæ iustitiæ extrema esse nequeunt. sed alia, ut plus habendi cupiditas & defraudatio. ex quibus distinctio fit nota. similiter fortitudo circa mortis pericula in bello uersatur: iustitia uerò æquũ in distributionibus & cõmutationibus amplexatur. Distinctio prudentiæ, & temperantiæ, non

De differen-
tiarũ cogni-
tione.
Vfus ad q̃
plurima.

Differentiæ
quæritur à
cognatis.

A genere
distinctis.

diffimiliter concipitur. Secundo petenda fuerit differentiarum contēplatio, à genere distinctis, non tamen multum distantibus. huiusmodi sunt quæ analogiam inter se & proportionem habent eandem: quæ retro diximus eadem proportione, quæ genere distinguuntur. hec enim ob analogiam unitatis præstigiū proferunt. quare decenter huic loco ascribenda uenit diuisionis explicatio: ut quanto interuallo sensus à scientia distrahatur. Primo quoniam sensus est cōtingentium & caducorum, scientia necessariorum & diuinorum. sensus nullius substantiæ sensibilium est cognituius, uerū scientiā uniuersuiusque substantiæ scibilem cōprehensiuā est. sensus omnibus animalibus est communis, at scientia hominibus est propria. sensum prius accipimus quæ operemur, scientiam autē post operationem adipiscimur. sensus ipsius destructio animal enecat, scientia euersa hominem non tollit è medio. sensum emortuum non licet uita donare, scientiam perditam reuocare contingit. sensus est singularium, scientia uniuersalium. sensu præsentia percipiuntur, scientia præteritorum, præsentium, & futurorum anatrix dicitur. sensus est scientiæ principium, scientia sensui præsidium denegat. Nam ex sensu memoria, ab hac experientia: quæ artis & uniuersalis est principium. Neque quis differentiarum nomine intelligere debet, quæ genus diuidat idem: cum notum sit, sensum & scientiam non esse eiusdem generis. quare differentiam hoc loco com muniter pro quouis discrimine sumimus.

Similitudinem autem considerare oportet: in ijs quæ diuerforum generum sunt. ut sicut alterum ad alterum quoddam, sic aliud ad aliud. ut quemadmodum scientia ad scibile: sic sensus ad sensibile. Et ut alterū in altero quodam: sic aliud in altero. ut quæadmodū visus in oculo: sic mens in anima. & sicut tranquillitas in mari: sic serenitas in aere. Vtrunque enim quies. Maxime autem in ijs quæ multum distant exerceri oportet. nam facile in reliquis poterimus similia conspicerē. Consideranda autem & quæ in eodem genere existūt: si quid omnibus insit idem. ut homini, & equo, & cani: nam quatenus insit quid ipsis idem, eatenus similia sunt.

similitudinis indagatio quartum fuit instrumentum, quo ubertas paratur ad differendum. Cuius traditio diuerso rationis modo à superiore queretur. nam differentias eorum quæ eiusdem sunt gene-

ris, uel eiusdem proportionis quærebamus. Nunc uerò similitudinem eorum quæ sunt diuersorum generum & etiam longe distantium adinuenire studemus. nemo inquisitione dignum censeret, quod omnibus, uel etiam sensu obiectum est. ut an ouo ouum sit simile, aut Castor Poluci: sed an Achilles Ther sitæ, an sensus scientiæ sit similis. Verum similitudinem in diuersis generibus, uel genere discrepantibus, duplici lege suscipere conferet. Priore, si duo eiusdem generis duobus alterius generis quandam habitudinem adinuicem habetibus conferatur. Nam sicut unum ad alterum, & diuersum ad reliquum. ut sicut habet scientia ad scibile: sic sensus ad sensibile. illud disciplina acquiritur, hoc uero natura. Posteriore autem, quæ diuersorum sunt generum cõprehenduntur, quæ inter se analogiã & proportionẽ habent, in quã conferuntur: & quæcunque duo in duobus consimilem receperunt habitudinem. ut quemadmodum uisus in oculo: sic mens in anima. similia nanque sunt hæc in utroque: quoniam sunt perfectiones utriusque similiter. & ut habet tranquillitas in mari: sic serenitas in aere. nam in quiete conueniunt tranquillitas & serenitas. Neque solum in his analogis & generibus eisdem propinquis persequi similitudinẽ studendum est, uerum maxime pes figendus erit in plurimum distantibus. in quibus perscrutandis diligens studium sternit uiam ad similitudinem in reliquis minus dissidentibus consequendam. Nam qui cognitionem in peregrinis suspicere potest, in domesticis & patrijs non remorabitur. Insuper non prætermittenda erit in eodem genere existẽtium similitudinis sollicitudo cognoscendæ: in quibus quid cõmune fuerit, & simile examinandum. ut homini, & equo, & cani, speciebus distinctis, inest commune quiddam, ut gressibile: in quo similia circũferantur. homini autem, & coruo, & pisci, sensitiuum cõmune: quo consentiunt. quare notũ sit quod etiam in genere distinctis quouis modo, & in speciebus differentibus, eiusdem tamen generis, similitudinis cura non fuerit languide infumenda.

In quibus spectetur simile.

In analogis & genere differentib*.

In eodem genere.

Vtile autem est ipsum quod multipliciter quidem dicitur cõsiderasse ad claritatem. magis enim quis sciet quid ponatur, si manifestetur multipliciter dictum. Et ad faciendum secundum eandem rem, & non ad nomen syllogismos. nam immanifesto existente eo quod multipliciter dicitur, contingit, ut non ad idem & respondens & interrogans ferat intellectum. at si manifestetur quod

multipliciter dicitur, & ad quid ferens ponat, sanè ridiculus videbitur interrogans esse, nisi ad hoc rationem faciat. Vtile etiam, vt non falsa ratiocinatione decipiatur, & vt falsa ratiocinatione vtamur. nã sciētes quotupliciter dicitur, non falsa ratione decipiemur: verū sciemus si non ad idem rationem fecerit interrogans, & ipsi interrogantes poterimus falsa ratione vti: nisi sciuerit qui respondet, quotupliciter dicatur. verum hoc non in omnibus semper est possibile: sed quādo fuerint eorum quæ multipliciter dicuntur quædam sanè vera, quædam autem falsa. Cæterum non est proprius hic modus dialectices. quapropter omnino fugiēda à dialecticis talis ad nomen disputatio: nisi quis aliter non possit de proposito differere.

Quatuor instrumentorum utilitas.

Quoniã omnibus antepōndã esse utilitatē, nostra defendit tēpestas, cōgruum fuerit, ut quatuor instrumentorū emolumentum & prouentus amplissimus omnium oculis proponatur. Vtilitas sumendarū propositionum supprimitur, quod tria alia instrumenta huic inferuiant: simul q̄ adeo pertritū est negotium propositionū investigandarū usum afferre disceptationibus, ut non opus sit aperire. Nam qui fieri potest, ut assurgat disputatio aliqua, struatur syllogismus, abiectis propositionibus: quæ partes sint & materia ex quibus uigorē & uim necessariam disputatio assumit? quare ad secundum instrumentū transeundum, multiplicis distinctionem. Multiplicis distincta notio in primis ad claritatē rei cognoscendæ non mediocriter confert. Magis enim unūquodque cognoscimus, quod nude conspicitur: at per distinctionē multiplex apertum & nudum proponitur. nam manifestum sit interrogati problema quod defenditur, & quo intellectu respōdēs posuerit problema, multiplici determinato. Distinctio nempe claritatem afferēs plurimum iuuat ad construendum uel destruendum quod ponitur. huius fidem præstabit locupletissimam antiquarū opinionū obscuritas: quas audemus dicere exploratas maxime fore, si simplici & proprio intellectu proferātur. Verū multiplicitas significatorum multum obscuritatis peperit. De principijs opiniones nobis incognitas fecit indistincta horū traditio. Insuper distinctio multiplicis ad syllogismos in rem propositā efferendos uim confert mirabilem. Nam quicūq; multiplicis cognitionē nondū acceperit, neq; notā habuerit distinctionē: non facile

Multiplicis utilitas.

legitima disceptandi ratiocinatione in respondentē congregietur. Prima enim prudentis conflictus lex ea esse debet, ut omnibus notum sit modis quod oppugnandū proponitur, & quæ sit defendentis mēs & uoluntas. quare necessariū fuerit, ut dialecticus intelligat mentē respondentis, & quod euertēdum præmittitur problema: ut decentes rei destruendæ admoueat argumentorū centurias, sophistarū fugiat latebras, nec non eorūdem peregrinā rationū multitudinē sub multiplici & æquiuoco militantē: quæ disceptationē & pugnā struit ad nomen, nō autē (quod aiunt) ad rem: quæ arguens ad aliud nomine multiplici significati, & ad aliud mentem ferat respondens. Verūm si multiplicis determinetur significatio, atq; præscribatur nomen à respōdente pro quodam significato, ad quod aduertens cōcedit problema & tuetur: differens autē ad aliud quā determinatum fuerat, suas interrogationes declinauerit, planē ridiculus uidebitur. Tertium præsidium quod ministrat multiplicis cognitio est, ne falsa ratione decipiamur. nam qui cognouit quot modis propositū dicatur, interrogātibus non dabit aliud in diuersam significationem deflexum: ut qui poneret diuitias esse bonum, sciens nomen boni esse multiplex, ad uirtutē & potentiā, & diuitias, non dabit sumenti, bonum bonos facit, diuitiæ autē non faciunt bonos: quæ interrogans non sumat nomen in ea significatione, qua uteretur respondens & problema defendens. Verūm si quando fas esset, ad decipiendum & falsa ratione utendum notum multiplex cōducit. ut qui transfert propositionē aliquo significato ueram & concessam ad aliud, in quo falsa manifestatur: ut qui dicit, Omne quod mouetur locū mutare: statim subiungat interrogās de alterato quod mouetur, nō tamen locum mutat. quare qui defendit propositionē multiplicem, nō uidebitur redargutionē effugere: maxime, ubi ob multiplex nomē propositio & uera & falsa cōstitui potest. Sūt autē quædam propositiones quæ nomē interceperūt multiplex: quæ tamē nō possunt ratione multiplicis & ueræ & falsæ numerari. ut hæc, Cato fuit Romanus, Ajax fuit Græcus. nam & similes pro neutra parte mendaces uidentur. si tamē diceretur, Cato se interfecit, pro Vticensi uere enuntiaretur, pro Censorio falsē. Id tamen non prætermittendum uenit, multiplex ad differendum dialecticē parum conferre interroganti: sed maxime respondentis, ut fraudes & imposturas euitare ualeat. non enim est interrogātis dialectici cōtexere rationes à multiplici: uerum id omne munus contribūdum est sophistæ: cuius finis est apparēter redarguere. de quo abūdantiū in elenchis sophisticis. quare uitabit tanquā

Ne decipias
mur.

Vfus multi-
plicis.

hydram dialecticus à multiplice deductas argumentationes, & ad nomina rationes: nisi aliter non detur, ob respondentis morositatē, ad rem propositam accessus. Nam sæpe respondentes dedignantur congreganti mentem aperire. quare disputatione facta in partem alteram, coguntur positionis resolvere propriam naturam. Hactenus de multiplicitis triplici usu.

Differentiarum autem inuentio utilis ad syllogismos de eodem & diuerso, & ad cognoscendum quid est vnūquodque. Quòd igitur ad syllogismos de eodem & diuerso utilis, manifestum. inuenientes enim differentiam propositorum quamlibet, demonstrabimus quòd non idem. Verùm ad cognoscendum quid est: quoniam propriam substantiæ vniuscuiusque rationem ipsis, quæ circa vnūquodq; sunt, proprijs differentijs separare consueuimus.

Ysus ex differentiarum inuentione.

Ex inuentione differentiarum utilitatem non contemnendam consequitur dialecticus: quod de eodem & diuerso (quorum tamē crebra esse debet disputatio) disceptare nequeat, nisi differentiarum manifestam concæperit notionē. Insuper desituetur omnium maximo beneficio, qui differentias ignorauerit. nam definitione & vniuscuiusque substantiæ intelligentia defraudabitur: quòd definitio genere & differentia assurgat. sed de harum usu retro abunde diximus.

Similis autem contemplatio est utilis, & ad inductiuas rationes, & ad syllogismos ex suppositione, & ad definitionum assignationē. Ad inductiuas igitur rationes: quia circa singula in similibus inductione, vniuersale existimamus inducere. Nam non facillè inducant non scientes similia. Verùm ad syllogismos ex suppositione: quoniam probabile est, vt in vno similium habet, sic & in reliquis. quare ad quodcunque illorum abunde poterimus differere: profitebimur, vt in his habet, sic & in proposito habere. Demonstrantes autem illud, & propositum ex suppositione demonstrabimus. Nam supponētes vt in his habet, sic & in proposito habere, demonstrationem faciemus. Ad definitionum autem assignationem: quoniam potentes conspicere quid in vnoquoque idem, non dubitabimus ad quid oporteat genus, definiētes propositum

ponere. Nam cōmuniū quod maxime in eo ꝑ quid prædicatur, genus erit. Similiter autem & in multum distantibus utilis ad definitiones similis contemplatio. vt quòd idem tranquillitas in mari, & serenitas in aere. nam vtrunque quies. & quòd punctus in linea, & vnitas in numero. nam vtrunq; principium. quare cōmune in omnibus genus assignantes arbitrabimur non extraneè definire. Ferè autem & definientes sic consueuerunt assignare. Nam & vnitatem principium numeri dicunt esse, & punctum principium lineæ. manifestum igitur, quòd ad commune amborum, genus collocant. Instrumenta igitur per quæ syllogismi, hæc sunt. Loci verò ad quos sunt vtilia dicta, ij sint.

similis contēplatio utilis ad inductiones, ad syllogismos ex suppositione, & ad definitiones. Primo ad inductiones conferre nemo nō nouit: qui per multorum particularium similitudinem in uniuersali, uniuersale concludi intelligit inductiue. secundo ad syllogismos ex suppositione, qui dicūtur ex consensu, & utriusq; conueniētia arguentis & respondentis, nō parum iuuat. quia propter similitudinē quorūdā adinuicem, quod in uno monstratū putatur, in reliquis similibus idem probatum iri uult. ut quia opposita similitudinē mutuam habent, quod in uno demonstratur, in cæteris idem uolumus fieri. ut qui cōtenderit omnia opposita eidem nō conuenire, præsupponat propter similitudinem inter opposita omnia, quod in uno monstrabitur, illud idem in cæteris suscipi. Et rationem deducat ad contraria: ꝑ impossibile sit contraria eidem conuenire, quoniā destruūt se inuicē: omniū tandē oppositorū in eodē domiciliū nō haberi colliget. nō ꝑ facta sit fides ad omnia opposita, sed quia ad unū oppositorū: quum hypothesi illa, quod in uno similiū monstrabitur, in reliquis admittatur similibus. Demum ad definitiones instaurādas ualet similiū cognitio. Nam definitio constare nō potest, nisi genere & differētis assurgat: atqui genus similiū inuentione cōparatur. Potētes enim in differentibus adinuicē simile uenari & cōmune quiddā omnibus, ipsorū similiū genus accipere poterimus. nā id quod cōmune aliquibus in quid prædicatur maxime, id genus est. ut sint particularia quædā animalia, homo, equus, asinus, canis, bos, ca præ, ceruus, lepus, & cætera huiusmodi: quorū similitudinē adinuicē si animo uoluerimus, cōijciemus deniq; illa esse corpora, omnibus ani-

Ad tria vtilis similitudo.
Ad inductiones.
Ad syllogismos.

Ad definitiones.

Generis inuentione.

mā esse cōmunē, colorē, in loco agitari, sensu prædita: quibus diligēter inspectis perpendemus quid sit id commune omnibus in quid maxime prædicatiuū: & illud tenendum ueniet pro genere. Nam duo tantum habēt in quid prædicatiua, genus, & species. at maxime in quid prædicatiuū est solū genus. quōd de plurimis omniū prædicetur. differētia opinionē inducere potest in quid prædicādi, ut quibusdā uisum est: uerum etiā si illud prætermiserimus, nō tamen maxime in quid differētia dicitur prædicari: quod mōstrabimus in quarto Topicorum. Nam magis in quale quid, q̄ in quid dicitur prædicari. quare & speciē & differētiā à genere separabit, maxime in quid prædicatiuū. Et hæc de inuētiōe generis, in parū distantibus. Nō tamen diuersa inquisitionis lege in plurimū distractis, quorū & habitudo similibum non toto orbe exulauerit, ad genus consequēdum properabimus: nec non definitioni nuniendæ instabimus. Nā id cōmune omnibus pro genere sumemus: cui adiungētes quoddā unicuiq; eorū propriū nō ab omni definitionis artificio arbitrabimur discessisse. ut quoniā similitudinē habent secundū analogiā tranquillitas in mari, & serenitas in aere: utrumq; enim cōmune habet p̄ genere, quietē: cui assignātes p̄pria unicuiq; definitio nis cōsequemur formulam: ut si tranquillitas, quies in mari: serenitas, quies in aere definiatur. Similiter quoniā principiū inuenitur cōmune & p̄cto & unitati, tanq̄ definitio, designatur p̄cti, principiū lineæ: & unitatis, principiū numeri. quare notio similitudinis ad definiōes propagādas non parū conducet. His igitur quæ præmunirent ad differendi artificio firmam uiam traditis, superest locorū rationes depro mere, usum subijcere: quibus instrumenta hæc inseruiant, formæ epicherematū euocentur multiplices: de quibus agendum copiose erit in sequentibus. abeat primus liber Topicorum prælibandis ad usum differendi contentus oportet.

Analogi uer-
natio.

51

ANTONII DEMOCHARIS

RESSONEI IN SECVNDVM LIBRV M
TOPICORVM ARISTOTELIS,
HYPOMNEMA.



Sunt autem problematum, quædam sanè vniuersalia, quædam verò particularia. Vniuersalia quidem, vt quæ omnis voluptas bonū, & quòd nulla voluptas bonū. Particularia autem, vt quæ est aliqua voluptas bonū, & est quædam voluptas non bonū.

Quæ putauimus maxime necessaria ad locorum assignationem, ad differēdi usum, pro nostra ingenioli infirmitate superiore libro prode-
re omnibus modis studuimus: uel eo ipso nomine quòd illis neglectis ad tradendorum consequutionem uel nullus, uel non facilis sit aditus. Ve-
rūm hoc secundo locorum magnam multitudinem, fundorum fertilem
copiam ad dialectici usum, nec non uitæ & nominis rationem fouen-
dam apprimè utilem, referemus in accidentiū problemata. quare &
uanum non uidebitur repetitū loci ueriloquium, quòd agamus de locis
constituendis: è quibus argumenta in problemata eruantur. Sit igitur
locus, principium epicherematis. Epicherema autem syllogismus dia-
lecticus. seu locus sit principium à quo accipimus circa unumquodq;
argumentum. ut qui uelit probare bonū esse utile, quòd malum sit in-
utile, argumentum è loco à contrarijs & ratio trahitur. si contrariū
inferat cōtrarium: & reliquū reliquum. Similiter si quæeratur, utrum
album sit disgregatiuum uisus an non? quia nigrum sit congregati-
uum monstramus, à contrario ratione fluente. ex eodem loco uolupta-
tem bonum indicamus argumento corrogato, quòd tristitia sit malum.
In omnibus illis cōmunis quædam nota perspicitur, per quam in unū-
quodq; differimus. eodem modo de alijs locis dicēdum erit. Primam au-
tem locorum assignationem problemata accidentis sortiūtur: quia ac-
cidēs supra cætera prædicata communiorē existendi modum habeat.
Modus enim quo accidens inest, simplicissimus & communissimus est:
aliorum uero compositior. nam ad definitionem monstrandam, nō suf-
ficat ostendere alicui inesse: sed & quid est significet, sit propria, seu cō-
uertibilis. accidens autem nihil desiderat prorsus præter quàm quòd

g. iij.

In secundo
loci ad pro-
blema acci-
dentis tra-
duntur.

Repetitur
definitio loci
ci.

In primis
de accidens
te agendū.

alteri insit. Nam id omne quod solum alicui inest, accidens est: cetera prædicata præter id quod alicui insint, aliud uolunt, neque diutius permanere possent. Non enim satiantur nisi suis omnibus adsint præsentia. nam de suis uniuersaliter prædicantur. accidens paruo est contentum. nam quod insit alicui sibi plurimum placet: nec non demiratur. Quare quum inesse omnibus congruat prædicatis & sit commune, & accidentis prædicandi modus sit simplicior, bono iure præponendum fuit. Nam locis quibus problema accidentis destruitur, iuuamur ad destructionem aliorum problematum. nam neque genus, neque terminus, neque proprium consistunt, nisi insint suis. quare destructo inesse, cetera destrui necessitas cogit. Verum generis interitus nullam accidenti affert iacturam: neque proprii, neque definitionis interemptio destruit accidens. quare omnium primum ordinem possedit accidens: quod sibi solum retinuit, inesse alteri. eadem ratione genus occupabit secundum subsellium, tertium autem proprium, postremum definitio: quæ omnium compositissima, quæ amplectatur fere omnia quæ cæteris contribuuntur. nam quod accidenti munere particulari donabatur, ut uis alicui cõueniendi, ipsa definitio quasi precario eã ab accidente mutatur: quã à genere & differentia magnam partem suæ cõstitutionis nasci nemo ibit inficias: quæ illis assurgat. à proprio ferme quicquid erat dignitatis interceptum. quare trium prædicatorum beneficio constare & componi uidetur. Neque ualebit ratio, quæ proponetur de ordine superius constituto: qui huic præposterus est. nam omnibus præponebatur terminus: quem proxime sequebatur proprium: & hoc genus: postremo loco sedebat accidens. an naturam definitione retro prædicatorum scrutabamur: nunc uero differendi usum? Sicut enim rerum imperfectiorum nec non abiectionu ingeritur ultronea tractandi occasio, perfectiorum autem rara opportunitas & difficilis: sic accidentis nature uilioris & magis peregrine, uagæ, & currentis ad multa est frequens usus: definitionis uero & præstantissime substantiæ laboriosissimus est. quæ, ut uirtus, in quadam mediocritate consistere uult. nam inter plus & minus æquum medium residet. atqui definitionem æquam nomini esse oportet, neque abundantem, neque deficientem. Depromendi igitur ueniunt in primis locorum accidentis cõstitutiones, seu quibus in problemata accidentis congrredi liceat: ne temerario quodam impetu, nulla lege, nulla cognitionis scintilla certamen instituat. Verum quoniam materia habetur, & differendi copia ex locorum abunde suppeditantium designatione, in primis

Ordo prædicatoru constitutus.

Ad obiectio nẽ respõsio

Quæ bona, sũt ratio

Definitio uirtuti proxima.

tradendum est, in quid differere sit operæpretiū. nemo profecto probe signa conferet in rem infinitam, uariam & incognitam. Primum itaque oportet eum, qui adoriatur certamen, tenere in quid certum & fixum agere tentet. & qui scopum assequi aspiret, omne in quod agit & certare debet, intelligat esse problema uel positionem, conueniet. quorum diuisionem in duo facimus. nam quid esset & problema & positio retro meminimus. quare à diuisione problematū rem aggregi opportunū uisum est: qua problematum declaratur discriminem. Problematū itaque alia uniuersalia, alia particularia. qua diuisione omnia problematum genera coercētur (quæadmodum uniuersali, & particulari nomine res ipsæ) & accidētis problemata, & generis, & proprii, & definitionis. Cæterum si propius rem introspeciamus, utriusque ordinis habebuntur accidentis problemata: & quædam uniuersalia, & quædam particularia: & conuenientior fuerit illa diuisio accidentibus, quàm cæteris prædicatis: quibus uel omni, uel nulli conuenire necesse fuerit. quare magis his uniuersalia cōtinentur problemata. accidenti uterq; modus & uniuersalis & particularis congruit, tam affirmatiuus, quàm negatiuus. uniuersalis autē, quod omnis uoluptas est bonum, affirmatiuus: & quod nulla uoluptas est bonum, negatiuus. Particularis uero affirmatiuus, quod quædam uoluptas est bonum: negatiuus quod quædam uoluptas non est bonum. quæ omnia accidentis sunt problemata. Si tamen quis uelit consimilia ducere exempla à reliquis prædicatis, non sollicitè reluctabimur, quod ille significationem uocis, nos rem, & naturam consideremus. Obijciat statim non esse problemata quæcumq; in diuisionis fidem regerūt exēpla: quod utraq; cōtradictionis in interrogationē nō efferatur pars. An de problemate determinato, & definito, seu positione, cuius pars altera ponitur defendenda, intelligantur? Nam quemadmodum propositio dialectica interroganti interrogatio alterius partis contradictionis, ratiocinanti uero, & differenti sumptio est probabilis: sic problema ante disputationem uagum consistit: & utranque contradictionis partem amplectitur: uerum illius posita defensione, nō amplius interrogatio utriusq; sed alterius defensio, alterius reprobatio est. quare re ipsa idem possunt esse propositio dialectica, sumptio, propositio, conclusio, & problema, & defensio. Late tamen rationibus hæc omnia ab inuicem dispescuntur: ut manifestum est cuius intelligenti proprias singulorum definitiones.

Sunt autem ad utraq; genera problematum cōmunia

In pbema
certadum.

Diuisio p^a
blematum.

Obiectio.

Responso.

vniuersalia, & constructiua, & destructiua. nam demonstrantes quòd omni inest: & quòd alicui inest demonstrātes erimus. Similiter autem & si quòd nulli inest demonstramus: & quòd nō omni inest demonstrātes erimus. Primum igitur de vniuersalibus destructiuis dicendū: & quia communia sunt talia ad vniuersalia, & ad particularia: & quia magis positiones afferunt ipsius inesse: quàm non-differentes vero destruant.

De locis in
pblemata
vniuersalia
agendum.

Cum autem utrisq; & vniuersalibus & particularibus vniuersalia problemata cōmunia sint, siue affirmatiua, siue negatiua constiterint, non erit magnopere laborandū circa locorum inuentionē ad euerisionē uel compositionē problematum particularium omnium propria: quòd loci qui proprij sunt vniuersalibus problematibus construendis, sunt cōuenientes & particularibus: & qui iuuant ad destructionē vniuersalis, etiā & particularis. quare qui ad vniuersalia siue affirmatiua siue negatiua loci conferūt & rationes, ydem ad particularia consimilis figuræ problemata conducēt. Nā quo argumento omnem hominem respirare ostendimus, & omni subiecto prædicatū inesse: & eodē alicui cōmonstramus. ad hūc modū, omne animal habens pulmonē respirat, at omnis homo habet pulmonē, igitur omnis homo respirat. & à generis loco argumētum ducitur: nō tamen contra. Non enim oportet quòd particulari, & uni inest: & omni inesse. Similiter negatiuū vniuersale problema cōmune est & negatiuo vniuersali, & ipsi particulari negatiuo: quòd utrūq; inferat. quare qui cōprobauerit prædicatum nulli cōpetere: & nō omni inesse mōstrauit, seu alicui non. ut qui nullam uoluptatē ostendit esse bonū: & aliquā non esse bonum, conclusit: eo quòd omne bonum bonos facit, nulla uoluptas bonos facit, uoluptas itaq; nulla est bonū. loco ab effectis mōstratur utrunq;. Neq; uis differendi retro acta firmamētum cōsequetur. Nō itaq; erit agendū de omnibus in omnia problemata locis proprio singulorum tractatu constructiuis & destructiuis: sed de locis ad problemata vniuersalia: quibus & particularia continebuntur. quoniam uana & otiosa in problemata particularia particularis quædam traditio sugillaretur. Ipsa tamen in vniuersalia pblemata traditio locorū nō æqualiter omnibus accōmodabitur: quòd quædam sint affirmatiua, quædā negatiua vniuersalia: quibus nō omnes loci ob diuersam inter se naturā quadrabunt. quare præcepta & loci constituentur, quibus potissimum vniuersale negati-

uū concludere contingit: quoniā illi magis utiles sunt differēti, qui conatur pro uiribus demoliri quod à respondēte suscipitur defendendū. at respondēs magis affirmatiua ponit & sustinet problemata, siue uniuersalia, siue particularia, q̄ negatiua. Destructioni igitur aptissimi erunt loci quibus uniuersale negatiuū colligere est possibile. nam eo concluso & particulare & uniuersale affirmatiuum oppositæ qualitatis interimitur: quorū alterius respondens fuit intrepidus defensor. Constructum quidem à respondente contendit dissipare disputans. quare negatione uniuersali utriq; affirmationi susceptæ opposita, quassabit positionem. nam uniuersalis negatio, uniuersali affirmationi seu positioni, nec nō particulari affert corruptionem. quarū assertores sunt studiosi respondentes. Talis nimirum est disceptandi lex, ut proprium sit differentis affirmatione negationem uincere: & contra, negatione affirmationem. at quia frequentius defenduntur positiones affirmatiuæ q̄ negatiuæ, tradenda ueniunt præcepta, quibus infirmabit colluctator quod affirmatiue defenditur. Corrumpuntur sanè funditus affirmationes uniuersalibus negationibus. quare quibus locis consequi deceat uniuersales negationes, & de destructiuis locis agendū plurimū.

Rationescō
clusiue vn̄
uersalis ne
gatiui ma
gis quere
tur.

Est autem difficillimū conuerti ab accidente propriā nuncupationem. Nam partim & non uniuersaliter in solis contingit accidētibus. A proprio etenim, & termino, & genere, necessariū est cōuerti. ut si inest alicui animal & genere, necessariū est cōuerti. ut si inest alicui animal gressibile bipes esse: conuertenti verum erit dicere, quòd animal gressibile bipes est. Similiter autē & à genere. nā si animal esse alicui insit, animal est. eadem autē & in proprio. Nam si insit alicui grammatices susceptiuum esse: grammatices susceptiuum erit. Nihil enim horū contingit secundum quid inesse, vel non inesse: sed simpliciter vel inesse, vel non inesse. At in accidentibus nihil prohibet secundum quid inesse. ut albedinem, vel iustitiā. quare non sufficit monstrare quòd inest albedo, vel iustitia, ad monstrandum quòd albus, vel iustus est. Habet nāq; dubitationē: quoniā secundum quid albus, vel iustus est. quare non est necessarium in accidentibus conuerti.

Accidēs am
bigue inest,
reliqua sim
pliciter.

Differentiam non oportebit negligat & naturam problematum à quatuor prædicatis, qui prompte in quodcunque problema differere

De natura
distincta p̄.
dicatorum.

contenderit: quòd nō idem enuntiandi modus in omnibus recipiendus ueniat. nam in accidente non est secura conuersæ enuntiationis ratio: quam tamen cætera prædicata usque ad aras, quod aiunt, fidelem defendunt. Difficilius profecto apparebit ab accidente conuètere propriam nuncupationem, quàm à cæteris prædicatis: quòd accidens subiecto & in parte & uniuersaliter inesse potest. Cætera uero prædicata solum uniuersaliter insunt subiectis. Verum ad huius planā intelligentiā id nota insigni uenit illustrandum, Cōuersionem non esse accipiendam illa qua utimur significatione in ipso statim primi Priorum exordio, pro cōuersione propositionū in subiecta & prædicata. Verū cōuersionem nunc secundum nomen intelligemus: quando quod postremo in obliquo enuntiabatur, cui alterū primo dictum inesse enuntiabatur, id primum resolutione & locutione efficitur: & quod primum fuerat, postremum efficitur. ut qui dicit animal inesse homini, in eam propria nominatione conuertet, si reddiderit elocutionē qua dicit, homo est animal. & qui dicit, animal rationale inest homini: in hanc referat, homo est animal rationale. in quibus notum est initium primæ propositionis à prædicato sumi, & desisse in subiectum. In secunda uero enuntiatione cōuersus est modus: cum quod à subiecto inceperit, in prædicatum terminetur. quare conuersio dicitur: quando à prædicato primum inchoatur, post uero à subiecto, terminis quidem conuenientibus & mutatis secundum casus & uerba. In hanc nostrā sententiam proxime accessit ille singularis philosophiæ illustrator, qui cōuersionem interpretatur cōmutationem uerbi inesse in uerbum esse. difficile itaque fuerit ab accidente propriam nominationem conuerti: quoniam si albedo alicui inesse dicatur, non est necesse illud subiectum esse album. Et in solis accidentibus difficilis habetur propriæ & ueræ nuncupationis conuersio, qua dicitur prædicatum subiecto inesse, in illam quæ subiectum esse prædicatum designat. quoniam soli accidenti conuenire uel non conuenire subiecto secundum quid, & particulariter, & non simpliciter proprium est. Genus enim, proprium, & terminus subiecto inesse simpliciter conspiciuntur & uniuersaliter, uel nō inesse: quare in his admodū tuta est propriæ denominationis conuersio. ut à definitione fiet nominationis cōuersione, ab ista qua dicitur, animal gressibile bipes inest homini, in hanc, homo est animal gressibile bipes. similiter à genere fiet hæc conuersio huius, animal inest homini, in hanc, homo est animal. neq; dissimili ratione fiet à proprio conuersio uera. ut si dicatur, grammatices susceptium inest homini, in hanc

Quid secundum nomen
conuerti,

fit, homo est susceptiuus grammatices. Eadem uis retinebitur conuertendæ nominationis in negatiuis eorundem. nã si animal non in fit lapidi, neq; lapis est animal, & in duobus reliquis, proprio, & termino. Nihil enim eorum trium cõtingit inesse, uel non inesse secundum quid: sed simpliciter insunt, uel non insunt subiectis. Verum in accidentibus nihil uetat secundum quid prædicatum subiecto inesse, uel non inesse. unde cõstat qd à cæteris longe diuersa offendatur accidētis natura. Nõ enim oportet, si albedo æthiopi in fit, æthiopem esse album simpliciter. nec oportet, si albus nõ dicatur æthiops, albedinem non inesse. quoniam æthiops albedinem habet, qui tamẽ non est albus. quare inter differendum non ualebit ratio in accidente ad constructionem, uel destructionem, quæ ad propriam nominationẽ cõuertetur, seu transfertur: qd accidens inesse, & nõ inesse secundum partẽ possit. quare diligenter studebit dialecticus promptã habere semper illam accidētis naturã à cæteris diuersam, ne turpiter in ignauie sordes delabatur. In tribus enim reliquis prædicatis, quæ simpliciter insunt, uel nõ insunt, ratio semper firma constituetur, siue constructiua, siue destructiua sit ad propriam nominationem deducta. Vnde ex dictis notare congruet in primis perspicenda esse problemata, utrũ particularia, an uniuersalia componantur: dein an conuertatur nominatio, an non: postremũ, utrum ab accidente sit problema nam cum non sit genus, neque terminus, neque proprium, uel his annexum quod prædicatur, accidens erit. Tria enim superiora conuertuntur utroq; modo: qui tamen monstrauit quod non conuertitur, nondũ perspicuũ est accidens illi nõ inesse: neq; destruitur. Nã cui conuenit inesse secundũ partẽ & secundũ quid, legitima & secura ratione non uenit inferendum, simpliciter & uniuersaliter inesse. ut non erit hæc ratio proba, Socrati inest iustitia, igitur Socrates est iustus, quod iustitia Socrati in fit secundũ partẽ rationalem. nam primo anima rationalis iusta dicitur & proprie, dein anima, postremo Socrates ratione prioris partis dicitur iustus. sicut æthiops secundũ partẽ albus, diceretur albus. id enim simpliciter & nõ proprie dicitur. Nonnunq; tamẽ ualet ab accidente cõuersio: quãdo subiecto accidēs uniuersaliter adhibetur. ut nigredo coruo inest, igitur coruus est niger. uerũ ab accidente cõuersionis modus parũ fidei & securitatis cõtinet: quare in tali argute est conspiciendũ. Neq; uelimus per nominationem intelligi denominatiua, de quibus in principio categoriarũ, quod quidam somniasse potuerunt. quod Aristoteles dixit, ἢ πῦρ καὶ μὴ καθόλας putauimus admodum iustè interpretandum esse, par

Accidēs du
pliciter pos
test inesse.

Alia simpli
citer insunt:

tim, & non uniuersaliter. Alij uero, aliquo modo dicūt. In cæteris huius quibus uides nos commutasse præter ordinem uulgarium, obseruauimus magna fide græcum codicem.

Determinare autem oportet & peccata, quæ in problematibus sunt: quoniam sunt duo, vel in eo quod mentiuntur, vel in eo quod transgrediuntur positam locutionem. Nam & qui mentiuntur, & qui quod non inest, alii cui inesse dicūt, peccant. Et qui extraneis nominibus res appellant, ut platanum hominem, transgrediuntur positam nominationem.

Neque id tacitanitate prætereundum est, cuius cognitio à multis erroribus potest nos eximere. Verum problemata accidentis labeculis quibusdam conspurcantur, quibus inficietur facile earum ignarus. Ab ijs igitur ut comodiùs fugere possit quiuis respondentium, & differens habeat præsens argumentum quo dissipet positionē, ob labeculas quibus sordescit, quæ sint & quot, aperiendū nūc est. Nota enim singula debent esse interroganti: quibus locos & argumenta præscribat in perniciem & problematū destructionem: qui ad destruendum problema omnes conatus intendat, quū intellexerit, quibus modis & quot euertere contingat problema: quorum si aliquod monstrauerit, uicisse gloriabitur. Duos igitur explicamus peccati modos maxime cōmunes, uel quia falsum est problema quod defenditur, uel problemate utitur conflato nominibus parum proprijs: locutionemq; consuetā transgreditur. ut qui lineam ex punctis componi, corpora ex superficiebus defendit, motum fieri per uacuum, cælum titubare motu existente, nullū motum existere: & quæcunq; huius sententiæ τὸ π μω γοσόφωπ monstra pullularunt ab omni naturali partu longe aliena: quorum capita generose amputabit Hercule uirilior, & omnibus armatus fortissimis locorum munimentis. Toto cælo errare in super dicuntur, qui sustinentes problemata res appellant nominibus extraneis, & utuntur peregrinis, Gothicis, & Vandalicis. quemadmodum qui platanū hominem uocat, uel arborem hominem, uti Platonis sententia receptum est, ut homo dicatur arbor euersa. nam id etsi uerum sit, tamen quod alienis & nimium remotis nominibus utatur, tali significatione, non erit audiendus neq; probandus: qui compositē nomina non adaptauit. quare nō putarem absurdum, neq; à uero ualde seiunctum, si nomine platani arborem subintelligamus. Nam sæpe contingit speciem inferi pro ge-

nere, & contrá. sic exemplo alluderemus ad Platonis opinionem. Neq; tamen nos fugit quod dicitur à doctissimo Fabro, qui nomine platani delicatum uult intelligi, cuius sententiam neq; probare, neq; improbare est nostri instituti, tu sequere quod sanius iudicaueris: satis fuerit tibi semper quòd utrouis modo dicatur, uiolatur locutio recepta.

Vnus quidem locus est inspicere, si quod secundum aliũ quendã modum inest, tanq̃ accidens assignauit. Peccatur autẽ maxime hoc circa genera. vt si quis albo dicat accidere colorem esse. non enim accidit albo colorẽ esse: sed genus ipsius color est. Contingit igitur & secundum nuncupationem determinare cum qui ponit, vt q̃ accidit iustitię virtutem esse. Sæpenumero autem & cum nõ determinet: pernotum est quòd genus tanq̃ accidens assignauit. vt si quis albedinem colorari dixerit: vel ambulationem moueri. nam à nullo genere denominatiue prædicatio de specie dicitur, sed omnia uniuoce genera de speciebus prædicãtur. Nam & nomen & rationem generum suscipiunt species. qui itaque coloratum dixit album, neque tanquam genus assignauit. quoniam denominatiue dixit. neque vt proprium, vel vt definitionem. nam definitio, & proprium nulli alteri inest, colorantur autẽ & multa alia: vt lignum, lapis, homo, equus. manifestum igitur, quòd tanquam accidens assignauit.

Qua potuimus industria præmissimus quæ ad congressus ineũdos facere satis dicuntur, nunc superest operi instemus: simul aperiamus athleticis pugnam, atque pugilibus strennuis certamen. Plurimis enim admonuimus palladij certaminis opus esse munimentis: quibus nõ corpora tantum, sed & linguã & animum munirent. Nunc quæ proxima sint pugnae dicamus. Congressuros itaq; primum hoc præceptum obseruare oportet, ne temere se pugnae discrimini opponant, sed prius conquirant innumeras argumentorum copias, quibus cumulatissime donati in rem oppugnandã opus exerceant. Vt si defendatur aliquid inesse subiecto tanquam accidens, quod tamen non sit accidens, in primis considerare iuuabit, quis nam sit ille modus, quo dicatur uere subiecto conuenire illud quod prædicatur: quòd si terminus, uel propriũ, uel genus comperiatur id quod accidens defenditur, euertendum erit

problema loco à distinctione prædicatorū. Idem enim nequit esse ac-
 cidēs alicui, & eiusdē genus, uel proprium, uel definitio. quare id quod
 defenditur alicui esse accidens, si monstratur uel proprium, uel genus,
 uel definitio illius: euertendum est illi accidere. nam in idem recide-
 re non possunt tam diuisa abinuicem prædicata. ut qui tueretur ho-
 mini corpore accidere, uel animal rationale mortale, uel susceptiuū di-
 scipline, destruet ratio & argumentum quod ostendit illa esse alio-
 rum prædicatorum ab accidente. Maxime autem cōtingit generis ab-
 usione peccare in assignandis ab accidente problematibus: quod sæpe
 ab accidente putatur esse problema, quod est à genere. eo quod maiore
 iniuerit amicitiam cum accidente genus quàm terminus, uel propriū.
 hæc enim retro agi uolūt cum specie: genus uero & accidens de plu-
 ribus, sed nō conspirantibus prædicantur. proinde ipso maiore simili-
 tudinis præstigio cōtingit ut quis facilius decipiatur, nec nō pro acci-
 dente genus constituat. In quod labetur uitium qui astruit albo colo-
 rem accidere, seu colorem esse ad album accidens. Nam quum color al-
 bi ostenditur genus, necessariū fit ut eiusdem non sit accidens: ob præ-
 dicatorum diuersas potestates. at diuersa sunt generis & accidentis
 circa idem imperia: quare in easdem partes trāsire nequeunt. Dupli-
 citer autē non accidens assignatur pro accidente. Priore, quādo nomen
 accidentis proposito problemati adiungitur. ut qui dicit iustitiæ uir-
 tutem accidens esse: nam in tali eloquutione problematis manifeste da-
 tur intelligi, q̄ uirtus iustitiæ accidens constituatur: cuius tamen est
 genus. similiter qui tradit albo accidere colorem, uel homini animal ac-
 cidere: in his similibus nomen accidentis insinuat planissime. quare
 & falsum est problema tale. Posteriore modo & frequentiore, quando
 non adfertur nomen accidentis in problemate cōstituto: fit tamen ma-
 nifestū satis, quod in tali genus ipsum esse accidens defendit per præ-
 dicationem denominatiuam: quæ soli accidenti contribuitur. ut qui de-
 fendit albedinem colorari, seu coloratam esse, uel ambulationem moue-
 ri: idem est prorsus ac si diceret, coloratum accidere albedini, & am-
 bulationi ipsam moueri: quæ genera sunt illorum. Qui tamen sustinet
 albedinem colorari, & ambulationem moueri, genus collocat esse acci-
 dens: ex prædicatione denominatiua talibus cōclusa: cum à colore al-
 bedinis genere denominatiuè dicatur coloratum, & à motione ambu-
 lationis genere denominetur moueri. quare manifestum euadit gene-
 ra in aliam nomēclaturam migrare, q̄ talibus problematibus prædica-
 torum monstretur. Nam à nullo genere denominatiue prædicatio as-

Abusus du-
plex.

furgit de specie: uerum omnia genera uniuoce prædicantur, quòd nomine & ratione de speciebus prædicetur. A solo accidente quidè accessit prædicatio denominatiua. Qui igitur dicit album esse coloratum, seu albedinem colorari: postquam coloratum accipit dici denominatiue de albedine, non ut genus assignauit coloratum, sed ut accidens: quum tamen esset genus illius. Nec denominatiue sumi debet prædicatio colorati ad albedinem, quòd genus sit coloratum albedinis: nam deflexa pro primigenijs, & contra, recipimus. color enim non de albedine, sed subiecto substantiali denominatiue dicitur. Non assignari coloratum pro termino, uel proprio innotescit: quòd coloratum pluribus specie distinctis conueniat, ut ligno, homini, equo, & corporibus ipsis: at proprium, & terminus recurrunt cum re: & nulli alteri, sed soli insunt. quare si tale problema non sit à proprio, neque termino, neque à genere, quo dicitur, albedo coloratur: quòd denominatiue defendatur coloratum prædicari de albedine: superest ut ab accidente dicatur esse, ex diuisione quatuor prædicatorum. uerum quia coloratum genus est albi, & eiusdem sunt prædicamenti, notum est quòd accidens defenditur, quod genus erat: quare euertèdum problema. Cæterum ad syncretam posterioris partis institutionem profuerit intelligere, idem prædicari posse denominatiue simul & uniuoce: huiusmodi sunt omnia communia non æquiuoca accidentiū. ad inferiora nanque, uniuocam constituit prædicationem: ad substantias & subiecta, denominatiua. ut coloratum de albo uniuoce prædicatur, & genus illius est, non aliter quam color albedinis: ad substantiam uero, ut hominem, uel equum, denominatiuam cõstituit prædicationem, & illis substantijs albis accidit, non ut hæc alba sunt, sed substantiæ. quare albo non accidit coloratum, sed rei quæ alba dicitur. qui tamen defenderet coloratum de albo prædicari denominatiue, genus faceret accidens. nam, per definitionem uniuocorum, coloratum de albo uniuoce prædicatur: quare non est accidens. nam accidens de eo cui accidit, nunquam uniuoce prædicabitur, sed solum denominatiue. Neque decet quempiam hoc falli argumento: Accidens non prædicatur uniuoce, igitur æquiuoce. Nam triplex est modus prædicandi: æquiuoce, uniuoce, & denominatiue. Postremum solis accidentibus concedimus quatenus huiusmodi sunt: primum uoculis multiplicibus: medium, generi, speciei, differentiæ, & proprio, & definitioni. Quòd si offeras termini diuisionem in uniuocū & æquiuocum communiter quidem receptam, quare omnis terminus & uox prædicabitur, uel uniuoce, uel æquiuo-

Idem dupli-
citer prædi-
catur.

Triplex prædi-
candi modus

Obiectio.

Responſio. ce. Quidam respondebunt forſan diuiſionem illam antiquorū redole-
 re reliquias & prope dixerim delirantiū ſomnia: neq; Ariſtotelis apo-
 phtegmate dignam. Cæterum ne leui ratione uideamur uenerandos il-
 los patres philoſophiæ aſſertores contemnere (quos reuereri ſummo-
 pere ob inſignem quam nauarunt in bonis illis diſciplinis induſtriam
 decet) paulo requiremus altius diuiſionis radicē, ex qua probos ema-
 naſſe ſurculos indice monſtrabimus. Omnis enim terminus (ſic nanq;
 uocabant nō multum à ſententia Ariſtotelis recedentes primo Priorū)
 uel unius rei eſt nota, uel plurium. q̄ ſi quis unā rem inſinuauit, eū-
 dem uniuocum terminū uocauerunt: ſi plures, æquiuocum. qua ſignifi-
 catione ſi uſi ſint & intellectu, plena eſt perfectāq; diuiſio. uerum non
 eo utitur uniuoco, uel æquiuoco Ariſtoteles, qui formas prædicādi &
 rationes ſequatur, illi uero rerum notas. Poteris forſitan mouere ra-
 tionem in ea quæ diximus, propriū, & differentiā uniuoce & non de-
 nominatiue prædicari: quoniam à riſu, riſibilis: & à ratione, ratio-
 nalis dicatur. An non à riſu riſibile hominis proprium dicitur? quod
 non eo q̄ rideat, uel riſus illi inſit, riſibile uocatur: quum etiā ſi non
 rideat, ſed totus, ut Crāſſus, ἀγέλας ος dicatur, tamen riſibile ſemper
 manet, & de homine prædicabitur: idem de differentiā iudicandum.
 Proprium enim & differētia non actum, ſed aptitudinem naturæ re-
 ferunt. Quod ſi uelis à riſu dici riſibile, & à ratione rationale: id cō-
 cedam propoſitū, ſed non eſſe proprium hominis, neq; differentiā de-
 fendam, ſed accidens: ut grammaticum eſſe accidens dicitur. Sit igitur
 primus locus à diuiſione prædicatorū deſtructiuus problematis ab ac-
 cidente assignati: eo quod ſit falſum. unde trahitur hic ſyllogiſmus, Om-
 ne quod genus eſt, uel terminus, uel proprium, nō eſt accidens: atqui
 quod defendis tuo problemate eſſe accidēs, eſt genus, uel terminus, uel
 propriū: igitur quod ponitur eſſe accidens, non eſt accidens. argumen-
 tum ab hoc loco deductum eſt, quod ſyllogiſmi medius terminus dicitur,
 per diuiſionem & diſtinctionem prædicatorum conceptus. Multa
 de ratione ſyllogiſtica eruenda nūc eſſent, niſi Ariſtoteles mirabili in-
 ueniendi artificio & figuras, & trium terminorum, & duarum pro-
 poſitionum coniugationes præſcripſiſſet. quoniā locorum traditio eſt
 mediū termini in problema propoſitū index, & quaſi ſignum. nā pro-
 blema omne in quod congregimur, duobus aſſurgit extremis: quæ uo-
 canda ſunt ad ſyllogiſmū contextum. Verum quoniam idem ſeipſum
 neque probat, neque improbat, opus eſt quodam tertio, cuius habitudi-
 ne cum duobus extremis habita d̄iudicamus unionem extremorū uel

**Reſponſio
 ad obiecti-
 nem,**

**Primus lo-
 cus dicitur
 à diſtinctione
 prædicatorū**

**Per mediū
 ex loco in-
 uentum ſyl-
 logiſmus.**

diuisionem. ut ponebatur albo coloratum accidere: cuius problematis duo sunt extrema, quæ uni tertio cōferemus, ut generi, uel alteri prædicatorum pro medio sumpto: & sic reddemus syllogismum, Omne genus nulli accidit, ut genus: at coloratum albi genus est: igitur albo coloratum non accidit. uel sic, omne quod genus est alicuius, illius non est accidens: at coloratum albi est genus: igitur illius non est accidens in quibus uidere licet, ex medijs dissentiente habitudine cum extremis, & extrema disiungi. nam quemadmodū in mathematicis monstrantur duo latera esse æqua inter se, quod uni tertio cōequentur, uerum si alterum laterum sit magnitudine consentiens alicui, & eidem reliquum dissentiat: cognoscimus inter se quantitatem non eandem recipi. haud dissimiliter in ratiocinandi forma metinur ex medijs copula cum extremis alicuius problematis, uel diuortio, extremorum amicitia, uel inimicitia. Et quemadmodum nō cuius magnitudini dimittenda conuenit quæcunque magnitudo pro mensura, sed statuta, recta, & firma, quæ neque producat, neque contrahatur: sic neq; deprehendimus ueritatem, uel falsitatem problematis per cuiusuis termini pro medio assumptionem: quod quidam non sint extremis consentanei, neque habitudinem aliquam retinentes. quod si rectam magnitudinem obliqua non mensuremus, quod analogæ non sint: neque etiam quouis termino spectabimus problematis naturam: sed certo quodam uel consentiente, uel dissentiente extremis. ob quod Aristoteles medijs habitudinem & inuentionem cum extremis non neglexit: per quam in quacunque figurarum cōcludere propositionem opportunum fuerit. cuius cognitionē absolutam qui fuerit consequutus, magnū ad differendū auxilium sentiet. Potissimum tamen facimus huic negotio conuenientē secundam figurā: quod dialecticus anbelet destruere positiones, quæ (ut diximus) affirmatiuæ semper, uel admodum rarerent negatiuæ sunt. quare & negatiuas conclusiones per syllogismū demittere oportet: at inter omnes figuras, illa quæ media est: ad syllogismos negatiuos tantum præsidij assert, ut illis solis faueat, sitq; addicta. nam & duas formas uniuersalium & totidem particulariū amplectitur, quod nulli alteri concessum est. Prima enim figura demonstratoribus affiniore, quæ perfectissima sit, omne problema in cōclusionem, siue affirmatum, siue negatū, siue uniuersale, siue particulare detrudere potest. Gratiissima est sophistis tertia figura: quæ particularia problemata concludenda agnoscat solum: q̄ ex particularibus, & particularia libenter ratiocinentur. Vnde à tribus syllogismorū artificibus, & figurarum habetur

h.i.

De figurarū
ratione.

triplex distinctio: nā summo principi & philosopho, perfectissima iure hereditario confertur. Dialectico, media figura: quem facimus inter philosophum & sophistam medium. postrema, sophistæ traditur. Quare qui per secundam figuram ratiocinium compingere tentabūt, opus erit pro medio terminum sumant terminum qui de altero extremorum indifferenter affirmetur, & de reliquo negetur uniuersaliter. Copiosius quā uolebamus rem produximus, quod desideremus summe rudes adhuc, & infirmos in his exerceri, ut frugem percipiant. Lubens abstineo à differentia quam assignant quidam inter principium, & locum. qui alijs nominibus utuntur. nam maximam, & differentiarum maximam hæc appellant. eo quod res est leuior quā quæ bona ingenia remoretur: nam superiore & inferiore differunt: principium enim est superius. sæpe etiam confunduntur.

Alius locus, Inspicere cōuenit ea, quibus inesse uel omnibus, uel nulli dicatur. Considerandum autem secundum species, & non in infinitis: transitu enim magis, & in paucioribus inspectio. oportet autē cōsiderare & incipere à primis: dein consequenter usq; ad indiuidua. ut si oppositorū eandem disciplinā quis dixerit esse, inspiciendum si eorum quæ sunt ad aliquid, & contrariorum, & eorum quæ secundum priuationem & habitum, & eorū quæ secundum contradictionem dicuntur, eadem disciplina: & si in his manifestum nondum fuerit, rursus hæc sunt diuidenda usq; ad indiuidua: ut si iustorum & iniustorum, uel duplicis & dimidij, uel cæcitatibus & uisus, uel existendi & nō existendi. Nam si demonstraretur in aliquo quod non eadem, destruente erimus problema. Similiter autem & si nulli inest. Hic autem locus conuertitur, & ad construendum, & destruendum. si namq; in omnibus uideatur cum proferimus diuisionem, uel in multis, efflagitare oportet ut uel uniuersaliter ponat, uel instantiam afferat in quo non sic. nam si neutrum horum faciat, absurdus uidebitur, qui non ponit.

2
Locus à totius partibus
Secundus locus præceptius mediij sumendi à totius partibus: quod in problema accidentis, seu positum ab accidente uniuersale conuenit differere & cōstructiue, & destructiue. ut si defendatur accidens

aliquod subiecto vniuersaliter conuenire siue affirmatiuè, siue negati-
 uè, considerare diligenter oportebit congressurum totius partes sub-
 iecti, cui uel omni, uel nulli accidens dicitur inesse, quibus conspiciet
 quòd uel omnibus uel nullis illius totius partibus ascribatur dictum
 accidens: quòd si alicui parti non inesse disquisitione solerti deprehen-
 datur accidens, concludendum est non omni subiecto id accidens com-
 petere. quare & destruendum est problema quo enuntiabatur subie-
 cto vniuersaliter affirmatiuè accidens adhærere. Quòd si nulli subie-
 cto inesse suscipiatur accidens defendendum, consimili partium subie-
 cti contemplatione tentare licèbit euerfionem. Nam qui ostenderit ali-
 cui parti accidens inesse: destruet, quòd nulli subiecto in sit ipsum quod
 defenditur accidens. Ad hunc locum pertinebunt, quæcumq; totius no-
 men uendicant, siue pro genere totum, siue integro & composito su-
 matur. huius quidè est partitio, quæ in partes dissoluit totum & inte-
 grum: illius autè est diuisio, quæ fit in formas, & species. Interdum tamen
 non obseruatur tã diligens nominum cura. Sed genus totum, & species ge-
 neris partes uocantur à plerisque: huius testis erit nõ obscurus Porphy-
 rius, qui genus, totum specierum: species autè, totum & partes appellat.
 nam generis species sunt partes, & eadem totum indiuiduorum: quod conti-
 neant indiuidua significatione. Sic neq; seruaretur distinctio inter par-
 titioem & diuisionem prædicta. Vt trouis tamen modo totius nomen
 concipiatur, huic loco asfringemus: cui accidens inesse uel nõ, traditur.
 In primis igitur doceamus digladiandi modum in problema accidetis, in
 quo accidens generi vniuersaliter dicatur affirmatiuè inesse. statim ad
 opus perquirere operæpretium fuerit generis species, cui toti accidens
 dicitur inesse: cuius si aliquam uel aliquas intelligamus, quibus accidens
 non in sit, falsum colligetur esse problema. similiter & si nulli dicatur
 accidens inesse, per diuisionem specierum coniectare licèbit ueritatem
 problematis suscepti. Verum ut facilior habeatur differendi per par-
 tes generis ratio, diuidendum erit genus, cui accidens dicitur omni uel
 nulli inesse, in species primas seu continuas generi. dein illas in alias
 partes diuidemus, si diuisionem non reformidarint: donec peruenia-
 mus ad indiuiduam speciem: quæ nullius est diuisionis. Indiuidua enim
 ab arte relinquenda, quæ infinita sint. sed transfundum est ad ea quæ
 certo numero concludi possunt, seu quorum numerus minor est: nam
 & illorum disciplina esse potest, quòd in paucioribus sit inspectio se-
 cundum numerum. Neq; omnium quorum est numerus eadem fuerit
 contemplatio, quòd quanto superiora & maiora fuerint, tanto mi-

Totum dus
plex.

Vnus Icci à
totius parti-
bus.

nor fuerit numerus & certior eorundem . quare à primis illis diuisionem admittentibus primā requiremus Specierum diuisionem: quarum & numerus statutus esse potest. postquam (si opus sit) Specierum contendemus re soluere membra nondum re satis cōperta ad rei intentæ consequutionem . neque cessandum erit à diuidendi lege , nisi ad indiuiduas species peruenerimus: quæ, quod nulla sit earum diuisio, indiuidui nomen promerentur. Vt sit hoc problema uniuersale, quod defenditur , oppositorum eadem est disciplina : in quo oppositis omnibus dicitur eadem disciplina accidere : quare per diuisionem oppositorum in species perpendemus , si speciebus oppositorum omnibus eadem disciplina accidat: quod si non omnibus oppositorum speciebus conueniat, euertendum. si uero nondum notum sit illa sectio, & in singulis speciebus per diuisionem conspiciemus usque ad indiuiduas . Cum igitur opposita diuidantur in contraria, relata, priuantia , & contradictoria : si aliquibus illorum non insit eadem disciplina, destruitur problema . quod si prima diuisione non sit peruium utrum omnibus accidat eadem disciplina , an non : rursus subdividere oportebit singulas partes : ut contraria in iusta & iniusta, alba & nigra, calida & frigida , & cætera consimilia contraria : quibus nisi eadem disciplina accidat omnibus, destruetur positio. ut si finiti & infiniti monstreret non eadem esse disciplina : quod illius sit disciplina , huius non . similiter & in relatiuis, ut duplicis & dimidii, scibilis & scientiæ, opinabilis & opinionis, si non omnium sit eadem scientia. in contradictorijs , ut si entis & non entis, albi & non albi, non sit eadem disciplina. Eodem modo per diuisionem priuatiuorum , si noti sit scientia , & non ignoti : destruetur per particularis negatiui ueritatem uniuersalis constituta positio . Vniuersale negatiui non dissimiliter destruetur. ut qui defenderet, Nullus piscis mammas habet, per diuisionem piscium ueniemus in speciem delphinorum, qui mammas & lac habere probantur. & similiter si nulli piscis pulmonē habere dicerentur, per diuisionē facile erit destruere. Vnde elucescit locum hunc esse constructiuum & destructiuū uniuersalis problematis ab accidente . nam quanto afferuntur plures affirmationes particulares uniuersalem negatiuam propositionem destruētes, tantotutior est uniuersalis affirmatio. quare qui plures affirmatiuas particulares ueras eduxit ipsius uniuersalis diuisionē per partes discurrete, in cuius partibus uel omnibus, uel plurimis si constans redditur ueritas, postulanda erit & concludenda per inductionē uniuersalis uera.

Argumētū
 à partibus
 anceps.

uel instantia erit subiicienda, cuius uirtute reprobetur uniuersalis concludenda ueritas. Quoniam si neutrum fecerit respondens, neque ex multorum ueritate particularium fateatur uniuersale, neque instantiam habeat qua ipsum infirmet, ab omni ratione alienus diiudicabitur. Ut qui omne animal respirare probat per diuisionem animalium in gressibile, aquatile & uolatile, quorum si omnibus uel plurimis comonstretur respirandi facultas inesse, per inductionem colligenda erit uero consentiens, uel instantia erit obijcienda de piscibus branchias habentibus, quibus respirare non congruit. non enim alio discursu per inductionem uniuersalem negatiuam quam diuisione partium uerarum ueram concludimus. quoniam ex negatione specierum generis uel constructione sequitur & destructio generis, uel constructio. igitur si generi quiddam accideret, & speciebus accideret: quod si non speciebus, neque generi: & contra, si nihil generi accideret, neque speciebus: quod si speciebus, & generi accideret. nam genus in omnibus suis speciebus consistit, à quibus nunquam diuerticulum facit, neque contra. Ceterum uim eandem loci integro contribuendam monstremus. Si quis Therpsiten totum monstrum uelit comprobare, argumentatione per partes de prompta docebit hoc modulo: & oculi, & pedes, & manus, & labra monstrum præ se ferunt: igitur totum monstrum est. Similiter medicinam utilem esse per partes. nam depellere morbos, sanitatem conseruare, inducere salutem, est utile: igitur medicina est utilis. Eodem modo in negatiuis probandis partium enumeratione utemur. ut nullum animal esse immortale ostendemus, quod neque caput, neque brachia, neque pectus, neque reliquæ partes sunt immortales: igitur neque totum animal immortale. Sciendum illud est (postquam in hunc totius sermonem incidimus) Totum multiplex esse ad substantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, ad locum, ad tempus: quod res diuersorum prædicamentorum una ratione non possit significare. idem iudicium de partis nomine, cui reciproci dicitur. Totum substantiale duplex est. Vnum simplex dicitur, quatuor uocatis elementis, & cælo conueniens. Alterum est mixtum: cuius triplex potest esse compositio, præter materiæ primæ & formæ unionem. Prima ex elementis, uel ex eorum uirtutibus. nam humiditas, siccitas, caliditas, & frigiditas materiam compositis influunt: cæteræ autem differentiæ illas sequuntur, ut grauitas, leuitas, densitas, raritas, & reliquæ tales affectiones. Secunda constitutio hominum, ex partibus similaribus, & eandem denominationem accipientibus, ut ex ossibus, carne, neruis, musculis, & similibus. Tertia est partium dissimilarium: ut faciei,

Totum multiplex.

Hominum compositio triplex.

manus, capitis, & reliquorum organorum. unde & triplex disputandi ab hac totius distinctione ratio deflectetur ei, cui aliquid accidere totum uel non, firmare uel infirmare mens fuerit. quoniam si singulis partibus quid acciderit, & toti. & contra, si toti: & alicui partium. sic negatiue, proportionem quadam dicitur. si nanque animal nulli corruptioni obnoxium defendatur: quod compositio partium seu partes quibus animal constat sint corruptiles, improbat: nam & materia quam informat corruptibilis, quae quatuor elementis admixta est. quare parte diruta, totum collabi oportet. A compositione secunda ducetur argumentum: quod ossa, nerui, carnes, musculi, uenae, non semper permaneant: neque igitur animal subsistet. Postremae compositionis productum fuit exemplum. A toto in quantitate, quod corpus non est indiuisibile ostenditur: quoniam neque longitudo, neque latitudo, neque altitudo, est indiuisibilis. A qualitate, loco, & tempore, passim exempla & rationes efferuntur, & constructiuae, & destructiuae. ut neque pueritia, neque adolescentia, neque iuuentas, neque uirilis aetas, neque denique senectas est permanens: neque igitur omnis aetas. Similiter, neque supernus, neque infernus locus, neque anterior, neque posterior, neque dexter, neque sinister est mobilis: igitur nec locus est mobilis. Pulchrum in super duximus, si huic loco accommodaremus & speciem, non aliter quam genus: quae & constructiuam & destructiuam rationem suscipiet ab indiuiduis, quam & genus a speciebus. nam species non aliam ad indiuidua naturam referre uidetur, quam genus ad species. quare neque argumentandi facultate ipsam comparatam ad illa dissidere putauimus. quae & totum indiuiduorum, sicut genus specierum, appellatur. Ut quod omnis homo scire desiderat, confirmamus, quoniam & Socrates, & Plato, & Aristoteles, & caeteri scire desiderant. uel omnem hominem esse auarum, uel nullum esse studiosum, per singula contemplantur. Hunc secundum locum nonnulli plurimae eruditionis uiri tentarunt a locorum numero discernere. Verum si locus sit (quemadmodum ipsi definiunt) communis quaedam rei nota, cuius admonitu quid in quaque re probabile sit potest inueniri: & per hoc praecipuum tanquam communem notam, si accidens omni uel nulli conuenire dicatur, per species seu partes probabiliter inuentas construere uel destruere liceat problema ab accidente positum (ut satis ample monstrauimus) locum esse non erit negandum. Neque, ut putarunt, de specierum affirmatione uel negatione uniuersali agitur: neque oportet ex loci positione, quod obijciunt de definitione

Loc. defensio.

genere, proprio, quòd hæc non omnibus inesse possent, similiter quòd nulla sint accidentia quæ insint omnibus, sed cõtrarium rectius: quòd hic locus intelligatur solum, & tradatur ad differendum in problema accidentis: quo defenditur, omni uel nulli subiecto accidens conuenire, per subiecti diuisionem in partes seu species. Nam si accidens insit omnibus speciebus, & generi inest: & contra, si toti generi: & speciebus inesse cõcluditur. Destruitur autẽ toti cõgruere, si nullis speciebus accidat: & si neque toti, neque partibus. Quare id in primis annotare debent studiosi, omnem quæstionem hoc libro discutiendam ab accidente uocari, & problema esse accidentis. simul omnes locos huius transmittere rationes: quibus probemus, uel improbemus problemata accidentis. denominationis igitur eiusdẽ erunt omnes huius libri quæstiones, & problemata. nam ab accidente uocabuntur. Loci uero, è quibus deducuntur rationes, uaria sortiuntur nomina. ut primũ uocauimus à distinctione prædicatorũ, qui eò primus fuit, & euerfione facta accidentis per illum locũ non sit opus aliorũ locorũ traditione, qui requirant accidens esse prædicatũ. Secundum autẽ hunc locum dicimus à generi subiecti diuisione per species, seu si mauis, à totius partibus, qui & constructiuus, & destructiuus est problematis accidentarij & uniuersalis, ut exẽplis mirifice inuimus, in quibus diuisione subiecti in partes cõiungebatur uel separabatur prædicatũ accidentariũ à subiecto. in omni enim problemate duæ sunt partes, subiectum & prædicatũ. inde ab utraq; parte rationes trahentur: ut hominẽ coloratum ostendimus per diuisionẽ prædicati, quoniã uel albus, uel niger sit.

Alius, Definitiones sunt faciendæ & accidentis, & cui accidit, uel amborũ secundũ utrũq; uel alterius: deinde considerandũ si quid non uerũ in definitionibus ut uerũ sumatur. ut si est, deũ iniuriam facere: quid iniuriã facere. Si enim sit, nocere sponte: manifestũ quòd nõ contingit deum iniuriã facere, non enim cõuenit deo, nocere. Et si inuidus sit studiosus: quis inuidus, & quæ inuidia. nã si inuidia sit tristitia in apparenti prosperitate alicuius proborum: manifestum quoniam studiosus non est inuidus. prauus enim esset. Et si indignans sit inuidus: quis uterque eorum. nã sic manifestum erit utrum uerum, an falsum sit quod dicitur. ut si inuidus quidem sit, qui tristatur in bonorum prosperitatibus: indignans autem, qui in

In pbema
ta tantũ acci-
dentis hoc
libro discuti-
tur.

Species huius
loco ordina-
tur accidenti
subiecta.

malorum prosperitatibus tristatur : manifestū quòd inuidus non erit indignans . Sumendæ sunt autem & proijs, quæ in definitionibus sunt, nominibus definitiones, & nō desistendum est donec ad notum deuentum sit. nam sæpe cū tota quidem definitio est assignata, non manifestum est quod queritur. verūm pro aliquo eorum quæ in definitione sunt nominū definitione dicta, pernotū fit.

3

A definitio
one.

Tertius locus est à definitione uocandus . siue definitio asseratur accidentis, siue subiecti, siue utriusque, constructiuus & destructiuus potest esse problematis accidentarij. In omni problemate suscepto duo sunt termini, subiectus, & prædicatus. In problemate autē accidentis, quod dicitur prædicari, accidens est, & de subiecto ponitur prædicari. quare si obscurum fuerit & dubiū, utrum dictū accidens subiecto insit an non, id notū fieri poterit, uel per accidentis definitionē, uel subiecti cui accidens adhærere ponitur, uel utriusq; & subiecti & accidentis. Nam habita definitione alterius uel utriusq;, facile uerū uel falsum problema deprehendetur: quoniam si alterius definitio alteri extremo non quadret, uel utriusq; definitiones nō consentiant: neq; problematis inter se extrema conueniēt. quare & falsum dicitur. quòd si consenserint utrorūq; definitiones, & extrema adinuicē copulabūtur. quare & uerū ostenditur problema. ut qui defenderet, deū iniuriā facere: euerternus positionē per definitionē prædicati: quòd accidens deo inesse dicitur. quare quid iniuriā facere, definiemus. q̄ si definitur iniuriā facere, esse spēte lædere: quoniā deus nō sponte lædit, manifestum est deū nō facere iniuriā. nā à quocūq; definitio remouetur, & nomen ab eodem: sed illa definitio prædicati subiecto non congruit: igitur neq; illi prædicatū. quare falsum est deum iniuriā facere. quod δ̄ ᾱδ̄ ιν̄εῑ Aristoteles, nos iniuriā facere, uel iniustitiam, dicimus. de quo multa in quinto Moraliū habet. ubi definit ipsum esse, lædere spēte præter alterius uoluntatē. nemo enim nisi inuitus iniuriā patitur. ut etiā habet in primo Rhetoricis, & ω̄ δ̄ ῑ δ̄ ῑ ιν̄εῑ, δ̄ ε̄λᾱᾱσ̄ ῑπ̄ ε̄ῑνο̄σ̄ᾱ π̄ᾱρ̄ᾱ ε̄ π̄ῡν̄ο̄ μ̄ο̄ρ̄. Similiter si quis dubitet an homo inuidus sit studiosus, ex definitione subiecti omnis anxietas expelletur: qua destruetur & positio. Quid sit itaq; inuidia definiendu, cuius definitio, si homini alicui insit, cui uirtus dissentiat, nec homo inuidus erit studiosus: cum ergo definiatur inuidia, tristitia ex apparenti prosperitate alicuius proborū: & homo inuidus definietur animal esse ratiōale mortale, quod dolebit de

A definitio
ne prædicati.

A fine subiecti.

probi hominis prosperitate: At nullus studiosus de prosperitate studio-
 rorum & utilitate dolet, igitur nullus homo inuidus est studiosus,
 omnis enim qui de prosperitate proborum tristatur, malus est: nullus
 autem studiosus est malus, igitur nō tristatur, &c. Præterea si quæra-
 tur, utrū indignās sit inuidus, per utriusq; definitiones, & indignātis
 & inuidi cōiectabimus, an sit uerum aut falsum quod quæritur. dicō-
 ti igitur inuidum esse indignantem, reclamabimus per definitiones, hac
 formula, Qui tristatur de proborum prosperitate, non tristatur de im-
 proborum prosperitate: atqui inuidus est qui de proborum bona for-
 tuna tristatur, indignans autem qui de perniciosorum prosperitate:
 igitur inuidus nō est indignans. quorum enim definitiones repugnant,
 & nomina: at notum est illas utriusque definitiones non copulari, igi-
 tur neq; positio uera. quare & euertenda. De discrimine commiserati-
 onis, inuidiæ, & indignationis si plura requiras, ad secundū rhetori-
 ces Aristotelis confugas. Habeas tamen inuidiam, esse dolorem pertur-
 bantem propter res secundas non quidem indigni, sed æqualis uel si-
 milis: & indignationem esse dolorem de rebus prosperis indigne colla-
 tis: commiserationē, dolorem propter res aduersas alicui indigne in-
 flictas. Si uero res in dubitationē conuersa non satis firmetur, neq; elu-
 cidetur argumentatione per definitionem uel accidentis, uel subiecti,
 uel utriusq; protensa, quod tribus exemplis mōstratum est, subiungen-
 dæ fuerint in super & partium in definitione consistentium promouē-
 dæq; definitiones. neque desistendum erit à definiendi lege per quam
 disceptatio decurrat, nisi deuentum fuerit ad notam ualde rei in ambi-
 guitatem propositæ definitionē: qua dubium omne & interrogatum
 pernotum euadat. sæpenumero enim contingit cum aliqua cuiuspiam
 definitio traditur, id non explicari neque satis iri exploratum, quod
 definitionis partes adhuc ignotæ conspiciantur: quare illarum omnium
 partium reddendæ sunt rationes: quibus quod obscurum fuerat, ex-
 pulsus inde tenebris lucem recipiat immodicā. sit igitur hic locus om-
 nibus suis exemplis firmatus, uel per prædicati definitionē tantū, uel
 subiecti tantum, uel utriusq;. Quo conuincūtur illi, si qui sint adhuc hu-
 ius heresis, qui stentore a quadam uoce circumferunt, accidentiū nul-
 lam definitionem. quod si audiendi essent, uanus esset Aristoteles: qui
 præcipit per definitionem accidentis probari, uel reprobari proble-
 ma ab accidete uocatum: cuius nulla haberetur. neq; ualet quod uocife-
 rantur nonnulli descriptionem esse accidentis, non autem definitionē.
 Nam cuius habetur genus & differentia propria, & illius definitio

Ab utriusq;
 rationibus

An definitio
 fit acci-
 dentis.

haberi potest. atqui accidētis ponitur genus. Nam nouē statuta sunt accidentium genera summa, quibus supponuntur res accidentariæ: quæ etsi accidentis nomen perdāt, ut genus respiciunt, per se tamen accidentia sunt. Porro genus omne differentijs diuiditur: quibus iunctis generi proprio constituuntur species. Nullū enim cōsistere potest genus, cuius diuisio per differentias nō habeatur, neq; sint species: quæ per differentiarum obsequium congnuntur: conseqūo igitur trahitur, accidentis constitui definitionē, ut albi homini accidentis, cuius genus est coloratum, definitio concludi potest. nam coloratum quoniam genus est illius ipsum diuidi differentijs oportet. cum ea sit cuiusuis generis natura ut diuidi possit per differentias. sint igitur, congregatiuū & disgregatiuum uisus: & differentia quæuis generi iuncta speciem habet constituere & definire. quare necesse fuerit albū & quoduis habens genus, definitiuum esse. Nā ex complexu generis & differentię constituitur species. sed id dictū est, & manifestius fiet ex sexto Topicorum.

Amplius problema propositionem sibi facientē instare. Nam instantia erit argumentum ad positionem. Est autem hic locus ferè idem ei, quo considerare oportet, quibus inesse vel omnibus vel nulli dictum est: verū differt modo.

4
Ab instātia

Quartus locus, qui solum est destructiuus, ab instantia sub propositione uniuersali præcipit problema constitutū in uniuersalē propositionem transferendum ab interrogante: qua uniuersali habita & mente concepta in eam laborandum erit asferre instantiam: quòd illa instantiæ inuentio in uniuersalem, principium sit constituti problematis destructiuum. Nempe facilius est in propositionē uniuersalem instantiam detorquere, quàm argumentationem ad problema instaurare. proinde iuuabit problema in propositionē uniuersalem quæ familiarior uideatur mutare. Verū cum instantia fiat in propositionem uniuersalem de aliquo sub uniuersali contento, se habet ut pars ad totum. quare hic locus ferè idē uidebitur ei, quo dicebamus inspiciendū esse quibus omnibus uel nullis prædicatum dicebatur inesse. Nam illo loco, qui secundus fuit, à generis diuisione species adinueniendo quibus non inerat assignatū accidens, destruebamus problema. sic in proposito instantia adducitur ad uniuersalem propositionē magna animi disquisitione circa uniuersalis partes: cuius si aliquid offendatur dissentaneū, id fiet instantia ad uniuersalem propositionem, & principium parabit destruēdi problematis. Differt tamē modo: quoniam in

secundo loco manifeste uniuersalis, & generis partes, & species per diuisionē sumebamus in problema: hic uerò prius instantiam acceptā ad uniuersalē propositionē, quæ magis sit cōsuetā & propinqua quā argumētatio ad problema, facimus principium esse rei disputandæ, & ad argumētationis opus deducimus. sed id exemplis illustremus: sit positū problema, utrum uirtus est scientia an non: illud statim transferamus in hanc uniuersalem propositionē: an omnis uirtus est sciētia? & reuolutione animi inuestigemus instantiā, ad species uirtutū animum intendentes. incidamus tandē in memoriā uirtutū partis animæ cōcupiscibilis, uel irrationalis: quarū scientiæ nō habētur, neq; disciplina menti inseruntur: sed cōsuetudine & usu. Nullus enim cognoscendo uirtutes tales, studiosus est: neq; moralē uirtutem dicitur possedisse. ipsam igitur ad uniuersalē propositionē inuentā instantiā, sumemus pro argumēto in perniciē & euerfionē cōstructi problematis: Nulla uirtus moralis ex cognitione agendorū neq; disciplina comparatur, omnis autē scientia cognitione & disciplina hauritur, nulla igitur uirtus moralis est scientia. fiet rursus, ut nō omnis uirtus sit sciētia. similiter sit problema, utrū omnis uoluptas sit bonū an non: trāfferemus ad uniuersalē propositionē, quæ familiarior apparebit: & per nos ipsos quæremus, an omnis uoluptas sit bonum: & inuenientes instantiā per diuisionem uoluptatū, quoniam incontinentium & intēperantium uoluptates non sunt bonæ: inueniētes inquā primū in uniuersalē propositionē, eandē fecerimus principiū argumētationis in destructionem problematis uocata. Facilius enim est in propositionem, quā in problema instare: quæ magis illam percipiamus ob simplicitatem, quā problema. inuēta tamen instantia ad illam, conferet ad differendum in problema.

Amplius determinādum, quæ oportet uocare ut multi, & quæ non. Utile autem & ad construendum, & destruendum. ut quòd nuncupationibus quidem res appellare oportet, quemadmodum multi: quæ autem res tales sint, uel non tales, non amplius tribuendum multis. ut salubre quidem dicendum effectiuū sanitatis, ut multi uocant: utrum autem propositum, effectiuum sanitatis an non, nō amplius ut multi dicēdū, sed ut medicus.

Quintus locus ab autoritate seu testimonio constructiuus & destructiuus problematis: quoniam quædam uocare cōuenit receptis omnium opinione nominibus. nam secundum impositionem rebus nomina demātantur. nec cuiusq; est rebus ipsis propria nomina pro arbitrio

5
Ab authori
tate.

imponere: sed sequenda est hominum uulgaris opinio. Quædam uero non communibus & consuetis nominibus uocanda sunt: sed cõmunis sermo locum dabit particulari, & euertendus ueniet. quoniã quæ tales res sint quibus nomina apta conueniant, non cognouit multitudo, neque quid unumquodq; tale sit, quod nomine comprehenditur: sed sapiet. quare per hos duos modos, ab autoritate facile erit cõstruere uel destruere problema, ut deposcit occasio. sit igitur celebri hominũ consensu receptum id appellari salubre, quod effectiuum est sanitatis. Verũ quia nescit multitudo, an res illa quam uocat salubrẽ sit effectiua sanitatis: non igitur audiendam illam concludemus multorum capitum beluam: sed sapientem aliquem dicemus esse insequendũ, ut medicum insignem. quare quod iudicauerit esse salubre nuncupandum, id sic esse uocandum: non autem quod uulgares temere pronuntiarunt salubre. Nam cogeret, qui sequetur multitudinem, confiteri aliquid salubre, quod non salubre: quoniam sanitatis effectiuum quippiam communi omnium sententia dicitur, quod non erit tale. quare facile erit redarguere plausibilem illam opinionem: & eum qui sequi uelit nomina rebus imponenda ad hominum uulgarium arbitrium. Quemadmodum enim non est multitudinis cognoscere quod uidetur, uel est effectiuũ sanitatis: quoniam multitudo ignara est & rerum imperita: sed est medicorum, & sapientum rerum penetralia subintrare: sic etiam id uocandum est salubre, quod iudicio medicorum sanitatis effectiuum cõprobatum fuerit, non uulgi fama. sed per multitudinem problema monstrabimus, si defendat quis solos sapientes esse diuites. Quoniam oportet res ipsas uocare nominibus consuetis, & nõ transgredi locutiones cõmunes: at diuites dicuntur, qui multas possessiones occupant, sapientes quidem possessionum fundorum sunt cõtempores: igitur nõ sunt diuites. quare hoc loco euertitur problema, q̄ transgrediatur cõsuetã nominum notã. De nominum propria institutione habes Platonis Cratylum: qui dialecticum nominum legislatorem, & non multitudinem defendit, neque nominum impositionem esse imperitorum & multitudinis opus.

Amplius si multipliciter dicatur, positum autem sit quoniam inest aut quoniam non inest: alterũ monstrandum eorum quæ multipliciter dicuntur, si non utraque contingat. Utendum autẽ in ijs quæ latent. Nam si non lateat multipliciter dictum: instabit quoniam non monstratur id, quod ipse dubitabat, sed alterũ. Hic autem lo-

cus cōuertitur & ad construendum, & ad destruendum. Construere etenim volentes ostendemus quòd alterum inest: si non ambo poterimus. Destruentes autem, quòd non inest alterū monstrabimus: si non ambo poterimus. Veruntamen destruenti quidem, nihil oportet ex confessione differere: neque si omni, neque si nulli inesse dicatur. Nam si ostenderimus quòd non inest cuius, interimentes erimus omni inesse. Similiter autem & si vni ostenderimus inesse: destruimus nulli inesse. Construentibus verò præconfitendū, quòd si cuius inest, omni inest, si credibile sit postulatum. non enim sufficit ad probandum quoniam omni inest, in vno disputasse. vt si hominis anima immortalis est, & quòd omnis anima est immortalis. quare præconfitendum, quod si quæuis anima immortalis, & omnis immortalis. hoc autem non semper faciendum, sed quando nõ facile possumus communem in omnibus vnā rationem dicere: quemadmodū geometer, quòd triangulus duobus rectis æquos habet tres angulos.

Sextus à multiplicis nominis diuisione appellationem mutuatur. si enim multiplex fuerit positum problema accidētarium, nulla illius distinctione facta homonymi, per diuisionem ad differendum plurima dabitur occasio in problematis infirmationem siue affirmatiui, siue negatiui. Nam locus ad utrumque utilis, & constructiuus, & destructiuus. Veruntamen certa lege est congregiendū, quòd non communi quadam & eadem in omne problema positum multiplex conueniat differere. Nam nonnunquā multiplex à respondente defenditur problema tanquam simplex: qui tamen plane cognouit id esse multiplex. Interdum etiam multiplex arbitrabitur esse simplex ob ignorantiam illius: quocirca non eadem argumentationis formula insiliendum erit in utrumque. Nam si non lateat respondentem multiplex positum: ei qui in eū congregiatur & elaborabit euertere partem alteram problematis, statim expedite refragabitur respondens: nec nõ in differentem assurgat: quod non destruat problema quod suscepit defendendum, quoniā non reprobet differens quam defendit partem, sed alteram quam non insinet. De modo differendi in positionem propositam, quam non igno-

6
A multiplex
cis distinctione
inconsistens
gniti.

rat multiplicem respondens, mox dicemus: si prius fuerit eductus in latentem multiplicem congressus. sit itaque positio multiplex, cuius homonymia defendenti non sit cognita, uel illa enuntiabit prædicatū accidentariū alteri conuenire, uel distrahi: utpote quæ affirmationis uel negationis nomen non refugiat. Quod si affirmet, suscipienda sunt ab interrogante multiplicis membra: quorum pleraque argumentis seimeta esse cōmōstrentur, si omnia ostendi non possint. Nam si omnia multiplicis significata ab altero extremo, uel pleraque dispesci monstrantur, abunde fuerit disputatum in euerfionem positionis: quod non oporteat distrahere omnia signa ad destructionē uniuersalis constructiua, cum uniuersalem diuersi ordinis confodiat ipsa particularis. ut qui defenderet, uirtutes coniūgi, per diuisionem uirtutum in naturalem & acquisitā, monstrabitur naturales uirtutes non esse coniūctas: quod alij ad liberalitatē sint propēsi, sed intemperantes: alij temperantes quidē sint, sed habēdi cupiditate teneātur. de quibus in fine sexti Ethicorum. si uero contigerit prædicatū negari de subiecto, & ita constituatur à respondente, ratione multiplicis studendum est affirmare: nā quia multiplex est, quædam uera illius pro affirmatiua reperiuntur, etsi non omnia, quod de eo multiplice loquamur, ratione cuius partim uera, partim falsa redditur propositio. quare ad differendum in partem negatiuam, significata, quæ pro affirmatiua faciunt, quæ erēda erunt, quibus internetionem patietur negatiua positio. ut qui sustinet dormienti nullum sensum conuenire: qui assumit sensum potentia illi conuenire, disrumpet positionem. Nam sentire & actū & potentia dicimur. similiter qui philosopho regnare non esse decens, uel esse decens, tuetur, in eum differetur per decentis diuisionē in partes, quarum quædam habebuntur pro altera parte cōtradictionis pugnātes: quædam pro reliqua. Decens enim, & honestū, & necessarium, & utile dicitur in elenchis sophisticis. Et si locus hic ualeat, & ad constructionem uniuersalis problematis, & ad destructionem, plurimo tamen interuallo differendi modus disiungitur. nam facilis est profecto uniuersalis destructio siue affirmatiua, siue negatiua positionis: quia qui particularem conclusit propositionem, quam prompte colligi contingit, uniuersalem destruxit oppositā siue affirmatiuam, siue negatiuā. quare non oportet ad destructionem uniuersalis, uniuersalē probare diuersi ordinis propositionem: quæadmodum in constructione uniuersalis: sed sufficit habere particularem argumētatione conclusam. nam maxime dissident particularis, & uniuersalis diuersi ordinis. qui itaq;

Uniuersaliū destructio facilis.

mōstrat alicui nō inesse, quod uniuersaliter inesse defenditur, id euer-
 tit: & quod alicui ostendit inesse, id nulli inesse corrūpit. Ad constru-
 ctionem autē longe diuersa differendi lex est. nam qui particulārē cō-
 clusit, nō ex ea & uniuersalem mōstrat, nec cōstruit eiusdē formæ. nō
 enī sufficit disceptatio in uno particulari affirmato instructa ad uni-
 uersalem propositionē affirmatiuā erigēdam: neq; in negatiuo parti-
 culari, ad totius negatiuæ illationē. ut si argumēto quodam cōclusum
 sit, animā hominis esse immortalem, nō tamē in cōsequium trahitur, q̄
 omnis anima sit immortalis. similiter & negatiuæ particulares nō in-
 ferent differēdo uniuersales. nō enim est necessariū, si bruti anima sit
 mortalis & non immortalis, nullam animā esse immortalē. de animæ
 immortalitate argumētum accipe ex Platonis Phædro. sed uim disse-
 rendi colligēdo uniuersalē ex hypothesi & cōuentione cū respōdente
 accipere precario oportet. Nam facta cōpositione cū respōdente hac,
 quōd quicquid monstrabitur in uno, & in ceteris monstratū iri reci-
 piatur: & quōd uni accidat, & reliquis accidere idem iudicetur (quo-
 niā uagari & per omne discurrere propemodum esset infiniti labo-
 ris) & quando confessus fuerit respondens quod in uno particulari-
 um fuerit probatum, & in reliquis monstrari: poterit illo adiutus re-
 spōdentis beneficio uniuersalē concludere eiusdem imaginis propo-
 sitionē. ut quōd omnis anima est mortalis, probat quoniā anima plantæ
 est mortalis: per suppositionē itaq; & cōfessionē cū respōdente factā
 huius, quod in uno p̄babitur, & in omnibus mōstrari idem iudicetur,
 quo admissō & supposito qui nūc monstrat animam plantæ esse mor-
 talem, & omnē colligit esse talem. neq; dissimiliter cōcludere licet uni-
 uersalem negatiuam per hypothesim disceptatione in particulari fa-
 cta. uerum non sufficeret disputatio facta in uno particulari ad uni-
 uersalem concludendā, nisi conuentione illa facta & postulatione ad-
 missa credibili: quod in uno monstratur, in reliquis consimilibus idem
 ostensum fideliter credatur. Verum in omnibus ad uniuersalis con-
 structionem non est semper opus conuentione & præoccupatione si-
 milium cum respondente. Nam geometer non desiderabit fœdus inire
 & pactum ad hanc uniuersalem concludendam: omnis triangulus
 habet tres angulos æquos duobus rectis: quōd eam per principia cor-
 roborare & demonstrare possit. quare non est opportunum se demit-
 tere uel committere aliorum custodiæ & arbitrio, qui potest uiriliter
 argumentatione seria quæcunque destinarit consequi. si tamen fue-
 rint nonnulli, qui suis uiribus parum ualeant, & quibus potius diffi-

Uniuersalium
 constructio
 laboriosa.

Per hypo-
 thesim acci-
 pitur.

Per hypo-
 thesim acci-
 pitur.

dendum est, quàm aliquid temere præter facultates audendum: talibus non inutile fuerit se credere respondentis authoritati: à quo non possunt argumentorū uiribus extorquere, quod summo peroptant de siderio. Facilius enim nonnunquā consueuerūt respondentes modeste postulatis annuere credibilibus, quàm rationibus firmissimis. nam machæræ urbinam opponunt: quærētibus autē sunt minus solliciti repugnare. quare quibus non licet per rationē cōmunē & efficacē uniuersalem propositionē colligere, fuerit necesse precario à respōdente accipere: quod in uno similiū fuerit ostensum, in omnibus uelit idem suscipere. ut quod uni sensui accidit, & reliquis: atqui sensui tactus accidit ut immutetur per internam susceptionem: igitur & omnibus. Et hæc de modo differendi in problema multiplex, quod nescitur à respōdente multiplex, siue affirmatiuum, siue negatiuum fuerit, sufficiant: quod euertetur si falsum monstretur, per dissentientem alterius partis naturam.

Si uero non lateat quod multipliciter dicitur: diuisum quotupliciter dicitur & interimendum, & construendum. ut si decens est utile aut honestum, tentandum ambo construere, uel destruere de proposito: ut quòd honestum, & quòd utile: uel quòd neque honestum, neque utile. Si autem non contingat ytraque, alterum ostendendum: adnotando quòd hoc quidem est, illud autem non. Eadem autem ratio, etiam si plura sint, in quæ diuiditur.

A distinctio
ne multipli
cis cogniti.

Altera pars loci à multiplici distinctione adaptatur respondentis: qui defendit positionem quam non dubitat esse multiplicem: quia si ignorauerit, superiore parte diximus differendi traditionem obseruandam. Nunc autē de reliqua cōmitemur. Diuidatur igitur quòd multiplex est à differente, & resoluatur in suas partes. quia multiplicitem respondentis proponere non uerendum est: qui eam non ignoret. quibus uel singulis & interimendum & construendum ueniet problema, uel aliquibus, pro conditione problematis affirmati uel negati. ut sit problema; Philosophis decens est reipublicæ administratio, quòd Plato nullum esse digni imperio uoluit, qui idem non esset philosophus. nā fieri non potest ut cæteris bene imperet, qui in compositis sit moribus, sibi non dominetur. congregiemur in problema per diuisionē decens in honestū & utile: quorum si utrunq; remoueatur à philosopho, destruetur. uel si non possit utrunque remoueri: quoniam honestum est

philosophis rempublicam administrare: alterum monstrandum erit philosophis non conuenire, ut quòd non est utile philosophis: sic satis dissectatum fuerit ad euerstonem illius. nam qua ratione defendetur uerum, eadem & falsum monstrabitur. nam uerum dicitur propter alteram partem ueram: sed etiam falsum propter alteram falsam dicitur. quare quòd non erat, uel simpliciter dicendū, uel falsum monstrabitur: quorum utrunque in duo uitia relabitur prænumerata. Eodem modo si negatiuum fuerit problema, colluctari cōueniet per partium sectionem: quarum si uel omnes conuenire, uel quædam monstrantur, destruitur negatio illius tanquam falsum, uel quod transgreditur positam locutionem, quòd oporteat uti simplici, uel multiplici cum distinctione. Nihil etiam refert problema in duo diuidi possit solum, an plura, ob nomen multiplex: quia eadem obseruabitur redarguendi uirtus. Nam siue decens in duo diuidatur, siue in plura: ut in honestū, utile, & necessarium: ad uim quidem differendi eandem non referet. decens necessarium intelligitur, quoniam dicimus, omne factū decens est ut corruptatur: honestum quidem, ut decens est iusta agere: utile autem, ut decens est ambulatione uti. sit igitur hic locus à partibus multiplicis uel distinctione appellatus: cuius duæ positæ sunt congregiendi formæ.

Insuper quæcunq; nõ secundū æquiocationē dicuntur multipliciter, sed secundum alium modū. ut disciplina vna est plurium: uel ut finis, & eius quod est ad finem. ut medicina huius quod facit sanitatem, & huius quod cibatur. Vel ut amborum finium. quemadmodum contrariorū eadem dicitur disciplina. non est enim magis finis huius finis, q̄ alterū alterius. Vel ut huius secundū se, & huius secundū accidens. ut secundū se quidē, quòd triangulus duobus rectis æquales habeat tres angulos, secundum accidens autem, quòd æquilaterus. quoniam enim accidit triangulo, æquilaterum esse triangulum: per hoc cognoscimus quòd duobus rectis æquos habeat internos. Si ergo nullo modo contingat eandem esse plurium disciplinam, manifestum quoniam non contingit omnino esse: aut si aliquo modo contingat, manifestum quòd contingit. Diuidendum autem quotupliciter fuerit utile, ut si uoluerimus construere, talia præstatuenda sunt quæ

cunq; cōtingūt: & diuidendū in hęc solū quæcūq; vtilia sunt ad cōstruendū. Si vero sit destruēdum, quæcūq; nō cōtingūt: reliqua autē omittenda. Faciendū autē id est in ijs cum latuerit quotupliciter dicātur: & esse quidem hoc huius vel non esse, ex eisdē locis astruendū. vt disciplinā, huius quidem aut vt finis, aut vt eorū quæ sunt ad finē, aut vt eorū quę sunt secundū accidēs. Vel rursus nō esse aliquid secundum aliquem dictorum modorum. Eadem autem ratio & de concupiscentia, & quæcunque alia dicūtur plurium. Est enim concupiscentia huius, vel vt finis, vt sanitatis: vel vt eorum quæ sunt ad finem, vt mendendi: vel vt huius quod est secundum accidens, quem admodum in vino amator dulcedinis non quia vinum, sed quia dulce est, secundū se etenim dulce concupiscit, vinum vero secundum accidens. Si enim austerū sit, non amplius concupiscit: secundum accidens igitur concupiscit. Vtilis autem locus hic in ijs quæ ad aliquid sunt. Pene enim talia ea quæ ad aliquid sunt.

7
Ab amphibolis.

Septimus locus ab amphiboliæ distinctione constructiuus & destructiuus. Multiplicia autem quædam nomina in problematibus quæ homonyma uocantur, quibus & problemata reddūt multiplicia: quædam autem in oratione solum ob partiū dispositionem multiplicia habentur, quæ amphibola appellant. de priore modo multiplicium dictum est loco superiore: nunc de posteriore & amphibolis problematibus, quomodo congregiendum in talia, dicamus. Construuntur quidem & destruuntur per distinctionem amphiboliæ. ut hęc sit positio, Eadem disciplina est plurium: cuius multæ sunt notæ. Nam uel dicitur plurium quod sit ipsius finis, & mediorum ad finem. quo nomine uocamus artem ædificatoriā (quæ græcè est οἰκοδομική) esse plurium, quod sit ipsius domus pro fine: & macerici, intriti, lignorū conferentium ad ipsam. Similiter medicina dicitur plurium, quod sit sanitatis pro fine: & mediorum, ut rationis uictus, sectionis, & pharmaci. Dicitur insuper disciplina plurium aliter, quod sit plurium finium: ut cum dicimus eandem esse scientiam contrariorum, ut medicinam sanitatis & morbi, Musicen harmoniæ & dissonantiæ, Gymnasticen boni habitus corporis & mali. Præterea dicitur una disciplina plurium.

quando huius per se, alterius per accidens: ut medicina primo & per se est sanitatis cognitua, secundum accidens autem bonæ concoctionis, boni somni, & coloris salubris, & pulsus conuenientis: quæ sanis accidunt. & geometria quoq; est pluriū: nam triangulū duobus rectis æquos habere tres angulos per se conspicit: secundum accidens uero cognoscit isopleurum seu æquilaterum. nam duobus rectis æquos habere angulos non per se & primo cōuenit isopleuro, ut isopleurus, sed quatenus triāgulus: ut dicitur in primo posteriorū. quare qui cognoscit omnem triangulum habere tres angulos æquos duobus rectis per se, & quatenus triangulus, & æquilaterus sit triangulus, accidit ut æquilaterum sciat & per aliud habere tres angulos æquales duobus rectis. Hanc affectionem trianguli, & demonstrationē ex trigesima secunda cōclusionē primi elementorum Euclidis desiderā manifestandā. Manifestum est itaq; propositionē illam, Eadem est disciplina plurium, esse multiplicē & amphibolam. quare usus differendi per acceptionem partium cōuenientium, uel ad destructionē, uel compositionē superiorū plurimū est affinis. Qui igitur statuunt medicinam esse plurium: congressor autē mōstrauerit neq; plurium ut mediū & finis, neq; plurium ut finis, neq; pluriū ut alterius secundū se, alterius secundū accidens, destruxit pblema. Nā quod nullo modo inest, neq; omnino cōstituendū. Si autē cōstruatur esse pluriū: eo q̄ uel pluriū, ut mediū & finis: uel plurium, ut finium, uel alterius per se alterius non, quouis illorum ostenso firmabitur problema. nam ad cōstructionē sufficit ut insit pars aliqua: ad destructionē uero omnium partiū desideratur remotio. Quare caute inspiciere oportet, sit ne affirmatiuū quod defenditur, an diuersum: quòd alia sit in utrunq; uocata disceptandi lex: neque enim eadem inferuiunt & constructioni: & destructioni. quare quæ utrius accommodantur, proferenda: aliena suppressenda, quæ enuntiata plus detrimenti congererēt, q̄ gratiæ conciliarent. similiter differēdum in problema amphibolum, quòd ignorarit respondens dici amphibolum: & per eosdem construendi uel destruendi modos. Ut qui dixerit medicinam esse alicuius, quæ tanquam simplex esse creditur positio: colluctator qui monstrauerit neque esse finis, neque mediū, neq; alterius per se, & alterius per accidēs destruet. Construet uero qui alterius horum demonstrabit. Eadem ratio monstratur differendi in problema, quo cōcupiscentia dicitur alicuius uel aliquorum. Omnia enim quæ sic casibus gignendi explicantur, siue numeri prioris siue posterioris facile per hunc locum construuntur uel destruuntur. Quare neque dubi-

tandum plurimum præsidij colligi ex hoc loco in problemata relati-
uorum: quoniam ferè omnia relata sub habitudine casus gignendi re-
feruntur. quibus non erit extremi laboris locum adiuuere, hæc e-
nim ferè omnia casu gignendi elocuta amphibola sunt, et si partes sint
simplices. Dicitur ab Aristotele ὁ φιλόβουλος, quæ dicimus amatorẽ
dulcedinis: qui plurimum est amator. nam dulcedinis per se, & per ac-
cidens subiecti cui dulcedo insit: ut uini uel lactis.

Amplius transferendum est ad euentius nomen: vt
pro exacto in opinione, clarum: & pro curiositate, cupi-
ditas superfluarum rerum. euentiori enim facto quod
dictum est, bene argumentabilis est positio. Est autem &
hic locus ad vtrunque communis: & ad destruendum, &
construendum.

8
A transsum-
ptione.

Octauus locus ex transsumptione ignotioris nominis in notius, cõ-
structiuus & destructiuus. Quoniam melius disputatur in problema
notum, quàm tenebris obuolutum, per opportunum fuerit posita po-
sitione obscuriore, ei lucem asserre. nemo enim unquam iuste disse-
ret in positionem seu problema incognitum. quare omne tale difficile ad
clariorem cultum & nitorem fulgidiorem reuocandum est. ut si sit
positio, Non omnis opinio studiosi est exacta: nomen exacti quod ob-
scuritate plenum transferendum fuerit à congredeite in apertius no-
men, ut in clarum, uel uerum: quod illi & dignitate & uirtute respõ-
deat. quòd si omnis opinio studiosi sit uera & nota: quemadmodum
notum esse potest in singulis studiosorum actionibus, demum conclu-
detur, Omnis opinio studiosi est exacta. Et contra argumentari contin-
get, opinionem studiosi non esse manifestam seu ueram, quòd non om-
nis opinio studiosi sit exacta: nam exactum necessarium est & neces-
sitate inducens. Valeret disceptatio quæ sit de continentia & tem-
perantia si unum in aliud transferatur: de quibus in septimo Ethico-
rum: ut qui diceret temperantem nõ esse studiosum, transferendo ad
continentem, uel cõtra. similiter qui uelit ostendere, quod studiosus nõ sit
πολυπράγμων, transserre oportebit τὸν πολυπράγμονα εἰς
φιλοπράγμονα: & facile positio destruitur. πολυπράγμων est
qui multis inuolutus est negotijs, & id quidem fieri potest fortuna,
& quodam euentu. φιλοπράγμων dispositionem quandam & apti-
tudinem ad res suscipiendas indicat. quod prorsus alienum est à stu-
dio: nam studiosus libens à negotijs se quantum potest subducit.

Et maximus negotiorum est osor. Verum si quis contra argumentari uelit, & traductio alia ueniet facienda, sic: studioso conuenit de celestibus rebus & diuinis quærere, nec non de rerum naturis speculari: hoc autem est πολυπραγματώει: igitur studiosus est φιλοπράγματω. quare & locus cuius manifestus esse potest ad usum, qui uelit per nomen euidentius uel cōstruere uel destruere ab accidente problema: cuius usus non modicus neq; infrequens est oratoribus, qui nonnunquam & timidum transferant ad fortem, & contra: insuper prodigum ad liberalem, & magnanimum ad arrogantem. & consimiliter in alijs habentibus ferme eandem naturam, quibus unum nomen per aliud ostenditur.

Ad ostendendum autem contraria eidem inesse, considerandum in genere. ut si volumus ostendere, quod est circa sensum rectitudo & peccatum: sentire quidem iudicare est, iudicare autem est recte & nō recte: & circa sensum sane erit rectitudo & peccatum. nunc ergo ex genere circa speciem demōstratio fit. nam iudicare, genus est ipsius sentire: qui nanq; sentit iudicat aliquo modo.

Nonus est à genere subiecto, quo speciei cōtraria inesse cōprobatur. 9
Nam si generi cōtraria insint, & speciei nihil repugnat accidere. id tamen non semper est necessariū, nisi cōtraria generi insint uniuersaliter: quia si particulariter, non fuerit necesse: ut si habitui bonū & malum insint, & uirtuti, uel uitio. si tamen omni habitui hæc inessent: & speciebus illius adhærerent. Probamus itaq; sensui inesse cōtraria rectum & peccatum, seu uerū & falsum per genus sensus: quoniã omne iudiciū est rectum uel falsum: at omnis sensus est iudiciū: igitur est uerus uel falsus. sic existimatio uera uel falsa indicatur. Omnis enim opinio est uera uel falsa: atqui omnis existimatio est uera uel falsa. Quod sensus sit species iudicij eo patet: quoniã iudicamus & sensu & intellectu. Cicero id non tacuit in quarto quæstionū Acade. Ordiamur igitur (inquit) à sensibus: quorum ita clara iudicia & certa sunt, ut si optio naturæ nostræ detur, & ab ea deus aliquis requiratur: contenta ne sit suis integris incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid: nō uideam quid amplius requiratur. Neque uero hoc loco expectandum est: dum de remo inflexo, aut de collo columbæ respondeam. non enim is sum qui quicquid uidetur, tale dicam esse, quale uideatur. Epicurus hoc uiderit, & multa alia. meo quidem iudicio ita est maxima in sen-
i. iij.

sibus ueritas, si sani sunt & ualentes: & omnia remouentur quæ ob-
stant, & impediunt. Itaque & lumen mutari sæpe uolumus, & situs
earum rerum, quas intuemur: & interualla aut contrahimus, aut di-
ducimus: multa que facimus, usque eò dum aspectus ipse fidem faciat
sui iudicij: quod idem fit in uocibus, in odore, in sapore: ut nemo sit no-
strum qui non in sensibus suis cuiusque generis iudiciũ requirat acri-
us. & cætera. Aliam tamen Cicero sententiam in primo quæstionũ A-
cademicarum facta diuisione totius philosophiæ in moralem, natura-
lem, & rationalem, commemorat quorundã: qui solam mentẽ rerum iudi-
cẽ censebant: sensus non percipere ullo modo eas res quæ subiectæ sen-
sibus uiderentur. quæ essent aut ita paruæ ut sub sensum cadere non
possent, aut ita mobiles & concitatæ ut nihil unquã unum esset con-
stans: quod omnia laberetur & fluerent continenter. at sensus nimi-
um hebetes & tardos esse arbitrabantur.

Rursus autẽ ex specie, generi. quæcũque enim speciei
insunt, & generi. ut si disciplina praua est & studiosa: &
dispositio praua & studiosa. Nam dispositio disciplinæ ge-
nus. Primus autẽ locus, falsus est ad construendũ. Secũ-
dus autem verus. Non enim necessariũ quæcunq; gene-
ri insunt, & speciei inesse: animal etenim est volatile, &
quadrupes: homo autem non. quæcunq; autẽ speciei in-
sunt, necesse & generi. nam si sit homo studiosus, & ani-
mal est studiosum. ad destruendũ autẽ prior quidẽ verus:
secundus autem falsus. nam quæcunque generi non in-
sunt: neque speciei. quæcunq; uero speciei nõ insunt: non
necessarium est generi non inesse.

10 Decimus qui est præposterus ad superiorẽ à specie subiecta: cui si
contraria insint, & generi necesse est inesse. ut dispositioni bonum
& malum inesse & coherere monstramus per speciem dispositionis,
quæ est disciplina. nã si hæc dicatur bona & mala: & dispositio. Dis-
positiones autem, quædam disciplinæ, quædã artes, quædam uirtutes,
quædam uitia. inest autẽ arti prauum & studiosum: nam artes quædã
bonæ, quædã malæ. quare nomine disciplinæ putamus pro cõmuniore
usum fuisse ut artẽ cõprehederet: quam dispositio, ut habitus omnes,
ambit. superior locus à genere ad speciẽ falsus est ad cõstruendũ p-
blema, quo speciei cõtraria inesse dicatur: ad destruendũ uerò efficacis-

simus: nam destructio generis infert & specierum interitum: non tamen constructio generis infert specierum necem, nisi sumatur genus universaliter: quia tunc & constructius & destructius tuto circumfere-
 tur. secundus autem a specie ad genus constructius est firmissimus. nam species genus infert: non ualebit tamen destructiua ratio a specie ad genus destruendum: nisi sumantur omnes species destructae. nam si cygnus est albus, & animal est album: non tamen contra. Dicuntur enim accidere generi quaecumque; unicuique; specierum accidunt. Non tamen oportet quae generi insunt, & speciebus omnibus: quod generi insint potestate accidentia, & opposita: nam non licet in substantia alicuius generis opposita simul esse actu. sed dicuntur generi inesse opposita: quod speciebus & indiuiduis primo sub genere contentis contraria insint. Nam animal album & nigrum dicitur: quoniam particularia quaedam sint talia. quare destructis primis substantiis & accidentia destruetur. Praeterea generi conuenit differentiis diuidi oppositis: speciei autem non. animal nimirum hominis genus diuiditur in gressibile, uolatile, & aquatile: non autem homo. Aliam seruauit diuisionem differentiarum officiose: quas monstraret apertius generi hominis conuenire: non autem homini, & sic notum sit opposita generi potestate inesse, siue accidentia sint, siue differentiis: non autem speciei. Quod Porphyrius admodum obscure effatus est: quum differentiae specificae definitionem perquireret reddere. Proinde eam (si possimus) paulo splendidiorum reddere, dabimus operam. Genus certe dicitur potestate differentias continere illas in quas diuiditur, & non actu: quoniam omne genus subalternum habet unam differentiam qua definitur, & cum eadem conspirat, quae eadem est cum omnibus illis simul sumptis in quas genus diuiditur. cum igitur genus illam actu habeat qua definitur quae eadem sit omnibus differentiis per quas genus diuiditur: necessarium est ut habeat simul illas potestate & uirtute. nam unam habet actu eadem omnibus illis. sed notiore analogia faciamus apertum. Quemadmodum enim unum assen habens actu, duos habet semisses potestate, & quatuor quadrantes, & tres trientes: non tamen actu. uel si mauis, uti habes unicum scutatatum, & nullam aliam pecuniam, is potestate habet & quadragintaquinque asses: non tamen actu, quod supposuimus nullum habere alium nummum quam scutatatum unum. sic genus habet differentiam unam actu sui uidelicet constitutiua: quae illis omnibus aequiualeat, in quas genus distribuitur. quare illas dicitur habere potestate & uirtute, & unam actu, qua definitur & in se actu continet:

i.iii.

Quid sit genus differē-
 tias continere potestate

quæ sit altera suiipsius pars. His duobus locis annectimus differendi rationem inter speciem & individua. Nam quod dictum est de genere ad speciem, consimiliter de specie ad individua dicitur. similiter quæ dicebatur esse habitudo speciei ad genus, eadem erit & individui ad speciem: nec aliquo modo pugnant.

Quoniam autem necessariū est de quibus genus prædicatur & specierum aliquam prædicari: & quæcunq; habent genus, vel denominatiue à genere dicuntur, & specierū aliquam necessarium est habere, vel denominatiue ab aliqua specierum dici. vt si de aliquo disciplina prædicetur: & grammatica, vel musica, vel aliqua aliarum disciplinarum prædicabitur. & si quis habeat disciplinam, vel denominatiue à disciplina dicatur: & grammaticam habebit, vel musicam, vel aliquam aliarum disciplinarum, vel denominatiue ab aliqua earum dicitur, vt grammaticus vel musicus. Si igitur aliquid dictum à genere quoquo modo, vt animam moueri: considerandum est si secundum aliquam specierum motus contingit animam moueri, vt augeri, vel minui, vel corrumpi, vel generari, aut quæcunque alię motus species sunt. nam si secundum nullam: manifestum quòd non mouetur. Hic autem locus communis ad vtrunque, & ad construendum, & destruendum. nam si secundum aliquam specierum moueatur, manifestum quòd mouetur: & si secundum nullam specierū moueatur, manifestum quòd non mouetur.

II
Locus à genere & à specie.

Vndecimus locus à genere, nec non à specie denominatiue sumptis cōstructiuus & destructiuus problematis. Quoniā necessarium est de quibus genus prædicatur nomine & ratione, & specie de eisdem aliquam prædicari. sic & quæcunq; genus dicuntur habere, & speciem aliquā habebunt. similiter & de quibuscunq; genus dicitur prædicari denominatiue, de illis & specie aliquā dici denominatiue fuerit necesse. Quare per genus prædicari speciem de aliquo uel uniuoce, uel denominatiue cōstruemus. per genus insuper destruemus: quòd si genus de aliquo non prædicetur uel uniuoce, uel denominatiue, neque species. Per speciem uerò ostendemus genus utrouis modo. In primis

construemus genus de aliquo prædicari: quòd species de illo prædicatur. destruemus etiam genus de aliquo dici, quòd species nulla de eo dicitur. Volumus tamen iri notatù quòd id intelligitur, de quibus genus prædicatur, & species: & contrà, si species non prædicatur de aliquo, neq; genus: nisi de speciebus primæ diuisionis genus prædicatur. nam cù genus continenter & proxime de speciebus prædicatur: non oportet speciẽ de illo prædicari de quo genus, quoniã nulla habetur media species inter genus & id de quo prædicatur. At species de seipsa non prædicatur. Vt animal de animali uolabili, animali gressibili, & aquatili, speciebus prædicatur, de quibus tamen nulla species um illius generis prædicari potest, quòd nullæ interueniunt mediæ species inter genus & illas, sed sunt continuæ generi. Cæterum quam proportionem genus & species habent ad ea, de quibus dicuntur, seu prædicantur nomine & ratione, eandẽ habent genus & species ad ea, de quibus denominatiuè dicuntur, & quibus accidere proferuntur. quare sicut oportet, si genus est disciplina, de quo ipsa prædicatur nomine & ratione, & speciem de eodem aliquã ut grammaticam, uel musicam, uel logicen, uel aliquam aliarum uniuoce prædicari: sic si cui insit disciplina, & aliqua species eiusdem eidem inerat: uel à disciplina, si qualis denominetur quispiã, & à grammatica, uel musica, uel aliqua specierum denominatur, ut grammaticus, uel musicus, uel alio nomine. Neq; puto quæstione indignum utrum sit dicendum in primo exemplo, si de aliquo disciplina prædicatur: an legendum, si de aliqua disciplina prædicatur. quantum ad me attinet, malle legi, si de aliqua, ut intelligatur si de aliqua cognitione prædicatur nomine & ratione genus disciplina, & de eadem aliqua species. Nam disciplina nõ potest prædicari de alio nomine & ratione, quàm de particulari disciplina, cui & species conueniant. Tu tamen sequere pro arbitrio, dum idem intelligas quod præmonuimus. In laqueos nos decidisse autumabit quispiam, & tanq̃ præteritorũ oblitos damnabit: qui nunc dicamus genus dici denominatiuè simul & speciem ut de subiecto, superius tamen primo loco huius à genere nullam prædicationem denominatiuã, sed à solo accidente testabamur. An idem genus esse potest & accidens, similiter species & accidens? quod ex eo manifestum fiet: quoniam genera, & species nouem prædicamentorũ accidentis sunt & accidentia, si substantijs conferantur: de quibus denominatiue prædicantur, quatenus accidentia: neq; ad eas comparata nomẽ generis defendere possunt. nam quando dicitur aliquid genus esse, ad speciem mutua cõnectione id re-

Expositio
loci.

Præmissio

Inuolucris
dissolutio.

ducitur. Monstrabimus autem ex hoc loco animam non moueri, neque esse motum (quod placuit Zenocrati) per species motus, cuius nulla anima potest conuenire: nam neque generatio, neque corruptio, neque augmentatio, neque diminutio, neque alteratio, neque secundum locum mutatio illi conuenit: quare pessimum ibi Zenocratis problema. Neque obstrepat quis pro mutatione utitur motus nomine, ut in prædicamentis dicitur: nihil enim id imminuit fidei gignendæ. neque dubitamus motum non esse genus ad hæc, quod res diuersorum prædicamentorum significat: nam tot sunt species motus quot entis. Occurret in super quispiam, quod dicimus per destructionem specierum, destrui genus. Nam Porphyrius habet, Destructis speciebus et differentiis, non est necesse genus destrui: igitur non est necessarium, si nulla species alicui accidat, neque genus accidere. An Porphyrius noluerit simul omnibus destructis, sed omnibus per membra diuisis: quarum quælibet seorsim corrupta non infert generis corruptionem? Nam genus relatiuum est speciei. Simul habet prædicari de specie differentiibus: et in differentias diuidi. nam dicere quod maneat substantia animata sensibilis omnibus simul destructis animalibus et speciebus, non uideo quæ sit illa. neque sufficit ut dicatur animal intellectu consistere, non autem re: nam idem dicitur de speciebus, quod manebunt adhuc, re etiam destructa, intelligibiles. Ad hæc de tali intellectu animalium, desiderarem scire, quæ animalia illo intelligantur: an omnia, an nulla: et quicquid dicatur, poterit uel leuiter edoctus multa deducere incommoda: ut esse solum intellectus figmentum, uel manere genera et species nullis indiuiduis, et talia. Velimus semper tantam uim speciei conferendam esse ad indiuidua, quantum sit imperium generis ad species: et constructiuam et destructiuam. quare si genus alicui subiecto insit, et aliqua species: quod si species, et aliquod indiuiduum inest. nihil enim prohibet accidētis indiuidua subiecto inesse. ut si disciplina Socrati insit, et aliqua species, ut grammatica: quod si grammatica insit, et quædam grammatica, ut Aristarchi, uel Palæmonis, quod Aristoteles in his quæ uocantur ἡγεμονικῆς tradidit copiose, et uoces rerum omnium suis naturis uerstiuit: ceteri uulgato more ante prædicamenta, nos prænotiones ad prædicamenta appellamus, ubi accidentia esse in subiecto et denominatiue posse prædicari satis docet, rationem tamē accidentium impossibile est conuenire: quod oporteret subiectum et substantiam esse accidens. nam id omne quod alicuius rationem suscipit, illud est cuius rationem accipit. quare si substantia accidentis rationem agnosceret, esset accidens. sed dicitur:

Obiectioni
respondetur

Speciei ad
indiuidua ra
tio non mi
nor q̄ gene
ris ad spēs.

Idem
est

Cui consentit nomē, & nominis ratio: igitur si album alicui insit subiecto, & ratio: nam recurrunt nomen, & ratio: igitur cui nomen, & definitio inest. Concedimus argumento cui nomen albi inest: & rationē albi eidem subiecto inesse. nam utrunque illi accidit: sed subiecti non dicitur ratio: quia id impossibile est. nam ratio omnis dicitur de eo cuius est ratio: sed huic hæc accidit, quare non est ratio illius.

Cui accidēs
inest & eius
ratio.

Cum autem facultas non adfit argumentationis ad positionem: intendendum ex definitionibus, vel existentibus rei propositæ, vel apparentibus. & si non ab vna, etiam à pluribus. Facile enim definiētib; argumentari erit. nam ad definitiones facilis argumentatio.

Duodecimus locus in problema definiti accidentis non simplicem 12
nominis designationem sortietur. nam uocabimus locum ab ijs quibus in definitionem congregari licet. Cui nimirum nō suppetunt in problema positum argumenta, per opportunum fuerit confugere ad definitionem accidentis in problemate consistentis, in quod rationes non inueniuntur. quoniam in problemata à definitione facillimum est asfatim differere: ut septimo libro manifestum fiet. Neque putare oportebit hunc locum eundem esse illi, quem tertium fecimus, à definitione. Nam problema illud non est definitiuum, sed defenditur ab accidente: quod per definitionem alterius extremi, uel utriusque, infirmabatur, uel probabatur. Hic uero problema primo fiebat ab accidente: uerum quia difficile est argumētari in tale, traducitur problema ab accidente in problema à definitione. nā per definitionem propositi accidentis id fiet facile, siue ueram, siue apparētem: uel etiam plures secundum opinionem, quia una uni conditur definitio. Mutatio tamen illa nominis in definitionem, non mediocrem ad differendum occasionem afferet. quod ex eo liquidum esse potest, quod quanto quid difficilius construitur, tanto facilius destruitur: at definitiuum problema omnium est constructio difficillimum: quare definitio facillimæ euerfioni est obnoxia. quibus tamē rationibus argumentatio facilis congeretur in definitiuum tale problema, nomine non possumus simplici exprimere: quod omnibus illis conueniat, quibus in definitionem opportunum est contendere, de quibus in sexto libro copiosius dicemus: ut si dubitet respondens, an sint infinita omnia equalia, ab eo desiderabimus, quid definiat equalia: quod si dixerit equalia esse quorum medium equaliter distat ab extremis, ex ea facile argumentabimur,

infinita nō esse æqualia. nam si infinita essent æqualia, & illorum media æqualiter distaret ab extremis: quod manifestō falsum. si definiret æqualia, quæ non excedunt, neque deficiunt: cōstrueremus esse æqualia. Similiter in cæteris desiderabitur definitio à respondētē qua tradita facilius parabitur argumentū. neq; una semper oportebit abire cōtentū: sed si illa nō iuuet, adhuc quærendū, quidnā sit id quod dicitur.

Considerandum autem in proposito, quo existente propositum est: vel quid est ex necessitate, si propositum est. Construere quidem volenti: quo existente, propositum erit. Nam si illud ostendatur esse, & propositum ostensum erit. Destruere autem uolenti: quid est, si propositum est. nam si ostenderimus consequens propositum non esse, destruentes erimus propositum.

I 3
Ab antecedentibus & consequentibus.

Decimus tertius locus ab antecedentibus & consequentibus problematicis constructiuus & destructiuus. si enim uoluerimus problema construere accidentis, ex antecedentibus illius facile poterimus consequi. Destructionem uero, ex consequentibus desumemus. quare construere uolentibus, inspectio ad antecedentia est necessaria, ex quorum constitutione necessarium est & propositum constitui. at destruentibus problema propositum, consequentiū destructio est utilis. nam si consequens & quod sequitur non sit, neq; antecedens: & si antecedens sit, & consequens. si igitur aliquid sit antecedens & consequens problema propositum, considerandum ad cōstructionem & destructionem illius. ut sit problema propositum, utrum uoluptas est bonū, an non? construendo sumemus boni antecedens: quod uoluptati inesse monstramus, sic: si uoluptas est secundum naturam, uoluptas est bonum. nam posito antecedente: & quod sequitur ponendum est. si uero destruere illud idem placeat, à consequij destructione faciendum est, sic: si uoluptas bonos non facit, non est bona. consequitur enim bonū, & causam effectus. Antecedens id dicimus, quo posito statim necesse est propositum poni. ut quam peperisse constat: eam necesse est cum uiro consuetudinem habuisse. Consequens autē, quod necessarium est esse, si id cui consequens est præcessisse constiterit. At piissimum hic uidebatur recensere quorundam opinionem, Ciceroni, Quintiliano, Boetio, repugnantium super antecedentiū & consequentium traditione, defendentibus ab antecedentibus locum dici & à consequentibus, nec non esse aliquem: quod idem & Aristoteles nūc manifeste defendit, ab antecedentibus uel con-

An sit locus ab antecedentibus.

sequentibus locū tradens. sed illorū rationibus omissis, hoc unum dicemus, uideri nobis antecēdētia ac consequētia in accidentiū numero reseruari. quod etiā ex Aristotele innotescere potest: qui omnia problemata huius libri faciat ab accidente, in quæ per antecēdens & consequēs constructiuā esse & destructiuā argumentationē mōstrat: quippe qui uelit, cui accidat antecēdens, & consequēs: & cui nō accidit consequens, neq; antecēdens. in problemata autē alia nullū ab antecēdente uel consequēte locū cōmemorauit. Huic sententiæ subscribit & Boetius, qui totū hunc locū in conditione positū defendit. Posita enim conditione, si sit antecēdens, esse necesse est quod cōsequitur, hoc modo: si peperit mulier, cum uiro cōcubuit: antecēdens est, peperisse: cū uiro cōcubuisse, consequēs. nā neq; illud quæritur quid prius tēpore, quid posterius: & sæpe ita uariatur, ut id quod posterius est tēpore, antecēdens esse uideatur in propositione. ut peperisse posterius est, quā cōcubuisse: tamē si peperit, modis omnibus cū uiro concubuit: & hoc præcedente & prius posito, necesse est illud intelligatur. aliquoties uerò simul sunt: ut si ortus est sol, dies est. aliquoties quod præcedit, prius est: posterius uerò, quod cōsequitur. ut si arrogans est: odiosus est. ex arrogantia enim quisq; fit odiosus. hæc Boetius. Quare habeamus q̄ ab antecēdentibus & consequētibus dicatur locus: cuius uirtus in conditione sit posita. nā ex positione antecēdētis ponimus consequēs, & ex destructione consequētis destruimus antecēdēs per notā conditionālē, sic: si Socrati accidat amare literas, & præceptorē: atqui Socrati accidit amare literas: igitur & præceptorē. Destruimus quidem Neronē amare literas, ex consequēti: si Neroni accidit amare literas, & præceptorē: atqui Neroni non cōuenit præceptorē amare: igitur neq; literas. occidit enim senecā præceptorē.

Amplius ad tēpus inspiciendū, si alicubi dissonet. vt si quod nutritur quis dixerit ex necessitate augeri. nutritur etenim semper animalia, nō autē semper augētur. Similiter autē & si scire dixerit quis reminisci. hoc enim præteriti tēporis est, illud uero & præsentis & futuri. Scire enim dicimur præsentia & futura, vt q̄ erit solis defectus: reminisci uero non contingit aliud, quā præteritum.

Locus hic à tempore destructiuus: si positū sit aliquid ex necessitate alterū esse uel sequi, quod secundū tempus alteri non conuenit uel non conuenire potest, id tanquā falsum destruendū est. ut qui diceret omne quod nutritur, augeri: destruemus hac ratione à temporis distinctione

accepta, q̄ animalia, dū uiuūt, semper nutriuntur: non autem, dū uiuūt, semper augentur, ut ex libris de generatione apertum est, quare euer- titur positū, omni cui accidit nutritio, eidem accidit augmentatio. Si- mili ratione qui defendit nostrum scire esse reminisci, cuius assertio- nem Platoni tribuunt, destruenus: q̄ sciētia & reminiscētia tempore discrepent, igitur eadem non erūt. Nam reminiscētia est præterito- rū (ut docetur de memoria & reminiscētia libello) solum: sciētia ue- rò non tantum est præteritorum, sed præsentium, & futurorum. quōd præsentia sciantur nulli obscurum est, naturam demonstrationum at- tingēti. Sed futura sciri, astrologia scientia docet: quæ solis defectū con- tēplatur demōstratione futuru. Similiter lunæ eclipsim principijs suis futurā demonstrat: ob interpositionem terræ mediā futuram ex dia- metro solis & lunæ. præteritorū uerò esse sciētia notum est, q̄ scien- tia nō est corruptibilis. quare & præterita adhuc sciemus. Sciētia autē est cōclusionis habitus per principia manifestus. Reminiscētia, simula- chrum quoddam iam dudum factum, cuius pars incorrupta perdu- rat, pars autem reliqua euanuit. qui nāq; reminiscitur, quodammodo etiam meminisse uidetur, cum aliquam prioris memoriæ partem inte- gram reseruat: à qua excitus postea animus abolita & deperdita in- uestigat simulachra.

Amplius sophericus modus est, ducere ad tale, ad quod abundabimus argumentis. hoc autem erit quandoq; ne- cessarium, quandoque uerò apparēs necessarium, quan- doque uero, neq; apparens, neq; necessarium. Necessariū quidem, si quando negauerit respondens aliquid utiliam ad positionem: ad illud rationes faciat. contingit autē id talium esse, ad quod abundabimus argumentis. Similiter autē & quando inductionē ad aliquid propter positum faciens, interimere conatur. hoc nanq; interēpro, & pro- positū interimitur. Apparens autem necessariū, quando apparet quidē utile & accōmodum positioni, non est au- tem ad quod fiunt disputationes, siue eo negāte, qui di- sputationē sustinet, siue ab inductione probabili propter positionem ad idem factā, interimere conetur id ipsum. Reliquū uerò, quando neq; necessarium est, neq; appa-rens ad quod fiunt disputationes, temere autem redar.

guere accidit respōdentē. Oportet autē deuitare postre-
 mum dictorum modū. Omnino enim semotus & alienus
 videtur esse à dialecticis. quare oportet & respōdentē nō
 proteruire, sed ponere quæ non vtilia sunt ad positionē,
 adnotando quæcunque non videntur, ponit tamen. nam
 magis dubitare vt plurimū accidit interrogantes, quan-
 do omnia posita ipsis talia fuerint, si non concludunt.

Locus per transsumptionē propositi problematis acquiritur, ad a-
 liud quippiam, in quo maior argumentorū copia uberrime affluet. quē
 non locum, sed modū sophisticum congrue appellamus: quod sophisticus sit
 frequens & peculiaris. uolunt enim sophistæ, qui loco & ratione de-
 stituuntur, respondentem ad materiam qua abundant deducere, & lo-
 cum è quo hauriāt crebras rationes summopere eligunt, qui etiā con-
 sueuerint disputationes de re proposita suppressere. Verum re pro-
 pria neglecta disputationes transferunt ad ea quibus plenissime sca-
 teant. quem Protagoras sophisticus gnauissimus omni officio diligentissi-
 me obseruandum curauit. Nam cum Socrati uirtutē esse scientiā pro-
 baturus esset, & uirtutem doctrinæ subijci, confugit aliud, & fabulam
 quandam deorum longo uerborum ambitu enarrauit. Insuper ratio-
 nes quasdam de punitione, de artificibus, profusiora, quàm disceptan-
 di locus pateretur. simul suas laudes admiscens, suam eruditionem ia-
 ctitans, ut homo sui maximus demirator. De mercede sibi exhibenda
 annotauit, cuius fermè gratia stentorea quadam uoce personauerant
 omnia. Atque in singulis uagari clarissime deprehenditur, cuius rei
 haud ignarus Socrates, uir admodum modestus, & qui popularē hunc
 fastum ferre non posset, queritur tantam uerborum prodigalitatē,
 deposcit benigne à Protagora concisioribus utatur orationibus, &
 argumētis, cui Protagoras dicit, O Socrates, multis cū hominibus olim
 dicendo certauit: ac si ita egißem ut ipse mones, si inquā ad normā mi-
 bi ab auditore impositam uerba fecißem, haud sanè quouis alio homi-
 ne insignior essem, neq; nomine Protagoræ omnis græcia resonaret.
 Reliqua perlege si prolixiora amaueris. Verum hunc locū mihi uiden-
 tur possedisse multo tempore, in perniciem bonarum artium nostræ
 tempestatis sophisticæ: quorum numerus tātus adoleuerat, ut tanquam
 Gothi, & Vandali rem omnem Romanā spoliarint, philosophiam ex-
 pugnarint omnem, & uix capitolium multis iniurijs profligatum re-
 liquum fecerint. Non tamen defuerunt fortes Camilli, Curij, Scipio-

15
 A transsum-
 ptione.

nes, qui sedulam reipublicæ labanti operam impenderint: quibus omnes gratiã referre debemus: non autẽ istis sophistis, quibus quãdo certamen de re aliqua foret, statim omnẽ discẽptandi rationem ad oppositiones diuertebant: nunc contradictorias, nunc contrarias, nũc subcontrarias, nunc subalternas, sic enim isti & diuidebant & loquebantur. Neq; in his dicendi finem faciebant, sed misere uexabant respondentis animum: quem modo huc, modo illuc rapiebant. ad manũ quoq; habebant ingeniosi isti homines conuersionum præcepta nullis unquã sæculis profecto excogitata: quibus si opus fuerat, rigide tenellam ad huc mentem uinciebant. Neq; æquipollentium aberant propositionum cõgressus multipliciores infinitis colorum formis, modo in simplicibus & absolutis, modo in determinatis & modalibus. Interdũ in subiectis finitis & prædicatis, interdum omnibus confusis & permixtis. Omitto suppositiones illas, quibus neque illa prima elementa mixtis sufficiebant omnia: Casus prodigiosos, ampliaciones supra hominum captum. Quid dicam de exponibilium labyrintho, quæ multi magnis codicibus mädarunt? quid de relatiuorũ cõiugatione? quæ utinã omnia nũquam in lucem uenissent: neq; hominũ tractassent manus. studiosi bonarũ artium ansam perditu laboris nõ accepissent. Porro nõ est mirandum, si ab omnibus cõtemptui habeatur nunc philosophia, & raros habeat asseclas. Plurimi etenim supersunt adhuc, qui cum uotis omnibus philosophiam desiderassent, & huic se in totum deuouissent: magnam temporis, pecuniæ, & eruditionis, iacturam se fecisse intellexerunt, & oleum (quod aiunt) & operam perdidisse, dum isti exercituum philosophici rectores constitueretur, dum militibus generosis imparent, seu, quod uero propinquius est, studia tyrãide opprimerent. Prudẽtiores itaq; suo magno incõmodo facti, suos auocant & quoscumque à philosophiã, quã putãt nondum suo candori restitutam, neq; alios ab istis, quos nouerãt sophistas, exercitui & imperio philosophico præesse. Faxit deus ne tenebricosi isti homines, & Gaditani monstrorũ artifices, purioris disciplinæ hostes ignauissimi, ordinis philosophici sacerrimi arcem teneant: ne iterum absurdiora multo, isti ad phantasmata excogitanda incredibilis naturæ, pariant. Hæc dixi maiore diuerticulo, quã conueniret, ut caueret studiosi à periculis, in quæ lapsus sum: & à quibus non nisi magno sudore me liberaui. quod mihi probe haudquaquam consultum fuisset. Transsumptio seu egressio à proposito problemate multiplex est, neque omnis conueniet dialectico. Interdum nanq; est necessaria, interdũ apparens necessaria, interdum

neq; neceſſaria, neq; apparens. Neceſſariæ digreſſionis argumentum interroganti præbet reſpondentis repugnantia, qui diffitetur propoſitionem utilem, quã percepit ad rei probandæ concluſionẽ & ad problema propoſitũ plurimum conferentẽ: quam niſi argumentis præmu- niuerit colluctator negatam, non habebit ad propoſitũ problema, quo differat: quod ea ſit ſola uel maxime cuius uirtute probetur problema. Cogitur igitur diſcedere tantisper ab inſtituto, donec propoſitionẽ ſibi negatam utilem comprobauerit, ad quã ſtabiliendam abundare pluri- bus argumentis, quam ad problema ſtatutum in principio contingit. Nam notior eſſe debet propoſitio illa, per quam differens enitebatur problema oſtendere, ipſo problemate: quare & illius conſtructio pote- rit eſſe facilior, & ad illius deſenſionem plures inſtruere argumentorũ copias non erit uſqueadeo laborioſum. ut ſit problema propoſitum conſtruendum, Omnis uoluptas eſt bonum: accipiãtque interrogans ad illius oſtenſionem hunc ſyllogiſmum, Omne ſecundum naturam eſt bo- num, atqui uoluptas eſt naturalis, igitur bona. Reſpondens igitur ne- gando ſimpliciter propoſitionem, uel inſtantiam afferendo in propo- ſitionem, quæ eſt, omne ſecundum naturam eſt bonum: cogit interro- gantem ut ad propoſitionem corroborandam, quæ deſtruitur, ratio- nes nouo incurſu requirat, ex cuius euerſione tota pereat diſputa- tio ad problema inſtitutum. proinde neceſſaria eſt à propoſito pro- blemate digreſſio, ut negatam conſtruat: ad cuius conſtructionem in- ſtituẽdam copioſius differere poterit, quàm in problema poterat. nam monſtrabit, quod unicuique proprium eſt, id eſt bonum, uoluptas autem ſecundum naturam unnicuiq; eſt propria: igitur bona. ſimiliter quod unicuique eſt præter naturam, id eſt malum, & corruptiuum: igitur à contrarijs quod unicuique ſecundum naturam, bonum & conſerua- tiuum. Iſtæ rationes in rem primo inſtitutam non deſtectuntur, ſed in propoſitionem quæ negatur à reſpondente. talis tamen egreſſus dicitur neceſſarius, quod non admiſſa & conceſſa propoſitione, non ſuperſit ulla in problema propoſitum ad differendum facultas. ſimi- liter ſi reſpondens afferat in propoſitionem utilem rei probandæ in- ſtantiam per inductionem, nõ autem ſimpliciter & uniuerſaliter dif- fiteatur. ut qui multa oſtenderet naturalia eſſe mala: ut frigere, æ- grotare, ſitire, famere, quibus euertitur uniuerſalis aſſumpta propo- ſitio, Omne ſecundum naturam eſt bonum. ſic enim reſpondens ad a- liquid propoſitæ propoſitionis interrogatæ inductionẽ faciens, propo- ſitionẽ interimere conatur: qua deſtructa deſtruitur in rem primo in-

stitutam disceptatio. quare instauranda fuit argumentorum acies ad ea quæ inductione diripiuntur à respondente. Eadem est ratio in negatiuis problematibus monstrandis. si respondens negauerit propositiones: quibus conuenit concludere propositum, uel simpliciter, uel per instantiã, relicto problemate congregiendum erit, pro negatarũ propositionũ confirmatione, qui uelit institutum persequi. nã nisi probentur propositiones negatæ, ridiculus erit, & ineptus interrogans: quare ad illas probandas cõfugere est necessariũ. Secundus elabendi modus est appars tantum necessarius, qui fit quando de aliquo eorũ quæ in problemate nominantur interrogans differit: & relicta re propria se transfert ad quædam solum imagine conferentia ad constructionem uel destructionem problematis instituti. Videtur nimirum talis egressio speciem quandam necessitatis induere ad problema: quòd de aliquo coniucto problemati fiat. ut sit problema quod uenit probandum. Mundus est sphericus: qui differet esse plures mūdōs, uel unicum, uel sempiternum, ingenitum, incorruptibilem, insensibilem, hæc uidebuntur consentanea positioni probandæ, quæ tamen nullo modo conferunt. Quare tales propositiones, si negauerit respondens simpliciter, uel per inductionẽ instantiã afferat, quòd multa particularia sint falsa: continget aliquãdo ob egressum à proposito problemate maiore argumentorum materiã consequi interrogantẽ. Hic secundus modus raro, uel nunquam cõueniet dialecticis, primus accommodatior. Tertius modus solum sophistis relinquendus, qui neque necessarius est neque appars ad rem propositam illustrandam. ut sit problema aliquod statutum, qui ab eo discedit de extraneis differens citra necessitatem, sophisticẽ contendit. Huius exempla non sunt mōstranda, quod crebriora sint, quàm oporteat. Cum igitur sint uariæ elabendi formæ, respondens non grauitur quæcumq; proponuntur ferre debet: sed læta frontẽ, erecto animo, omnia diligẽter perpendet: quæ si plurimũ splendida cognouerit, siue propinqua siue aliena à re probanda, in principia constructiua siue destructiua alterius ponere non refragetur & concedere. Diligenter tamen adnotabit, quæcumque non conferunt ad disputationem propriam, q̄ sint aliena, neque concludant, quæ etiam libere & gratis admisit. nam si hæc obseruarit respondens, multo magis perplexos reddet interrogantes: quorum & ignorantiam, & argumentorum inopiam, omnibus prodet manifestam. qui omnibus concessis à respondente, quæ postularunt: nihil colligant, rem intentam non consequantur, digni multo risu, tanquam uani homines conspi-

Appars,

Neq; necessarius, neq; appars.

cientur. Hactenus de iusto respondentis officio: de quo copiosius in octauo dicitur.

Amplius, omnis qui dixit vnūquoduis, quodammodo multa dixit, eo quòd plura vnicuiq; ex necessitate consequentia sunt. vt qui dicit hominem esse, & quòd animal est dixit, & quòd animatum, & quòd bipes, & quòd mentis & scientiæ susceptiuum: quare quouis vno consequētium interempto, destruitur & quod in principio. cauere tamē oportet in talibus, ne ad difficilius transumptio fiat. Nam quandoque facile est consequens interimere, quandoque autem ipsum propositum.

Locus destructiuus à consequiorū inuentione problematis accidentarij, qui à superiore differt quo dicebatur à consequio, quòd hic solum est destructiuus à consequio, superior autem erat & cōstructiuus & destructiuus. nam per antecedens construebatur problema, & per consequens destruebatur. nunc uerò etiā datur descriptio consequentium, & traditur inueniendi consequens figura. ut qui dicit unumquodque, quodam modo multa dicit, quod manifeste licet uidere in substantialibus: qui enim speciem aliquam dicit, ut hominem, & potentia definitionem hominis, animal rationale mortale, & genus illius, animal, & superiora omnia genera, ut animatum, corpus, substantiam, differentias, & propria hominis, ut bipedem, & mentis & disciplinæ susceptiuū pronuntiat. quare horū posteriorū aliquo destructo, & species proposita destruitur. Eodē in accidentibus modo destruetur problema, si quid sequentiū destruat alicui non inesse: neq; accidens eidē inerat. Superiora omnia inferuntur ab inferioribus, conspirantia autem coniunctam habent circuli seriem. speciem quippe genera omnia, differentia, propria, definitiones, accidentia inseparabilia, sequuntur: & effectus causam comitatur, & partes totū non deserunt. Conuertuntur & in se mutuo resiliunt species, definitio, differentia, propriū, nomen rei. similiter uicario ordine casus & coniugata statuuntur. Neque his omnibus putauerimus locum adferendum: sed ut retro diximus problematibus accidentis, quòd de his omnis quæstio fiat in hoc libro. Simul accidentibus sequi uel antecedere proprie conuenit, quod etiam manifestum esse potest, quòd Rhetores antecidentia & consequentia in solis accidentiū generibus cōtemplantur: quibus facta, dicta, consilia, discutunt. nam signis uel precedentibus, uel consequentibus

16

A cōsequiorum inuentione.

ueritatis penetrabilia subintrare possunt. quorum diuisio traditur primo rhetorices post traditā enthymematum definitionem ab Aristotele: cum inquit, λέγεται γὰρ ἐνθυμήματα ἐξ ἀπότων καὶ σημάτων, ubi interpres, ἀνάξιον probabile, Cicero autem uerisimile in partitionibus interpretatur. τῶν δ' ἐ σημάτων, τὸ μὴ ἀναγκαῖον, τεκμήριον: τὸ δ' ἐ μὴ ἀναγκαῖον, ἀνώνυμόν ἐστι κατὰ τὴν διαφοράν. ἀναγκαῖα μὲν οὖν λέγω, ἐξ ὧν γίνεται συλλογισμὸς: διὸ καὶ τεκμήριον τὸ τοιοῦτον τῶν σημάτων ἐστίν. ὅταν γὰρ μὴ ἐνδέχεται οἷον ἔσται λύσαι τὸ λεχθῆναι, ἥτε φέρεται οἷονται τεκμήριον ὡς δεδεδειγμένον καὶ πεπερασμένον, τὸ γὰρ τέκμαρ καὶ πέρασ ταυτοῦ ἐστι κατὰ τὴν ἀρχαίαν γλῶτταν. Ex quibus patet ad locum conferre signa necessaria, quæ Cicero proprias rei notas, interpres argumenta dicit: quæ Quintilianus uix pertinere ad artis præcepta putauit, quod insolubilia essent. uerū hac ratione non debuit ab arte seiuungere: ut cuius notum esse potest intelligenti diuisionē probationum ab Aristotele traditam. Insuper non uenit prætereūdum, cum hanc rem sumus aggressi, quod quæ Aristoteles innominata signa reliquerat, ut quæ non necessaria forent, Quintilianus nomen illis uisus est uoluisse imponere: qui dicit, Diuiduntur autem in has primas duas species, quod eorum alia sunt necessaria, quæ græci uocant τεκμήρια: alia non necessaria, quæ σημεῖα: manifestū est uocare signa quæ Aristoteles innominata adnumerat. Verum hæc diuisio non fuit antiquorum, neque bona est, quæ pro parte totū affert. nam diuidentur signa in signa & argumenta, quæ diuisione quod diuiditur sui ipsius esset pars, uel nomine signorum uisus est multipliciter. sed ut aliquid paucis perstringamus, quantum ad locum in problema accidentis constituti à consequentium inuentione, consequentia requirimus ex accidentium numero esse. quodcumque enim accidens multa habet sibi consequentia: ut tempus, locum, quantitatem, qualitatem, & modum. nam in actione, & motu deprehenduntur antecedentia & consequentia: ut qui dixerit hominem uolare, sequitur habere alas. ex cuius consequentium destructione, & antecedens destruitur. & qui dixerit moueri per uacuum lapidē, sequitur grauiora & leuiora equaliter moueri: consequens impossibile, igitur & antecedens. si quis tamē uelit pertinaciter defendere oppositū, nihil moramur. habebit enim fateri in omni argumentatione à loco quouis antecedens & consequens, si tam fuisse nomen extendere uelit: quoniam ex omni loco ratio trahitur, quæ aliud concluditur. quare à specie, genere, definitione, differentia, proprio, & simpliciter ab omnibus locis erit à consequentione ratio: quod non uelinus

concedere. similiter antecedens & consequens relatiua alicui conferenda. quòd si problemati uel prædicato comparètur, & problemati sola accidentis examinètur hoc libro, & accidètia esse quæ antecedunt & consequuntur credimus. Cauendum est ne in consequentium habitudine consequentia inferamus quæ difficiliorè habeant impugnationè, seu in quibus minus argumentis abundabimus, quàm ad problema propositu. sæpe enim accidit ut proposito problemate facile impugnabili nõ adhibita cura differens inferat quod difficilior est ad destruendũ: nec hinc se extricare poterit. ut qui habeat problema hoc demonstrare, iniustitia non est utilis, ex illo habendi cupiditatem inferet non esse utilem: quod posterius dicitur, difficilioris est redargutionis quàm prius. uel qui uelit ostendere diametrum esse costæ incommensurabilem, alioqui sequeretur maiora minoribus esse æqua. quare modus erit diuertendi adiungendus haud quaquam impiger.

Quibuscunq; autem necesse est alterũ solũ inesse uel non inesse, ut homini ægritudinẽ, uel sanitatem, si ad alterum facile poterimus disputare quod inest, uel non inest, & ad reliquum facile poterimus. Hoc autẽ conuertitur ad vtrunq;. ostendentes etenim quòd inest alterũ, reliquũ demõstrantes erimus quòd nõ inest. Si verò quoniã nõ inest ostẽdamus, reliquũ quoniã inest ostendentes erimus. manifestũ igitur quòd ad vtrũq; utilis hic locus.

Locus disponitur à cõtrarijs immediatis constructiuus, & destructiuus. Dicuntur enim cõtraria quædã mediata, quæ mediũ recipiunt, siue nominatiũ, siue innominatũ. Quædã sunt cõtraria immediata quæ nullum mediũ agnoscunt, quorũ est ea natura, ut susceptibili alterum inesse sit necessariũ. quare facile est ex unius cõiunctione alterius dis-iunctionem & contra intelligere. nam qui ostendit alterũ horum inesse subiecto, reliquũ remoueri ab eodem monstrat: quòd contraria sint aded inuidæ conditionis, ut idem domiciliũ nunq; inhabitent: & cõtrã, qui alterum à subiecto distrabi indicat, & eidem reliquũ coniungi confirmat. nã unius expulsio alterius est acceptio. ut homo est subiectũ sanitatis & ægritudinis, quæ cõtraria sunt immediata, ut in Alcibiade defendit Socrates. Neesse (inquit) omnẽ hominem uel ægotare, uel sanum esse. neq; me mouet quòd dicitur à Galeno in arte medicinali, Medicina est scientia salubrium & insalubrium & neutrorũ, quòd hic de exterioribus & sensibilibus intelligat, Aristoteles uerò omnẽ hominem

17
A cõtrarijs
immediatis

sanum uel ægrum uult, quòd habeat quatuor qualitatum temperamētum uel uitiatum (siue sensibile existat siue non) uel bonum: quare qui tribuit homini sanitatem, distrahit morbum: & quem morbus pessime torquet, eum sanitas non iuuat. eadem lege utendum de finito & infinito, quæ sunt quantitatis. si quantitas quædam monstratur finita, eadem non est infinita, & contra. de pari & impari contrarijs ipsius numeri. Contradictoria etsi ad utrunque modum differendi ualeant, non sunt tamen huius loci, quòd nullius sint susceptibilis, quemadmodum accidentia contraria, quæ prærequirunt subiectum determinatū. omnibus enim contradictoria aptantur. Contraria uerò mediata repelluntur ab eodem, quòd sint solum destructiua, non autem constructiua problematis.

Amplius argumentandū transferendo nomen in orationem, cum longe magis consentaneum visum fuerit transumere, quàm ut ponitur nomē. ut magnanimum non fortem, quemadmodum ponitur, sed magnum animum habentem: quemadmodum fidentem, bona sperantem. Similiter autem & ingeniosum, cuius fuerit genius studiosus: quemadmodū Xenocrates inquit ingeniosum eum esse, qui animam fortitus est studiosam: ipsam enim unicuique esse genium.

18
Ab etymologia.

Locus ab etymologia quem quidam uocarunt à ueriloquio, quidam à notatione, plurimi à nominis interpretatione, constructiuus & destructiuus problematis: in quo nomen prædicatur accidentarium seu quod accidens est. quare & problema à nomine accidētis dicatur: cuius fides fiet per nominis interpretationem. nā quia nomen obscurum sit, querenda est nominis oratio interpretatiua, qua perspicuitas aperiat ignotis. ut qui defendit, quòd solus fortis dicitur εὐψυχος, id est, magnanimus, contendens euertendo positionem quòd non solus fortis sit εὐψυχος per nominis interpretationem, quæ est, ὁ εὐψυχὸς ἔχει τὴν ψυχὴν ἔχωρ, hoc est, bonā animā habēs. Cæterū si εὐψυχος sit, quicumque bonam habet animam: iustus, temperans, liberalis, & cæteri studiosi bonam habent animam: igitur non solus fortis dicitur εὐψυχος, neque sola fortitudo εὐψυχία. similiter si dubitetur, utrum iustus sit εὐελπίς, an non: transferemus nomen. etenim εὐελπίς, id est bene sperans est, ὁ εὐελπίς ἐλπίζει, id est bona sperans: at iustus talis est, igitur iustus εὐελπίς. Eodem modo si in dubiū trahatur, sit ne

studiosus ἐν δαίμωνι, id est felix uel ingeniosus: nomen ipsum obscurum transferemus ad orationem secundum etymologiam. nam ἐν δαίμωνι, ἐν τῷ δαίμονα ἔχω: at Xenocrates τῷ δαίμονα animam uniuscuiusque uocat. quare studiosus erit ἐν δαίμωνι, qui sit ἐν τῷ ψυχῆ ἔχω. de hoc Plato in Cratyllo. In istis usi sumus nominibus græcis: quæ aptior uis differēdi in talibus ab etymologia collocetur.

Quoniam autem rerum aliæ quidem sunt ex necessitate, aliæ autem ut in pluribus, aliæ verò ad utrumlibet: si quod ex necessitate est, ut in pluribus ponatur: aut quod ut in pluribus, ex necessitate: aut ipsum, aut contrarium ei quod est ut in pluribus, semper dat locum argumentationis. Nam si, quod ex necessitate est, ut in pluribus ponatur, manifestum quoniam non omni dicit inesse: cum insit omni. quare peccauit. siue quod ut in pluribus dicitur, ex necessitate dixit: omni nanque dixit inesse, cum non insit omni. Similiter autem & si contrarium ei quod in pluribus est, ex necessitate dixit. Semper enim in paucioribus dicitur contrariū ei, quod est ut in pluribus. ut si ut in pluribus, prauī homines: boni in paucioribus. quare multo magis peccauit, si bonos ex necessitate dixit esse. Similiter autem & si quod ad utrumlibet est, ex necessitate dixit, vel ut in pluribus. Neque enim ex necessitate ad utrumlibet: neque ut in pluribus. Contingit autem & si non determinans dixerit, utrum ut in pluribus an ex necessitate dixit, sit autem res ut in pluribus: disputare, ut si ex necessitate is dixerit. ut si prauos exhereditandos dixit esse, non determinans: tanquam ex necessitate is dixerit, disputandum.

Locus à rerum diuisione, & constructiuus & destructiuus esse potest. Quemadmodum enim rerum quædam semper ex necessitate sunt, quædam ut plurimū, quædam neutro modo: sic quæ prædicatur de subiectis, uel ex necessitate, uel ut plurimum, uel neutro modo conueniunt. quare argumenti multiplicem materiam hinc sumere quiuis facile poterit. Dicitur autem esse & prædicari ex necessitate, species, genera, differentiæ, definitiones, propria, & accidentia inseparabilia: quoniam semper de illis prædicantur, & uniuersaliter. Quæ au-

tem non ex necessitate, sunt accidentia separabilia: quorum quaedam subiectis ut plurimum insunt, & communi concursu naturæ accidunt. ut habere quinque digitos hominē, uel canescere senes, & similia: quorū ueritas ferè determinata uidetur. Illa sunt ad utrumlibet accidentia, quæ nullius certæ & præscriptæ sunt ueritatis, ut quæ arbitraria sunt, & imperio supposita humano. Cum igitur in omni problemate de subiecto aliquid prædicetur, uideūm est in problemate quod statuitur ab accidente quid prædicetur, & quo modo subiecto inesse dicatur, uel non inesse. Nam si dicatur conuenire subiecto ex necessitate, qui monstrauerit non omni, neque semper, sed ut plurimum, uel indifferenter illi adesse, destruet. Similiter si ex necessitate subiecto insit, non tamen ut accidens inseparabile, sed ut genus, uel terminus, uel proprium insit, euertet positionem interrogans. nam his omnibus modis contingit destruere problema, quo defenditur subiecto inesse ex necessitate accidens. Construere contendet quoniam subiecto inest: at cū neq; ad utrumlibet, neque ut plurimum: igitur ex necessitate, postquā subiecto inesse constiterit. Quòd si ex necessitate insit, non ut genus, neque terminus, neque proprium: igitur accidens. Si uerò ponatur problema ab accidente, quod subiecto inesse dicitur ut plurimum, ad destructionem illius ualebit ratio, quæ monstrabit subiecto ex necessitate inesse, uel raro & ad utrumlibet, uel oppositum ut plurimum subiecto conuenire. nam si oppositum prædicati ut plurimum subiecto insit, prædicatum eidem ut plurimum non inerit. Vt in Alcibiade, Multi imprudentes, prudentes pauci. si stultorum magnus est numerus: & sapientum rarus. per hæc igitur contingit destruere problema, quo prædicatum ut plurimū inesse dicitur. Confirmabit autem, quoniam neque ex necessitate, neque ad utrumuis, neque oppositum ut plurimum inest, sed raro, accidens subiecto inesse ut plurimū. Tertius modus, si accidens dicatur prædicari de subiecto indifferenter & ad utrumuis, destruet quòd ex necessitate insit, uel ut plurimum, uel contrarium illius. Construet autem destructione superiorum. Et hæc dicuntur de problemate, quo indicatur prædicatum subiecto inesse cum quadam determinatione, uel necessitatis, uel ut plurimum, uel ad utrūuis. Si uerò ponatur indeterminate subiecto inesse & sine significatione modi inexistenti, oportebit disputare, & prædicatum subiecto insit ut plurimum, tanquā ex necessitate dixerit esse. Nam quod simpliciter dictū est subiecto inesse, ex necessitate uideatur dici. si tamen prædicatum subiecto inesset ex necessitate, qui con-

tenderet id quod sine determinatione dicitur inesse, ut plurimū inesse dictum, uel ad utrūuis, calumniatur, & sōphistarum partes agit. nota potest esse huius distinctio à primo loco.

Amplius, & si idem sibi accidens posuerit ut alterū: eo quòd alterum sit nomen. quemadmodum Prodicus diuidebat voluptates in gaudium, & iucunditatem, & lætitiā: hæc enim omnia eiusdem voluptatis nomina sunt. Si igitur quis gaudiū lætitiæ dixerit accidere, idem utiq; sibi ipsi dicet accidere.

Locus à Polyonymis destructiuus. Qui enim idem fecerit sibi ipsi accidere in problemate, destruendum est problema tanquam falsum. quòd idem sibi ipsi accidere nō potest. subiectum aliud est semper accidentis ab accidente: nam subiecta substantiæ sunt. qui igitur monstrat id quod dicitur accidere alicui, esse illi idem: euertit problema. nā etsi nomina sint diuersa, non tamē satis est ad distinctionem rerum constituendam. ut qui diceret gaudium lætitiæ accidere: quòd idem sit gaudium lætitiæ, destruitur illi accidere: nam idem non accidit sibi ipsi. Quare & Prodicus, quem nōnunq; præceptorem Socrates in Memnone agnouit, male diuidebat uoluptatem in gaudium, lætitiā, & iucunditatem. Nam hæc nominum sit diuisio, non rerum per nomina: quòd sint hæc omnia ipsius uoluptatis & eiusdem rei nomina. Quemadmodum qui diuideret honestum in laudabile, in rectum, & decorum, hæc nomina eādem rē omnino significāt. quare mala fuerit hæc diuisio, cuius meminit Cicero tertio de finibus. Non desunt tamen qui uelint nō idem esse lætitiā, gaudium, & iucunditatem: in quam uenit toto corpore sententiam Cicero in secūdo de finibus bonorum: Ut scias, inquit, me intelligere, primum idem esse dico uoluptatem quod Epicurus ille ἡδονή. Et quidem sæpe quærimus uerbū latinū par græco, & quod idē ualeat, hic nihil fuit quod quæreremus, nullū inueniri potest, quod magis idem declarat latine quod græce, quā declarat uoluptas. huic uerbo omnes, qui ubiq; sunt qui latine sciunt, duas res subiiciunt: lætitiā in animo, commotionem suauem iucunditatis in corpore. Nam & ille apud Trabeam, uoluptatem animi lætitiā nimiam dicit, eandem quam ille Cæcilianus, qui omnibus lætitijs lætum esse se narrat. sed hoc interest, quòd uoluptas dicitur etiam in animo res uitiosa, ut stoici putant: qui eam sic definiunt, sublationem animi sine ratione opinantis sē magno bono frui. Non dicitur lætitiā neque gaudium in cor-

20
A Polyonymis,

pore, in eo autem uoluptas omnium latine loquentium more ponitur, quum percipitur ea quæ sensum aliquem moueat iucunditas. Hæc quoque iucunditatem si uis transfer in animum: iuuare enim in utroque dicitur, ex eoque iucundum. Neque prætermisimus polyonyma quæ dicantur. sunt enim (ut Augustinus in dialectice) multa nomina eandem rem significantia: quorum differentia nulla redditur ratio: ut ensis, mucro, gladius.

Quoniam autem contraria connectuntur quidem ad inuicem sex modis: contrarietatem faciunt autem quadrupliciter complexa: oportet accipere contraria quocumque modo utile fuerit & destruenti & construenti. Quod autem sex modis complectantur manifestum. nam aut utriusque utriusque contrariorum connectitur: hoc autem dupliciter, ut amicis benefacere, & inimicis male: vel e converso, amicis male, & inimicis bene. Vel utraque de uno: dupliciter autem & hoc, ut amicis benefacere, & amicis male: vel inimicis benefacere, & inimicis male. Vel unum de utrisque: dupliciter autem & hoc, ut amicis bene, & inimicis bene: vel amicis male, & inimicis male. Primæ igitur complexiones duæ dictæ non faciunt contrarietatem: nam amicis benefacere, huic inimicis male, non est contrarium. Utraque enim eligenda sunt, & eiusdem moris. Neque hoc amicis male, huic inimicis bene. etenim utraque fugienda, & eiusdem moris. Non videtur autem fugiendum fugiendo contrarium esse: nisi hoc quidem secundum superabundantiam, illud autem secundum defectum dictum sit. nam superabundantia fugiendorum videtur esse: similiter autem & defectus. Reliqua vero quatuor omnia faciunt contrarietatem. nam id amicis benefacere, ei amicis male contrarium: nam à contrario more sunt: & illud sane eligendum, hoc autem fugiendum. Eodem modo autem & in alijs. nam secundum unamquamque conjugationem unum eligendum, alterum autem fugiendum: & illud quidem boni moris, illud autem mali. manifestum igitur ex his dictis, quod eidem plura contraria accidunt

fieri. huic enim amicis benefacere, hoc inimicis benefacere, & hoc amicis male, contrarium. similiter autem & aliorum vnicuique, eodem modo considerantibus, duo cōtraria apparebunt. accipere igitur contrariorū quodcunque, erit ad positionem vtile.

Locus à contrarietatum modis, destructiuus tantum in contrarijs mediatis: constructiuus autem & destructiuus in contrarijs immediatis. Contraria adinuicem sex modis conuincuntur, quorum duæ coniugationes nō continent oppositionis legem: quatuor igitur supersunt quibus contrarietas coeræatur, quibus vtile fuerit ad constructionem uel destructionē problematis accidentarij contrariū habentis uti. Neque enim omne problema ab accidente contrariū habet, quod multa accidentia cum alijs nihil odij uel inimicitiae contraxerint. quare locus hic adaptandus est problemati habenti contrarium siue subiectum, siue prædicatum, siue utrunque. Cæterum sex esse contrariorū complexiones seu coniugationes & non plures, fiet manifestum. Nam in omni problemate duo sunt termini, subiectus, & prædicatus: quos oportet uel utrosque esse contrarios duobus alijs eodem ordine subiiciendi & prædicandi, & contraria de contrarijs prædicari: uel utraque cōtraria de eodem subiecto, uel de duobus unum prædicatur. His enim plures fieri nequeunt: sed oportet in contrariorum coniugatione, uel duo de duobus, uel duo de uno, uel de duobus unum prædicari. quorum unumquodque dupliciter ordinatur. Nam si primo modo coniungantur, quod utrunque contrariorum de utrisque cōtrarijs prædicatur: hoc fiet dupliciter. Priori modo, ut amicis benefacere, & inimicis malefacere: in quibus perspicuum est utrunque utrique contrariorū connecti. nam benefacere & malefacere prædicantur contraria de amico & inimico contrarijs subiectis. Posteriori autem modo manentibus eisdem subiectis inter se cōtrarijs, sed permutatis prædicatis: ut amicis malefacere & inimicis benefacere. quibus retinentur contraria de contrarijs prædicari ordine permutato ad superiorem. Quod si prædicentur duo cōtraria de eodem cōtrario, id bifariam explicabitur. In primis de eodem contrariorū duo prædicantur cōtraria nō permutata: sic, amicis benefacere, & amicis malefacere. secūdo modo, sumpto altero subiecto cōtrariorū eisdē prædicatis manētibus: sic, inimicis benefacere, & inimicis malefacere. in quibus nulla permutatio prædicatorū cōspicitur, sed subiecti. nā semper eadem prædicata cōtraria de altero

21

A cōtrarietatum cōiugationibus.

Sex coniugationes.

contrariorum subiecto prædicantur. Verùm si de duobus contrarijs alterum contrariorum prædicetur : id etiam duobus modis fiet, conuerſo ordine ad nuper dictum. sic, amicis benefacere & inimicis benefacere: uel aliter, amicis malefacere & inimicis malefacere: in quibus modis duobus idem contrariorum prædicatur de duobus contrarijs subiectis. Quare sex coniugationes contrariorum facile intelliguntur: nam uel ex permutatione utriusque extremi, uel prædicati tantum, uel subiecti tantum, quorum quodlibet duplex est. sed quòd ex his quatuor solum contrarietatem habeant, ei manifestum est qui non ignorauerit duas coniugationes non esse contrarias: in quibus utriusque extremi fieret permutatio. Nam istæ erant omnium primæ: amicis benefacere, & inimicis malefacere, quæ nullam habent contrarietatem: quum utraque sit eligenda, & eiusdem moris probabilis, & fidei. similiter quæ secundæ ponebantur, nõ contrariantur adinuicem: quæ erant, amicis malefacere, & inimicis benefacere: quod ex eo notum esse potest, quòd sint utraque fugienda, & eiusdem consuetudinariæ opinionis. nam quæ æqualiter eligenda uel fugienda, æqualiter probabilia uel improbabilia, rationem contrariorum respuunt. neque enim eligendum eligendo contrariatur, neque fugiendum fugiendo, nisi alterum fugiendorum excessum, alterum defectum referat. Nam fugienda est superabundantia, similiter defectus, quæ contrariantur inter se. uerum proposita fugienda sunt, quæ neque secundum excessum, neque defectum dicuntur: igitur alteri fugiendorum alterum nõ contrariatur. Non moueor quòd quidam interpretentur id quod Aristoteles dixit $\nu\alpha\tau' \epsilon\upsilon\delta\epsilon\alpha\upsilon$, secundum egestatem. Reliquum est igitur sint quatuor contrarietatum coniugationes, in quibus uis differendi collocetur: nam tales non sunt eiusdem fidei, sed oppositæ. nam si amicis benefacere sit eligendum & probabile, & amicis malefacere fugiendum & improbabile dicendum uenit. Eodem modo in reliquis contrarietatum coniugationibus reperientur quædam eligenda & probabilia, quædam autem fugienda & improbabilia. Quas, ut commodius intelligantur, oculis subiiciemus omnes: & in quibus duo de duobus contrarijs, & duo de uno, & de duobus unum prædicari conspicitur.

CONIVGATIONES.	Prima	{ iustū est bonū iustū est malū }	} cōtraria de cōtrarijs	} p̄dicantur
	secūda	{ iustū est malū iniustū est bonū }		
	Tertia	{ iustū est bonū iustū est malū }	} de altero contraria	
	quarta	{ iniustū est bonū iustū est malū }		
	quinta	{ iustū est bonū iustū est bonū }	} de contrarijs alterū	
	sexta.	{ iustū est malū iustū est malū }		

Ex his uel intuitu patere potest plura eidem esse cōtraria: ut ei propositioni, amicis benefaciendum, hæ duæ contrariantur, amicis malefaciendum, & inimicis benefaciendum. neq; tamen id repugnabit huic pertritæ propositioni, Tantum unum uni est cōtrarium: eo quod illæ non contrariantur secundum idem eidem, sed quia propositione ista (amicis benefaciendū) duo contraria cōprehenduntur, quorum cuiuslibet affertur contrarium: sic accidit, ut plura eidem contrariantur: uerum altero contrarietatis modo. quoniam huic, amicis benefaciendum contrariatur, amicis malefaciendum, q̄ benefacere & malefacere contrarietur, & ratione prædicatorum contrariorū. & illi eidem primæ hæc contrariatur, inimicis benefaciendum, ratione subiectorū contrariorū. Quum enim dicimus unum uni contrariari, id intelligimus simplex simplici, & eadem ratione. Niui enim ut candida est, contrariatur nigrum: eidem ut frigida, calidum. Socrates autem in Protagoram signa conferēs, disceptatione cogit fateri uni plura contrariari, uel sapientiam eandem esse cum temperantia: cuius rationes ex Platone sic habent latinè, Insaniam, inquit Socrates, aliquid uocas, eiusq; contrariam sapientiam esse dicis Protagora? Prot. Equidem. Soc. Vtrū cum recte & frugaliter homines agunt, tunc ita operantes temperanter agere tibi uidentur: an cum contra operantur? Prot. Temperatè agere mihi uidentur cum frugaliter recteq; agunt. Soc. Nōne temperantia, temperanter agunt? Prot. Necessè est. Soc. Nōne quicumq; non recte agunt, insane agunt: & qui ita agunt, non temperanter agunt? Prot. Ita uidetur. Soc. Ergo insanè agere, contrarium eius est, quod temperate agere dicitur. Prot. Est utiq; Soc. Nōne igitur quæ insanè fiūt, insania fiunt: quæ temperatè, temperantia: quicquid robore fit, robu-

fit: & quicquid debilitate, debiliter: & quicquid uelocitate, uelociter: & quicquid tarditate, tardè. & quod eodem modo fit: omnino ab eodem efficitur: quod uerò cōtrario modo, efficitur à contrario? Prot. Assentior. Socr. Dic obsecro, est ne pulchrum aliquid, cui nihil aliud cōtrarium, quàm turpe? Prot. Nihil aliud. Socr. Est ne aliquid bonum, cui aliud quicquid est cōtrariū, quàm malū? Prot. Nil aliud. Socr. Est ne aliquid in uoce acutum, cui nil præter graue cōtrariū sit? Prot. Hoc ipsum. Socr. An nō unicuique cōtrariorū non multa, sed unum est cōtrariū? Prot. Vnum diu taxat. Soc. Resumamus iam quæ hæcenus à nobis cōcessa sunt. Concessimus planè uni unum solum esse cōtrarium. Item quod cōtrario modo fit, à cōtrarijs effici. Admisimus præterea cōtrario modo fieri quod insanè fit, & temperate. Rursus quod temperate agitur, à temperantia prouenire: quod insanè, ab insania cōtrario modo. Insania itaque temperantiæ cōtraria est. Prot. Apparet. Socr. Recordamur supra nos concessisse, sapientiæ insaniam esse cōtrariā. Prot. Certe. Socr. Quin & uni unum solum esse cōtrarium. Prot. Et hoc. Socr. Vtrum potius sermonem reiiciemus Protagora, eum ne quod dicitur uni unum solum esse cōtrarium, an eum qui uolebat sapientiam à temperantia esse diuersam, & utranque partem esse uirtutis? Cætera lege in Protagora Platonis. Huius loci mōstretur disceptandi cōmoditas, desiderat locorū institutio. non enim putandū est à sex illis cōtrarietatum cōiugationibus in problema argumentum uocari. quoniā duæ nullam uim cōtrarietatis interceperunt, neque argumentandi facultatem consequentur in problema destructiuam. quis enim arbitraretur ualidam hanc consequutionem, iustum est bonum, igitur iniustum non malum, uel iustum est malum, igitur iniustum est bonum? Cōstructiuam tamen uim illæ haberent maiorem. Reliquæ quatuor cōiugationes habent uim insuperabile destructiuam. nam si iusto bonū in sit, eidem malum non in erit: uel si malum in sit, bonum non in est. Similiter si iustum est bonum, iniustum non est bonum: uel si iniustum malum est, iustum non est malum. cuiusque enim in est alterum cōtrariorū, eidem reliquum non in est. Similiter si quid cōtrario in sit, reliquo illud non in erit. ab omni genere cōtrariorū congruet destruere problema quatuor istis complexionibus postremis: construere uerò, solum in cōtrariorū immediatorum genere. Nam in cōtrarijs mediatis nullus erit construendi locus. nam non oportet, si homo iustus non sit albus, quòd sit niger: at si niger monstratur, quòd albus non sit, est necessario concludendum. Libere omnis argumentandi modus in im-

mediatis decurret. Nam si homo iustus non sit sanus, est æger: & contra, si iustus est æger, non est sanus. quare utilia ad positionem habentem contrarium pro utroque extremo, contraria sano iudicio uel constructiua uel destructiua sunt conijcienda.

Amplius si sit aliquid contrarium accidenti, considerandum est, si inest ei cui accidens dicitur inesse. nam si hoc inest, illud non inerit. impossibile enim contraria simul eidem inesse.

Locus à contrarijs mediatis destructiuus solum problematis habētis contrarium. Proposito itaque problemate ab accidente, considerandum si tale accidens contrarium habeat. nam non est necesse omne accidens contrarietate alteri dissidere: ut notum est de quantitativis, & multis qualitativis formis: quæ contrariorum normas respuunt. Quod si inueniatur problema habere contrarium ratione prædicati, uel illud est immediatum uel mediatum per diuisionem contrariorum. si immediatum fuerit, ratiocinandum ex loco à contrarijs immediatis uocato & constructiue & destructiue. si uero mediatum fuerit, perspicendum si contrariū contrarij in problemate existentis inest illi subiecto, cui contrarium problematis inesse dicitur: quod si probatum fuerit inesse contrarium, destruendum erit reliquum inesse, & problema euertendum. Nam impossibile est contraria idem subiectum occupare. quare qui probauerit alterum cōtrariorum inesse subiecto, reliquum oportebit interimere. ut qui commonstrauerit uoluptatē esse malam, destruet positionem quæ sustinet, esse bonam. Destructiuus est solum hic locus, quod non ualeat ad construendum. non enim sequitur, Voluptati nō inest bonum, igitur malum inest: quod medium habeatur inter hæc, quod circumscribitur neque bonum neque malum.

22

A cōtrarijs
mediatis.

Aut si tale quoddam dicatur de aliquo, quo existente necesse est contraria inesse. ut si ideas in nobis quis dixerit esse. Nam & moueri & quiescere ipsas accidet: in super autem sensibiles, & intelligibiles esse. videtur enim ideæ quiescere, & immobiles, & intelligibiles esse, ponentibus ideas esse: attamen cū in nobis sint, impossibile immobiles esse. Motis enim nobis, necesse & quæ in nobis, etiam commoueri: manifestum autem quoniam & sensibiles, si in nobis sunt. nā per sensum qui circa visum est,

in vnoquoque formam cognoscimus.

23
A contrario
rū cōsequo

Locus à contrariorum simul existentium consequio destructiuus. si constituatur aliquod problema in quo prædicato conueniente subiecto necesse est contraria eidem aduenire, male positum est. ut gratia exempli, si quis nos habere ideas defendat, ut forma nostra sit idea, uidentur duo contraria eidem subiecto inesse ex positione sequi. quare uana positio. Nā ideas sequitur & moueri, & quiescere simul: similiter intelligibiles esse, & sensibiles. Nam Platonici & harū fautores dicūt eas quiescere & immobiles, & intelligibiles. Inquantū tamen sunt in nobis, necesse est eas facere mobiles. nam motis nobis mouentur quæ in nobis sunt. simul & sensibiles erūt. quoniam uniuscuiusque formā uisu deprehendimus & corporis effigiē. quare idea si sint formæ in nobis, & mouebuntur, & sensu percipientur, & quiescent, & insensibiles erunt. similiter qui dixerit, Omnia in omnibus esse (ut Heraclitus) sequitur eidem contraria simul accidere. uel qui unū principium fecerit (ut Melissus) & infinitū. Quam $\mu\omicron\pi\phi\alpha\pi$ uocauit Aristoteles, nos repræsentationē & imaginem alicuius dicimus: quo nomine usus est Porphyrius pro specie, ut cū dicitur prima species digna est imperio. nam effigiem primā & similitudinem patris uult imperio dignam, ut primus partus & prima patris soboles dominiū occupet: & sicut genus dicitur principium uniuscuiusq; generationis, sic species dicatur effectus principij, & generis repræsentatio. Hoc admonitū uoluimus, ut intelligent utrum melius dicatur prima species digna est imperio, nomine speciei accepto p pulchritudine, an pro repræsentatione. ut si dicatur, prima soboles digna est imperio, huius facilis haberetur sensus, & significationibus generis apta nec nō correspondēs significatio. Qui dā codices Græci habēt ἀνάγκη τὸ ἐναντία ὑπάρχει, alij οὐ μὲν αἰεὶ, quorum sententiæ non discriminantur.

Rursum si ponatur accidens, cui est quidpiam contrarium, considerandum si & contrarij est susceptiuū, quod & accidentis est. Nam idem contrariorū est susceptiuū. ut si odium sequi iram dixerit, erit quidem odium in irascibili: nam illic ira. Considerandum igitur si & contrarium in irascibili, amicitia. si vero non: sed in concupiscibili sit amicitia, non sequitur odium iram. Similiter autē & si cōcupiscibile ignorare dixerit. erit nanque & scientiæ susceptiuum: siquidem & ignorantia, quod quidem

non videtur: concupiscibile susceptiuū esse scientiæ. De-
struenti ergo quemadmodum dictū est, vtendum: astruē-
ti autem, quòd inest quidem accidens, non utilis locus:
quòd autē contingit inesse, utilis. Ostendētes enim quòd
non susceptiuum est contrarij, ostendentes erimus quòd
neq; inest accidēs, neq; contingit inesse. Si autē ostende-
rimus quòd inest contrariū, vel quòd susceptiuū est con-
trarij: nondum ostendentes erimus, q̄ & accidens inest:
sed q̄ contingit inesse, id solum ostensum erit.

Locus à subiecto contrarij constructiuus & destructiuus. Oportet
autē idem esse contrariorū susceptiuum: quare si positum fuerit, acci-
dens habens contrariū alicui subiecto aduenire, opus erit rimari an il-
lud idem subiectū, cui accidēs dicitur inesse, sit & cōtrarij susceptiuū.
nam si nō sit, destruendū est problema quo defendebatur accidens illi
subiecto inesse: eo quòd illud idem non est contrarij susceptiuū. Ad mon-
strandū tamen accidens subiecto inesse, nō sufficit ostendere quòd sub-
iectum sit susceptiuum contrarij. nam hæc ratio nulla est, hoc est su-
sceptiuum contrarij: igitur contrarium inest illi. Bona tamen erit ad
monstrandū quòd sit susceptiuum & alterius cōtrarij. quare qui osten-
dit non esse susceptiuum subiectum accidentis, simul probat quòd neq;
contrarium illi subiecto inest, neque inesse potest. sic & actum & po-
tentiam destruit. qui uerò affirmatiue contendit subiectum esse susce-
ptiuum contrarij, non corroborauit oppositum illi iam aduenisse: sed
solum q̄ potest illi aduenire. Locus hic intelligendus uenit de contra-
rijs separabilibus, seu natura subiecto non adherentibus. nam niui so-
lūm albedo & nō nigredo accidit, igni calor, coruo nigredo: nō his con-
traria. quoniā cognata subiectis cōtrarijs non deserūt susceptiua: qui-
bus idē est esse in subiecto, & posse esse. in perpetuis enim & semper
eadem cōstantia permanētibus idem est esse & posse. quare sunt sub-
mouēda à loco. Nunc exemplorum luce locum manifestemus. sit positū
problema quòd iram sequatur odium, seu (clarius) ira ponatur esse
odium. in quo igitur subiecto constituetur ira, in eodem & odium re-
cipietur: at ira est in potentia irascibili: quare & odium in eadem e-
rit. Destruemus itaq; odium esse in potentia irascibili, quòd contrariū
odij amicitia non potest suscipi ab irascibili potentia, sed tantū à con-
cupiscibili: igitur neque odium. quare ira non erit odium, seu odium nō
sequetur iram. nam in quo residet contrarium, & in eodem natum est

manere reliquum: at amicitia & odium contraria sunt, & amicitia solum inhabitat partem animæ concupiscibilem, & nuquam irascibilem: igitur & odiū. unde sequitur destructio pblematis. simili ratione qui defendit concupiscentes esse ignorantes, is ignorantiā parti animæ concupiscibili adiungit. quare qui firmauerit contrarium ignorantiae, ut scientiā, illi eidem non competere posse, positionem euertit. qui igitur dicunt amorem esse cæcum & ignorante, conuincuntur: quia scientia quæ cōtrariatur ignorantiae, nō sit nata ut suscipiatur in potētia cōcupiscibili: nō enim cōcupiscibilis dicitur sciēs quatenus huiusmodi. Reprobatur nugueduli illi qui cōmīscuntur lunam esse humidam: quia cælum non sit susceptiuum qualitatum contrariarū. Volunt tamen Ptolemæum in Quadripartito tradere humidā esse lunā: quia humidus uapor à terra ad eam terræ proximiorē ascendat: & eadem ratione aridū saturū, quia magis remouetur: & eūdem frigidum, quia procul à sole. Iouem temperatum: quod medius collocetur inter gelidum Saturnum & feruidum solem. Cæterum notandum ad superiora exempla, triplicem poni ab Aristotele in magnis moralibus appetitū: irascibile, concupiscibile, & rationale. irascibilis & animosus appetitus, est libertatis, uictoriæ, potentiae, imperij, gloriæ, & honoris: cuius uim in corde & sedem faciunt. Concupiscibilis, qui uenereā, esculenta, & potulenta desiderat, quæ in iocinore ponunt. Rationalis uarijs est præditus facultatibus, sensu, memoria, intellectu, & singulis aliorum quæ uideri, audire, odorari, gustare, tangere, & alias rursus potestates recipere, uisoriā, auditricem, odoratricem, gustatricem, & tactricem contingit. Rationalis ipsa anima ueritatem, scientiam, disciplinas, memoriam, prudentiam habet: quam in cerebro locum occupare perhibent Plato & Galenus. Vnde manifestum est uirtutes morales nō esse scientias, contra Socratem: quod concupiscibilis pars animæ non sit neque ignorantiae neque scientiæ susceptrix. E re studiosorum fuerit illa non omnino dissimulare, in quibus parū sunt oculati interpretes, si fridem sequamur exemplariū latinorū, habet enim sic, ut si odium hærere iræ quis dixerit, erit odium in furoris specie: illic enim ira. inspiciedū igitur si & cōtrarium in furoris specie, an in concupiscentia. nam si non, sed in cōcupiscibili est, nō cohæret odium iræ, uel, ut quæ adā habet, non sequitur odium iræ. Aristot. uero sic, οἶος ἔστι τὸ μῖσος ἐπὶ τῆ ὀργῆ ἢ ἐφιστερ, ἔστι ἄρ τὸ μῖσος ἐπὶ τῆ θυμοειδῆ: ἐκεῖ γὰρ ἢ ὀργῆ. οὐκ ἔστι οὐκ ἔστι καὶ τὸ ἐναντίον ἐπὶ τῆ θυμοειδῆ, ἢ φιλία. ἐστὶ γὰρ μὴ ἀλλ' ἐπὶ τῆ ἐπιθυμητικῆ ἔστι ἢ φιλία, οὐκ ἄρ ἐπιτο τὸ μῖσος

τῆ ὀργῆ. nimirum occasione huius erroris accepta in fœdas inscitæ lacunas delabuntur illi qui odium hoc loco dicunt non pro inueterata ira (ut solet) sumi, sed pro maleuolentia quæ ab eo procedit Aristotelem accepisse: & illud odium amori contrarium nõ esse satis probari eiusdem sententia deierant. Adduntque diuisionem illam non esse Aristotelis, sed Platonis, appetituum in irascibilem concupiscibilem & rationalem. quorum dicta Aristoteles, secundo Rhetorices manifestissime confodit. Nam qui irascitur, inquit, dolet: qui autem odit, nõ dolet. Exactam horum differetiam & disquisitionem ibidem cõspicies. Similiter monstrat Aristoteles hic odium non sequi iram, quod contrarium odio, ut amor, non sit in potetia irascibili. Qui uerò tanq̃ per transennã oculis percurrerunt, quæ de moribus ab Arist. traduntur, domi habent & agnoscunt diuisionem illam pronuntiatas cõsentire Aristotelicis. Hæc uolui sicco pede pertransire ut in transcurso admonerem felicia iuuenum ingenia cauerent sollicite ab infelicibus quorũdam portentis.

Quoniam autem oppositiones sunt quatuor, considerandum ex contradictionibus econuerso ex consequentia, & destruenti & construenti. Accipiendum autem ex inductione. vt si homo animal, non animal nõ homo. similiter autẽ & in alijs. hic enim ecõuerso consequentia. nõ hominẽ animal sequitur, non hominẽ autẽ non animal nequaquã: sed econuerso, non animal non homo. in omnibus igitur tale existimandum est. vt si bonum suaue, & non suaue non bonum. Si autem non hoc, neq; illud. Similiter autem & si non suaue non bonum, bonũ suaue. manifestũ igitur quod ad utrũq; conuertitur, quæ secundum cõtradictionem est cõsequentia ecõuerso facta.

Locus à contradictorijs destructiuus & cõstructiuus. Quoniã opponuntur quadrupliciter: uel ut affirmatio & negatio, uel ut contraria, uel ut habitus & priuatio, uel ut ad aliquid: pro commodiore usu differedi in problemata ab accidente, & pro diuersitate oppositionũ inuabit locorum proprias constitutiones describere. Eadem enim & communis discẽptandi ratio ad constructionem & destructionem problematis accidentarij non habetur. ut notum fiet omnium discursu. In primis igitur de loco agendum est à contradictorijs uim & constructiuam & destructiuam habentibus facta illatione econuerso. Fit autem econuerso consequium, quando affirmatio affirmationem inferes
l.ij.

25
A contradis
ctotijs.

infertur negata ex negatione affirmationis illatæ. similiter quando
 negatio negationem inferens affirmationem habet illatam ex affirma
 tione negationis conclusæ. quare est ex opposito illati ad oppositum
 inferentis argumētari. Præposterus seruatur ordo, quando prius ef
 ficitur posterius, & posterius prius. sic in contradictionibus si prior
 affirmatio negatione fiat posterior, & posterior affirmatio negatione
 prior, econuerso dicitur fieri consequutio. cōsimiliter in negatione di
 cendū. Quòd autem ualeat econuerso arguendi ratio constructiua &
 destructiua problematis accidentarij, manifestum esse potest inductiue
 per omnia discurrendo, siue substantialia, siue accidentaria: in quibus
 omnibus à cōtradictione ratio est firmissima & cōstructiua & destru
 ctiua problematis cuiusuis propositi. ut hominē esse animal monstra
 tur per negationē & oppositū: quòd non animal non sit homo: & non
 animal nō hominem esse ostenditur per affirmationem, quòd homo sit
 animal. nam si homo est animal, & non animal non homo erit: & con
 tra, si non animal sit non homo, & homo erit animal. similiter in alijs
 à substantialibus terminis eadem differendi potestas conspicietur. non
 dispositionem non opinionem monstramus per affirmationem, quòd
 opinio sit dispositio: & si genitū habet principū, & nō habens princi
 pium nō est genitū. Non tamen ualere argumentū docetur in physicis,
 ex opposito affirmationis sumptæ inferētis: si nō est factū seu genitū
 nō habet principū: quē ad nodū putauit Melissus. Verū fortasse insur
 get in locū hunc aliquis, q̄ Arist. usus sit hoc argumento: Si aliquid est
 propriū opus animæ uel passio, continget eam separari: si autē nullum
 est propriū opus animæ, nō utiq; erit separabilis: in quo nō accepto cō
 sequentis opposito demolitur antecedēs, sed præposterus seruatur or
 do, quū sumpta negatione antecedentis cōsequentis infirmatio subiu
 gatur. Verū qui putant Aristotelem huius loci fuisse immemorē tan
 quam sui oblitum, ij plane ignorantissimi uidebuntur. Nam uerbum il
 lud contingere in ratione positū, non habet consequium necessariū ab
 antecedente: nam tūc oporteret perempto cōsequente interimiri præce
 dens: sed solū habet possibile & cōtingens. in quo genere differēdi ob
 seruatio in contrariū est, ut euersio antecedentis euertat cōsequens.
 semper enim id quod sequitur contingēter, tanq̄ pars antecedētis fit:
 propterea q̄ quādoq; accidit, quādoq; nō accidit. Ita qui antecedens
 interimit, totū interimit. toto autē sublato, sequēs est partis quoq; aboli
 tionē afferri. Eodē modo fieri argumētū potest de negatione eiusdem:
 nā si negatio negationē detrudat, & affirmatio affirmationē colliget.

Sed de his copiosius in primum de anima Paraphrasis Themistij agit: quare constantissime defendendū est econuerso deducendā ratione ab oppositis contradictorie terminis. ut si bonum, suaue: & nō suaue, non bonum: & si nō concluderet nō suaue, nō bonum: neque bonum, suaue inferret. Similiter si nō suaue, demittat in consequium, non bonum: & affirmatio boni, instituit suauius affirmationē. Neq; in hunc locum uale bunt obiectiones, quibus uolūt probare ex opposito antecedētis, quē admodum ex opposito consequētis argumētationem ualere, qui in fidem acceperūt cōspirātia (ut definitiones, species, propria, & differē- tias inter se) & inter quæ mutua est cōsequēdi uis: siue ex abolitione antecedentis siue cōsequētis. nā si homo est, & animal rationale mor- tale est, & si nō est homo, neq; animal rationale mortale est, & cōtra. Eodem modo in alijs assumptis cōuertibilibus. Nam tales differēdi for- mæ uniuersalem uim nō largiuntur, sed certis quibusdā terminis re- tinētur. Locus autē est uniuersalis, perpetuus, & immotus in omnibus.

In contrarijs autē cōsiderandū si contrariū contrariū sequatur: an contra seipsa consequentia, an econuerso, & destruētī & construētī. Sumenda autē & talia sunt ex inductione quantū utile est. contra seipsum quidē conse- quentia est, ut in fortitudine & timiditate. nam illā quidē sequitur uirtus, hanc autē vitium: & illam quidem sequi- tur eligendum, hanc autem fugiendum: contra seipsa igitur horum consequentia, contrariū enim eligendum fu- giendo. similiter autē & in alijs. econuerso autē consequē- tia, ut bonam sanē habitudinē sanitas sequitur, malam au- tem habitudinē ægritudo non: sed ægritudinē mala ha- bitudo. manifestum igitur quoniā econuerso in his con- sequentia fit, raro autem econuerso in cōtrarijs accidit, sed in pluribus cōtra seipsa consequentia. Si ergo neque contra seipsa contrariū contrarium sequatur, neq; econ- uerso, manifestum quoniā neq; eorum quæ dicta sunt se- quitur alterum alterum: si autem in contrarijs, & in ijs quæ dicta sunt necesse est alterum alterum sequi.

Locus à cōtrarijs & cōstructiuus & destructiuus problematis ab
accidēte, nō tamen eadem cōsequendi lege cū contradictorijs: quòd du
pliciter hic desumatur disceptādi occasio, & bijugā inferendi formam
l. iij.

26

A cōtrarijs.

ex loco colligere liceat: etenim & contra seipsa & econuerso fit argu-
 mentatio cōsequatoria. Verūm quādo argumētatio cōtra seipsa desu-
 metur, uel econuerſo, hoc desumēdū ex inductione. neq; enim lex cōstitui
 potest pro cōgruitate ad problema constituendū uel dissipandū. Indu-
 ctio etiā plurimū habet energiæ, quæ in plurimis manifestatur ad pro-
 blema probandū, quōd si cōtrarium contrariū infert, & reliquū reli-
 quum. Inductiuā differēdi rationē admodum peculiārē sibi fecit Socra-
 tes. Contra seipsa fit cōsequutio, quādo duarū contrarietatum partes
 duæ aliæ cōtrarietates sequūtur, seu quādo duo contraria ordine di-
 recto duo cōtraria inferūt, nec nō è regione se respiciūt, & eodē ordi-
 ne respōdent. ut in fortitudine & timiditate manifestū iri potest. nam
 fortitudo & timiditas cōtraria, similiter uirtus & uitium contraria:
 quare si fortitudo inferat uirtutē, & timiditas uitii: & si uirtus eli-
 genda, & uitii fugiēdum. nā eligēdum cōtrariatur fugiēdo, quare illa
 consequi firmitas statuitur in cōtrarijs eodē ordine dispositis. nā quo
 ordine unū contrariū alterū infert, & reliquū alterum. ut si pauperū
 est regnū dei: & diuitum regnū diaboli. & si esuriētēs saturabuntur:
 & saturati esuriēt. si flentes ridebūt: & qui ridēt stebūt. & si beati-
 tudo sit odiū hominū: & miseria amor hominū. & si beati pauperes:
 & miseri diuites cōprobātur. Magnus nimirum est campus per quem
 spargitur huius loci seges. Alia est argumētandi uis à contrarijs supe-
 riori dissentiens, quæ econuerso fit. ut duobus contrarijs datis quorū
 unū infert alterū contrariū, uerū reliquū nō infert cōtrariū, sed infer-
 tur à cōtrario. Id exēplo aperiēdū est, dētur sanitas & ægritudo quæ
 cōtraria sunt, similiter bona habitudo & mala: quoniā autē sanitatem
 infert bona habitudo, ægritudinē sanitatis cōtrariū mala habitudo nō
 infert, sed præpostero ordine infertur ab ægritudine mala habitudo.
 quare & econuerso in ijs dicitur fieri consequium. Quōd autem bona
 habitudo seu (si græce mauis loqui) è υεξία sanitatem inferat, est notū:
 quōd è υευστίνος & omnis bene dispositus sanus est: nō tamen è νάξυ-
 ξία morbum infert, sed cōtra. nā omnis qui laborat, è υάξυξία èσιπ-
 non tamen omnis in mala habitudine, est laborans. sunt enim quidā sa-
 ni qui male disponuntur. Videtur consimilis argumentandi forma in
 uirtute & uitio, in felicitate & infelicitate. nam uitium & operatio
 mala infelicitatē inferre uidetur, uirtus tamen & operatio studiosa nō
 colligit felicitatem, uerum econuerso felicitas uirtutem infert. Socra-
 tes uero in Gorgia tradit omnē honestum & bonū esse felicem, omnem
 iniustum & turpem miserū. Quēadmodū enim ad bene operādū etiam

Alius differ-
 sedit modus

habita & presenti materia nō sufficit Τέχνη τῷ Τεχνίτῃ; sed opus est instrumentis: sic ad studiose agendū omnes integritatis leges requiruntur: ad malū uero his nō est opus. Nam malum ingenerat uel omisio boni, uel mali unius perpetratio. Posterior hic differendi modus rarior est priore, nam frequētiōr est contra seipsa à contrarijs disputatio q̄ econuerso. Vterq; tamen modus utilis est ad construendū & destruendū problema in quo contrariū contrario adiungi uolumus ostēdere, uel distrabi. Constructur autē timiditas esse uitium, quia fortitudo est uirtus priore modo: posteriore unam circumstantiā malam uitium aggignere monstramus, quōd uirtutē omnes circumstantiæ necessario informant. Destruetur autem problema in quo contrarium contrario accommodatur: q̄ neq; contra seipsa, neque ecōuerso cōtraria se inferant. quibus monstratis necesse est & destrui, contrariū contrario inesse. Nam omne cōtrariū alterū sequitur altero horū modorū: ut si malum nō sequitur nigrum, neq; sequetur ipsum bonum albū. Similiter si uirtus continentiam nō sequatur, neq; incontinentiam uitium. & si cōtinentia non sit tēperantia, neq; incontinētia intēperātia. quare manifestum est si cōtrarium cōtrarium inferat: & hoc fieri necesse est, ut per alterum dictorum modorum construi possit. quōd si neutro modo alterum sequi alterum ostendatur, omnino destruenda sunt illa problemata in quibus contraria contrarijs accidere dicuntur: quōd oporteat ad constructionem contrarium primi inferre cōtrarium secundi, uel praeopstero ordine secundi contrarium inferre primi contrarium: quōd si neutrum acciderit, destruitur assertio.

Similiter autē contrarijs & in priuationibus & habitibus considerandum. uerūtamen non est in priuationibus econuerso: sed contra seipsa cōsequentiam necessariū est semper fieri, ut uisum sequi sensum, cæcitatē autē insensibilitatem. opponitur enim sensus insensibilitati, ut habitus & priuatio. nam illud horum quidem habitus, hoc autem priuatio.

Locus à priuationibus & habitibus cōstructiuus & destructiuus, qui consimilē cōsequendi legē contrarijs interceptit cōstructiuā & destructiuā: quæ cōtra seipsa suscepta fuit. nō tamen illa uis in cōtrarijs differendi econuerso facta recipietur in priuantibus. duplex enim cōstituebatur à contrarijs cōsequij forma: & contra se, & ecōuerso. Priuationibus & habitibus altera tradetur: quæ contra seipsa disponi-

27

A' priuātib.

tur. nam si habitus habitum inferat, & priuatio priuationē eodem ordine inferet. uel, si mauius, si habitus cōueniat habitui, & priuatio priuationi. Et destructiue si habitus habitum non inferat, neque priuatio priuationē: & hæ rationes ab habitibus ad priuationes deducuntur. Sed à priuationibus ad habitus trahetur ratio si sic dicatur: si priuatio priuationem inferat, & habitus habitum: & destructiue, si priuatio priuationem nō inferat, neque habitus habitum. ut mōstramus cæcitatem esse insensibilitatē ab habitibus, quòd uisus sit sensus. & à priuationibus audientem intelligentē probamus, quòd surdus inops intelligentiæ. Destructiue ostendimus mortuū non ignorare ab habitibus, & uiuens nō sit sciens. Cauendū tamen est in oppositis priuatiue, ne quis in differendo sumat idem quod infertur ab utroq; priuatiue opposito: ut uidens & cæcū inferūt uiuere. quare male quis argumētaretur hoc modo, qui uidet uiuit, igitur qui cæcus, mortuus est: & oporteat ex loco argumentari, per ea quorū utrunq; sub eodem non contineatur. similiter non sequitur si uigilans uiuat, & dormiens sit mortuus: quòd habitus ille uiuendi utrunq; cōtineat, & ab utroq; inferatur tam habitu quàm priuatione. quare intelligatur locus, si habitus solum inferat habitum, & priuatio eiusdem priuationē alterius inferet, & contra tam constructiue quàm destructiue. Eodem modo oportet intelligere & locum à contrarijs: nam non oportet si timiditas inferat uitium seu sit uitiosa, ipsam audaciam esse studiosam, quæ conspicuntur contrariari: eo quòd utrunque sub uitio contineatur. quare idem dicatur & intelligatur. quòd si solum contrarium inferat illud contrarium, & reliquum inferet reliquum.

Similiter autē habitui & priuationi & in ijs quæ ad aliquid utrendum. nam cōtra seipsa & horū consequētia. ut si triplex multiplex, & subtriplex submultiplex. Dicitur enim triplex ad subtriplex quidem: multiplex autem ad submultiplex. Rursus si scientia opinio, & scibile opinabile: & si uisus sensus, & uisibile sensibile. Instantia quòd non est necesse in ijs quæ sunt ad aliquid cōsequentiam fieri, quæadmodū dictū est. nam sensibile scibile est: sensus autē nō est sciētia. Non tamen vera instātia uidetur esse: multi enim nō dicunt sensibilem scientiam esse. Insuper ad contrariū non minus utile quod dicitur: ut quòd sensibile non est scibile, neque enim sensus scientia.

Declaratio
 loci.

Sequitur locus ab oppositis relatiuè, in quibus omnino cõsimilis est differendi modus cū habitu & priuatione oppositis. Nam quemadmodum contra seipsa fiebat argumentandi decursus in oppositis priuatiuè, sic in his relatiuè oppositis, & constructiuus & destructiuus cõsistit problematis modus. ut si uelinus monstrare subtriplex esse submultiplex, per relatiuè opposita quòd triplex sit multiplex manifestamus. & filius genitus monstratur, quòd pater sit generans. Et destructiuè, scibile non esse opinabile: quòd scientia non sit opinio, ostenditur. & si uisus non sit sensus, uisibile non est sensibile. Obijciunt quidã non esse necessarium à relatiuis argumentum ad constructione problematis, quòd non probet quis sensum esse scientiam hoc argumento quòd sensibile sit scibile. An isti plurimū hallucinātur, qui hac ratione euertere locum imaginantur? Nam ut consequens falsum annuntiat, sic & antecedens. nam sensibilia sunt singularia, at omnis sciētia est uniuersaliū, sit igitur ut sensibilem non sit sciētia. Insuper in eos qui malè fidei accusant rationem retorquetur ratio. nam si instantia & horum obiectio stabilis recipiatur, cõsimili in eos agemus in contrariū & oppositum. nam si uelint sensum non esse scientiam, neque igitur sensibile erit scibile: cuius tamen oppositum uolebant. quare locus & constructiuus & destructiuus conspicitur tutissimus. simul euadit permantissimum ab omnibus oppositis locum firmum esse constructiuum & destructiuum, uaria tamen differendi lege: quòd in contradictorijs tantum ecouer so sit consequendi ratio. In contrarijs & contra seipsa & econuerso ratio deambulat. In relatiuis & priuatiuis solum contra seipsa. quæ omnia parū acute uidentibus figura depingimus rudiore.

28

A relatis.

Obiecto in locum.

A contradictorijs, econuerso.

Si album est coloratum, & non coloratum est non album.

A contrarijs, contra seipsa.

Si albū est disgregatiuū uisus, & nigrum est congregatiuum uisus.

A contrarijs, econuerso.

Si felix est studiosus, & uitiosus infelix.

A priuantibus, contra seipsa.

Si uisus est sensus, & cæcitas est insensibilitas.

A relatis, contra seipsa.

Si pater est generans, & filius genitus.

Destructiui omittuntur modi, qui ex his faciles habeantur. Complexiones oppositorum adinuicem negliguntur penes coniugatione con-

22 traditoriorum, contrariorum, priuantium, & relatiuorum: quod ex illis non coalescat ad differendum conueniens oppositio. nam homini & album & nigrum nullo modo opponuntur, neq; pater & filius, neq; cæcus & uidens. quare de his satis.

Rursus in coniugatis & in casibus & interimēti & con-
struenti. Dicuntur autem coniugata talia, vt iusta & ius-
tus, iustitiæ: & fortia & fortis, fortitudini. similiter autem
& effectiua, & conseruatiua, coniugata illorum sunt, quo-
rum sunt cōseruatiua, vel effectiua. vt sanatiua sanitatis,
& bene dispositiua bonæ dispositionis: eodē autē modo,
& in alijs. Coniugata igitur talia solent dici. Casus autē,
vt iustē, & fortiter, & sanatiuē, & bene dispositiuē, & que-
cunque eodem modo dicuntur. Videntur autem & quæ
sunt secundum casus, coniugata esse: vt iustē iustitiæ, &
fortiter fortitudini. Coniugata autem dicuntur secun-
dum eādē coniugationē omnia, ut iustitia, iustus, iustū,
iustē. manifestum igitur quoniā vno quouis ostenso eo-
rum, quæ secundum eandem coniugationē dicuntur, vt
bono vel laudabili, & reliqua omnia ostensa sunt. vt si ius-
titiæ est laudabilem: & iustē, iustus, iustū, laudabiliū est.
Dicetur autem iustē, & laudabiliter secundum eundem
casum: nam à laudabili, quemadmodum iustē à iustitiā.

29

A coniuga-
tis & casibus

Locus à coniugatis & casibus destructiuus & constructiuus pro-
blematis positi ab accidente. Coniugata dicuntur quæ ab eodem no-
mine diuerso modo fluxerūt. seu cū Cicerone, quæ sunt ex uerbis eius-
dem generis. Eiusdem autē generis uerba, sunt quæ orta ab uno uā-
rie commutantur: ut sapiens sapienter. hæc uerborum coniugatio οὐ-
ζυγία dicitur, ex qua huiusmodi est argumētum, si cōpascuus est a-
ger, ius est compascere. Casus est alicuius nominis principalis in aduer-
bium inflexio. Neq; enim eadem sunt casus & coniugata. nā casus con-
iugata dicuntur, non tamen omnia coniugata casus. Neq; tamen huius
distinctionis Aristotelem fateri oportet autorē, cum dicat οὐς οὐχ ἔστι τὰ
τοιαῦτα ἕωςδε λέγειν, id est, coniugata talia dici solent, quæ for-
tasse proprio nomine uocasset omnia denominatiua. quibus non solum
adiunguntur habitus & dispositiones, sed & effectiua horū & con-
seruatiua, & quæcumq; tali habitudine feruntur. ut si sit probandum

problema, homo est temperans, per casum, q̄ temperate uiuit ostenditur,
 nec uarie id destruetur. similiter per cōiugatam hominē salubriter a-
 gere ostendimus, q̄ salubris est, uel salubritatē habeat. per idem destru-
 ctua ratio ualebit. sunt itaq; omnes casus cōiugata, ut iustē. iustitiæ,
 & fortiter fortitudini. nam coniugata dicuntur, quæcūq; eandem ha-
 bent nominis coniugationē & deflexionem, ut iustitia, iustus, iustu, &
 iuste, omnia cōiugata existunt: quibus casus includi nemo dubitat. qua-
 re ad destructionem uel constructionem problematis sufficit differere
 per alterum horum de altero, quod magis aptum uidebitur proposito
 problemati. Neq; enim illa omnibus semper ex æquo peruia sunt: nam
 contingit aliquem scire unum coniugatorum familiari cognitione, non
 autem reliqua. quare locus disputationi incrementa dabit. ut qui ius-
 titiam laudabilem monstrat, q̄ iustus laude dignus est à cōiugatis de-
 flectitur ratio, sunt enim iustus & iustitia coniugata. si quis in hunc
 locum insistat, quod Aristoteles inquit in ethicis iusta agentes fieri ius-
 tos, uerū quod fit tale, nondū tale est, igitur non sequitur si iusta agit,
 iustum esse. Dicendum esse putabunt nonnulli, igitur quæ sunt iusti a-
 git, in conclusione: uel dicent fortasse alij intelligendum esse, cū cog-
 nitione & electione. Nimirum q̄ grammaticus sit, non ualeat ratio hæc,
 grāmatica loquitur, igitur grāmaticus est: quū & aues & pueri grā-
 matica loquantur: uerum id non arte & cognitione præstet. Cæterū si
 de calore instituat ratio uel aliqua qualitate alicui adhaerente, quæ
 tamen uim denominandi subiectū nullam habeat tale esse: nam non o-
 portet, si cuius in sit calor uel albedo, illud esse calidum uel album:
 quid isti respondebunt? comminiscenda fuerit sanè noua dissolutio, ni-
 si locum tanquā infirmum calumnientur. An isti omnes audire debeant
 quæ habet Aristoteles in principio huius, q̄ omnia illa accidentia quæ
 subiectum non denominant in sint secundum partem & non simplici-
 ter? non enim qui quouis modo iusta agit iustus est, ut is qui temere uel
 ignorans uel coacte iusta agit, ille secundum quid iusta agere dicitur,
 quod manifestū est ex quinto moraliū ad Nicomachū. Similiter cui inest
 albedo secundū quid & partē, id nō est dicendum album: sed cui albedo
 inest simpliciter, qui igitur probe locum intellexerit, calumniandi finem
 faciet. Danda tamē erit sollicita obseruatio in proprijs non uinibus in-
 flectendis: nam sæpe coniugata re ipsa facilius intelliguntur, q̄ nomine
 institueris. Laboramus enim quandoq; nominibus effingēdis, quod non
 prætermissum est in prædicamētis ab Aristotele, quū agendum esset de
 potentiariū qualitibus, quibus nō extāt nomina imposita. Quibusdam

uerò nomina sunt imposita, uerū ab his nihil denominatiuè dicitur, ut à uirtute studiosus non dicitur denominatiuè. Quædam sunt quæ nomine uidentur denominatiua, non autem re ipsa sunt, ut à somno qui diceret somniculosus, & ab officio officiosus denominari, deciperetur. neq; enim qui officium aliquod parat est officiosus, neq; à quouis somno somniculosus dicitur. De cōiugatis igitur nomine & re intelligatur locus, non autē de cæteris. Qui putat nullam esse discrimen inter casus & coniugata, sciant casus solum significare modum quendā, Coniugata etiam rem ipsam insinuare. Neq; arbitramur omnium coniugatorū esse eundem splendore, siue spectenus intellectū, siue sensum. sensu profecto notiora sunt deducta ipsis primigenijs. nā facilius cognoscimus quempiam iustum dici uel iuste agere, quam iustitiam illi inesse. signum huius patentissimum est, quod hominem iustum uel fortem dicimus, ignorantibus quid sit iustitia uel fortitudo. Adhæc, alterum se habet ut causa, reliquum ut effectum. quare non diffitemur, si reciproci sit differendi modus in causis & effectis, inter hæc mutuum esse discursum.

Considerandum autem non solum in eo, quod dictū est, sed in contrario contrarium. ut quod bonum, non ex necessitate suaue, neque enim malum triste: aut si hoc, & illud. & si iustitia sciētia, & iniustitia ignorātia: & si quod iuste est, scienter & experienter est: quod iniuste est, & ignoranter & inexperienter est: si autem hæc non, neque illa, uelut in hoc quod nunc dictum. nam magis utique apparebit quod iniuste experienter, quam inexperienter. Hic autem locus dictus prius in contrariorum consequentijs. nihil enim aliud ostendimus quam contrarium sequi contrarium.

30
A coniugatis
contrarijs

Demonstratur hoc loco à coniugatis contrarijs problema constructiuo & destructiuo: qui & prædicto adiungi poterat, nisi inferior intelligeretur, & modus illius daretur differendi in problema uberior. Non enim tantum à cōiugatis licet disceptare absolute, uel à coniugatis ut contrarietatem non obtinent inter se, sed & à contrarijs. nam & coniugatis contrarietas interuenire potest. quare ex contrarijs illis coniugatis constructionem & destructionem problematis nunc conspici oportebit. ut si quis utrum bonum sit suaue an non, dubitet: quod malum non sit triste, & malitia non sit tristitia mōstra-

bitur à contrarijs coniugatis . nam malum & malitia coniunguntur adiuicem, nec nō triftis & triftitia. fimuliter & iuftitia quod non fit fcientia probatur, quia iniuftitia non eft ignorātia, & iniufte agere nō eft ignoranter & fine electione, neq; iniuftus eft ignorās & inexper- tus: ex quibus fequitur à cōtrarijs coniugatis, q̄ iuftitia nō eft fcientia, neq; iuftus fciens, neq; iufte agere fciens. Iniufte agere non ignoran- ter & inexperienter oftenditur, fed magis experienter quod iniufta fa- ciamus electione & libere cū cognitione, quæ experientia ſunt ſigna. Hic autem locus dictus eft in contrariorū confectionibus, quibus con- trarium inferre cōtrarium dicebatur: non tamen quod omnino hic fit idem putandus. ille enim cōmunior, quo cōprehenduntur omnia con- traria: hic uerò ad contraria ſolum ſe porrigit coniugationē gramma- tices retinentia, & quæ denominationē occupent, quæ ſecūdm con- iugationem in diſceptionē aſciſcuntur. Virtutem non eſſe ſcientiam Socrates hoc modo contendit in Memnone, Cuius enim non ſunt præ- ceptores, nec diſcipuli: nec huius eſt doctrina, quod non docetur: uirtu- tis nuſquam præceptores reperiuntur. Nam (ut inquit Theognides) ſi ſana mens homini tradi poſſet, nultam ſanè magnāmq; mercedem, qui id efficerent, reportarent. Neq; enim bono ex patre filius malus eſſet, prudentibus monitis perſuaſus: uerum docēdo nunquam ex malo bo- num hominem facies.

Amplius in generationibus & corruptionibus, & ef- fectiuis & corruptiuis, & interimenti & aſtruenti. quorū enim generationes bonæ ſunt, & ipſa bona ſunt: & ſi ip- ſa bona ſunt, & generationes bonæ. Si autem generatio- nes malæ, & ipſa mala. In corruptionibus autem ecōtra- rio. Nam ſi corruptiones bonæ, ipſa mala: ſi autem cor- ruptiones malæ, ipſa ſunt bona. eadem ratio & in effecti- uis & corruptiuis. quorum enim effectiua bona, & ipſa bona: quorum uero corruptiua bona, ipſa mala ſunt.

Locus à generationibus & corruptionibus, ab effectiuis & corru- ptiuis, deſtructiuis & conſtructiuis problematis ab accidente. Quorū autē generationes bonæ, & illa bona: & contra, ſi ſunt bona, & gene- rationes eorundē ſunt bonæ. Reſpondent conſimili habitudine effecti- ua generationibus. quorū enim effectiua ſunt bona, & ipſa bona: & quæ ſunt bona, effectiua illorum ſunt bona. ut corporis uirtutes bo- næ oftenduntur, quod effectiua multorum bonorum ſint, quemadmo-

31
A cauſis &
effectibus.

dum sanitas & uiuendi & uoluptatis effectrix. proinde multis summum bonum uidetur, quod horum duorum causa sit, quæ præcipua sunt in uita. Et docendi atque agendi uirtutem bonam comprobamus, quæ bonorum effectiua sit. similiter ingenium, memoriã, discendi facilitatem, mentis præstantiam, scientias & artes esse bonas ostendimus. Eodem modo in sumptionibus, & usibus differitur. Neesse est enim bonorum sumptiones bonas esse, quas ne malum habeamus simul consequitur. Destructiuus locus facilis est ab omnibus illis: nam & per effectum nõ bonum, & generationem & causam non bonam: & per generationem non bonam uel causam, effectum non bonum indicamus. sic in effectiuis & sumptionibus. A corruptionibus, corruptiuis, & abiectiõibus, locus & constructiuus & destructiuus est, sed econuerso seruabitur argumentatio. nam non similis erit modus cum priore, quod si corruptiones bonæ sint, & ipsa habentur mala: & si corruptiones malæ, ipsa bona: & quorum corruptiua sunt bona, ipsa mala sunt quæ corrumpuntur: & quorum corruptiua sunt mala, ipsa bona sunt quæ corrumpuntur, in quibus seruatur ut uides denominatio præpostera & diuersa prioris ad posterius: ut si corruptio domus mala est, igitur domus dicitur bona: & si corruptio domus est bona, & domus est mala. Similiter abiectiões bonorum sunt malæ, & malorum bonæ. Hoc loco non solum causæ intelliguntur efficientes, sed & materiales, formales, & finales, in quibus uis ad utrumque seruabitur, simul euenta omnia, siue destinata siue effecta fuerint. Non remouebuntur à loco usus, in quibus ratio superioribus propinqua cognoscitur, nam quorum usus bonus est, illa esse bona colliguntur, & contra: quæ omnia ad uarium traducere usum conueniet pro problematum distinctione. nam huius loci plurimus est & frequens apud authores differendi modus ab euentis ad causas, & contra, tam destructiuus quam constructiuus.

Rursum in similibus, si similiter se habent: ut si disciplina vna plurium, & opinio: & si visum habere est videre, & auditum habere est audire. similiter autem & in alijs: & in ijs quæ sunt, & in ijs quæ uidentur. Vtilis autem hic locus ad utrumque. Nam si in aliquo similitum sic se habet, & in alijs similibus: si autem in aliquo non, nec in alijs.

probamus opinionem eandem esse plurium per hunc locum, quod disciplina sit eadem plurium. nam sicut se habet disciplina ad scibilia, & opinio ad opinabilia: atqui disciplina una est plurium scibilium: igitur & opinio plurium opinabilium. Destructiua trahetur ratio, quod si disciplina non sit plurium scibilium, neque opinio opinabilium, uel contra. Similiter monstramus uisum non sufficere ad uidendum, quod auditus non sufficiat ad audiendum, sed opus sit medio & distantia: uerum se habet auditus ad audiendum, ut uisus ad uidendum: quare si auditus non sit per se sufficiens, neque uisus. Et in cæteris est consimilis ratiocinandi forma, non solum in ijs, quæ talia sunt, id est similia, & uerè analogæ, quemadmodum in superioribus dicebatur, uerum etiam & in ijs, quæ uidentur similitudinem habere dictionum, uel rerum. ut qui contenderet uidere aliquem posse sine medijs distantia, quod tactus habeatur sine medio distante, sed propinquo solum, is non trahit à uerè similibus argumentum. non enim similiter se habet tactus ad tactile, ut uisus ad uisibile. eodem modo qui nititur stabilire quod uidere sit facere, quoniam clamare sit facere: & quod facere sit pati, quoniam laborare est pati. Nam hæc dissimilia sunt, quæ tamen possunt habere similitudinem analogicam apparentem. Hoc loco infirmabimus deligendos esse uel fauore uel pecunijs uel sorte palladij exercitus duces: quoniam ut se habet auriga ad currum, & rex ad regnum, & præfectus ad ciuitatem, & nauclerus ad nauem, sic doctor ad discipulos: At illi non sorte neque pecunia, sed scientia deliguntur præditi.

Considerandum autem & in uno & in pluribus si similiter se habet. Aliquoties enim dissonat: ut si scire est cogitare, & multa scire est multa cogitare: hoc autem non uerum. contingit enim plura scire, cogitare autem non. si autem non hoc, nec illud quod in uno, quod scire, est cogitare.

Locus à proportione secundum numerum constructiuus & destructiuus accidentis. ut per hunc locum construemus quod docere plures pluribus sit utile: nam docere unum est uni utile, sed sicut se habet unum ad unum, ita plura ad plura: igitur si unum docere est uni utile, & docere plures pluribus conferens. Considerandum est tamen an huius loci naturam recipiant quæ per hunc probantur, ne quis quæ non conueniant loco, in proportionis formam afferat, ut libera uel fortuita, non autem naturalia. Interdum uidentur dissonare proportionem numeri ad nu-

A pportio-
ne secundum
numerum.

merum: ut non uideatur, an scire unum, sit simul unū cogitare: quia oporteret scire multa, esse multa simul cogitare: at non contingit simul multa cogitare, cogitare enim animæ actum dicit & attentionem animi profundam, quam nemo plurium nancisci potest. Scire tamen contingit multa, quare non uideatur locus stabilis. An sicut scire multa, non est simul multa cogitare: sic neq; scire unum, est simul unum cogitare. Non enim scire est cogitare: etenim scire habitum significat & comprehensionem, nō actum: cogitare uerò, actualem animi commotionē. quare exemplum ad confirmationem loci de promptum est, non autem ut ipsum euerteretur exemplo: cuius & solutio redditur, sicut scire unā orationem colligimus non esse dicere unam orationem per hunc locum: quòd scire plures orationes, non est plures dicere & proferre.

Amplius ex magis & minus. Sunt autē eius quod est magis, loci quatuor. Vnus quidem, si magis sequitur magis: ut si voluptas bonū, & magis voluptas magis bonū: & si iniuriā facere malum, & magis iniuriam facere magis malum. Vtilis autem ad utrumque hic locus: nam si sequatur ad subiecti incrementum accidentis incrementum, quemadmodum dictum est, manifestum quòd accidit: si autem non sequatur, non accidit. hoc autem inductione sumendum.

Locus à cōparatione maioris & minoris, seu magis & minus constructiuus & destructiuus problematis accidentarij habentis extrema comparabilia, quem in quatuor diuidi partes quadruplex comparationum distinctio requirit. Nam uel unū uni comparamus secūdum magis & minus, uel duo uni, uel duobus unum, uel duobus duo. Pluribus enim modis duo extrema simplicia alijs comparari nequeunt. Primus igitur modus & locus simplicissimus est & natura prima sede collocandus, qui à cōparatione unius uni facta dicitur, uel secundum magis, uel secundum minus. ut uoluptatem esse bonum colligetur à cōparatione, quòd magis uoluptas sit magis bonum: destruetur autem, si magis uoluptas non sit magis bonum, simpliciter uoluptatem esse bonum. nam si comparatiuus comparatiuum non inferat, neque positiuus positiuū: si uero gradus gradum cōparatione concludat, & absolutum de absoluto dicitur. nam si non sequeretur ad subiecti incrementum & prædicati accidentis incrementum, neq; subiecto accidens inesset. quod manifestum esse potest in omnibus per inductionem. nam

33
A comparatione prim^o.

Ab ipso magis ad ipsum per se.

iniuriam facere malum concluditur hoc loco, quòd magis iniuriam facere sit magis malum. si tamen magis iniuriam facere non esset magis malum, neque iniuriam facere malum diceretur. Quid esset iniuriam facere dictum est prius. Voluptas autem est passio superueniens delectabilis actibus ipsis. quare bonam uel malam ex actuum bonitate uel malitia quos insectatur, deprehendes. A cõparatione minoris trahuntur & rationes in utrâq; partem. nam si minus inferat minus, & tale ipsum tale detrudet. nam si non sit illud, neque hoc erit. ut frigere malum ostenditur à cõparatione minoris, quia minus frigere est minus malum. uerum si minus frigere non sit minus malum, neque frigere erat malum. & sic destruetur quod ponebatur. facile igitur est in utranque deflectere partem ab hoc cõparationis loco rationem. nimirum ex cõparatione maioris uel minoris utriusque extremo problematis, extrema coniungi uel disiungi intelligere licet. nam si incrementum subiecti inferat incrementum prædicati, & subiectum per se prædicatum inferet: quod si non illud, neque istud uerum habetur. Taceo quod dicunt quidam cõparationem solum esse, quando duo uel plura uni tertio, quod est commune illis conferuntur. Hoc unum solum ab ijs requiram, ut dicant à quo loco sint prædictæ argumentationes. nõ enim sunt ab exemplo, quoniam nihil imitandum proponitur: neque à simili, ut notum est.

Ab ipso mi
nus.

Alius. vno de duobus dicto, si cui magis consentaneum est inesse non inest, nec cui minus: & si cui minus consentaneum est inesse inest, & cui magis.

Secundus locus à cõparatione maioris uel minoris constructiuus & destructiuus problematis facta à subiecto. nam quando unum prædicatum duobus subiectis confertur, si alteri magis uideatur conuenire, reliquo uerò minus, construitur quidem conuenire subiecto per ratione deductam à minore. Destruitur autem inesse argumẽto à maiore, quia id quod alicui minus uidetur inesse si inest, & illi cui magis uidetur, inerit: & cui dicitur inesse magis si non conueniat, neque cui minus. Vt querat quis utrum possit Franciscus Gallorum rex expugnare Italos, uel euertere Patauium: à minore monstramus, Potuit namque id dux Lautretius, necnon comes à sancto Paulo, in qua ratione conferuntur subiecta plura quibus idem prædicatum accidit, sed alteri magis alteri minus uidetur inesse. quare si minori inest, & maiori inesse concludimus prædicatum. si uerò queratur, an Borbonius poterit subiugare Gallias, destruetur hac ratione à maiore, Non po-

Secundus à
cõparatiões

tuit imperator, neq; Ferdinandus etiam penè fractis Galliarum rebus Gallias submittere. nã quod non congruit maiori, neq; minori: sed contrã quod conuenit minori, & maiori cõuenit. quare ex minore maioris producitur constructio, ex maiore minoris euerfio.

Rursum duobus de vno dictis, si quod magis videtur alij inesse non inest, neque quod minus: aut si quod minus videtur inesse inest, & quod magis.

Terti⁹ à cõparatione.

Tertius à comparatione locus ad utrunque paratus, quo duo prædicata inter se cõparata secundum magis & minus uni subiecto dicuntur inesse. Constructur igitur subiecto prædicatum inesse, quod alterũ prædicatum minus illi conueniens insit subiecto. Destruetur quidem quòd prædicatum id quod magis illi subiecto inesse uidebatur, non insit. ut si quæretur an rex tributarios Mediolanenses reddere potuerit, cõstruemus à maiore, ex parte prædicati, quòd rex illos subegerit. similiter Borbonius Romã obsidione cæpit, igitur & Bononiam potuit. destruemus à minore, Qui rem propriam regere non potest, neq; communem. Qui non est studiosus, neque igitur est felix. in his idem subiectum manet, at permutantur prædicata secundum magis & minus. & hic modus est præposterus ad secundum, quo idem seruabatur prædicatũ permutatione facta subiecti secundum magis & minus: hic uerò eodem subiecto manente transmutantur prædicata.

Rursum duobus de duobus dictis, si quod alteri magis videtur inesse non inest, neque reliquum reliquum. Aut si quod minus videtur alteri inesse inest, & reliquum reliquum.

Quartus à cõparatiõe

Quartus locus & ultimus à comparatione maioris & minoris duplicis naturæ sit, quando duo prædicata duobus subiectis conferuntur secundũ magis & minus. nam si alterũ prædicatum alteri subiectorum uideatur magis inesse, q̃ reliquũ prædicatũ reliquo subiecto, & nõ insit, destruitur problema. Si uerò prædicatũ suo subiecto insit cui minus dicebatur inesse, & alterũ prædicatũ magis conueniens suo inerit prædicato. vt sint uoluptas & labor duo subiecta, duo autẽ prædicata bonum & malum: quòd si bonum magis dicatur conuenire uoluptati quàm malum labori, si labor sit malum, & uoluptas bonum est colligendum: quòd si uoluptas non est bonum, neque labor erit malum. similiter eodẽ argumento monstramus, quòd discipulis non clarus Aristoteles uideatur, quoniam præceptores eum difficilem habeant. si in-

uenes parum delinquentes puniantur, quam pœnam furibus & homicidis constitues? si ciuitatis primates qui bene de repub. meriti sunt in exilium mittantur, quid de tibicinibus agendum?

Amplius ex eo quod similiter inest, vel videtur inesse, tripliciter: quemadmodum in eo quod magis, vt in posterioribus tribus dictis locis dicebatur. Siue enim vnũ quiddam duobus similiter inest, aut videtur inesse: si alteri non inest, nec alteri. si autem alteri inest, & reliquo. Siue duo eidem similiter, si alterum non inest: nec reliquum. si autem alterum, & reliquum. Eodem autem modo & si duobus duo similiter insunt. nam si alterum alteri non inest, nec reliquum reliquo. Si autem inest alterum alteri, & reliquum reliquo. ex eo igitur quod est magis & minus, & quod est similiter, tot modis contingit argumentari.

Locus à paribus cõstructiuus & destructiuus est problematis ab accidente: qui in tres partes distribuitur tribus postremis à cõparatione maioris & minoris respondentes. Nam primus modus qui habetur à cõparatione maioris & minoris non reperitur in paribus, q̄ idem seipsum non probat. quare supersunt tres modi. uel enim duobus subiectis unum prædicatum, uel uni subiecto duo prædicata, uel duo duobus æqualiter conferuntur. Primus modus quo pariter confertur unũ prædicatũ duobus subiectis respondet secundo à cõparatione maioris, secundus tertio, & tertius quarto respondebit. Per primum locum à paribus mōstramus, si Lautretius potuit deuincere Neapolitanos, & comes à sancto Paulo. Hac ratiõẽ duobus subiectis in pari collatis prædicatum idem inesse destruemus, & cõtra. nam qui alterũ parium destruit, & reliquũ: & qui alterũ constituit, & reliquum, q̄ paria æqualiter cõueniant uel dissentiant, ut receptũ est satis communi adagione, Parium est idem iudicium. Secundus locus à paribus est quo conferimus duo paria adinuicem uni subiecto, quorũ si alterum dicatur inesse illi, & reliquum: & si alterum remoueaturn à subiecto, & reliquũ. ut regẽ posse Romanos bello & armis expugnasse probamus, q̄ potuerit Neapolitanos uel Sueuos pares uiribus. Destruemus uerò quippiã per hunc locum, quãdõ, cũ ab eodem subiecto alterũ parium remouebimus, necesse fuerit auferrẽ reliquũ. Tertius & postremus locus est quo duo prædicata duobus subiectis æqualia conspiciuntur. Vt qui probat im-

34
Prim.º à pa-
ribus.

Secundus.

Tertius.

m.ij.

peratore Turcas oppugnasse, quare regem Gallie Lutheranos uincere posse: paria enim predicata facimus paribus subiectis conferenda. Infirmabit regem Anglie posse impetere Picardos quod rex Scotie Britones non possit infestare: comparantur Anglus & Scotus tanquam pares, & Picardi & Britones similiter. quare manifestum est a comparatione sue maioris, siue minoris, siue paris, & ad destructionem, nec non compositionem problematis non admodum difficile esse congregari. Neque idem est locus a paribus illi, qui dictus est a proportione, quod in illo non desideretur rerum comparatarum equalis, sed solum consimilis habitudo & relatio: hic uero paritas & equalitas solum petitur. In figuram non depingimus comparationis modos, quoniam est cuiusuis posse hanc componere.

Amplius autem ex appositione. si alterum ad alterum appositum faciat bonum vel album, cum non fuerit prius album vel bonum, quod appositum est erit album vel bonum: quale reuera & totum facit.

35
Primus ab
appositione

Interpretatio
loci.

Locus ex appositione constructiuus solum, qui duplex est, prior a simplici dicitur. si quippiam tale alicui subiecto adueniens non tali, illud per appositionem efficiat tale, necesse est dicatur esse appositum tale, quale est id quod efficitur. ut aliquid album cognoscemus per hunc locum, quod appositum alicui subiecto non albo album ipsum denominet. Similiter & uirtutem esse bonam, quia alicui adueniens non bono bonum instituat. Locus tenendus est in ijs, quae secundum naturam existunt, non autem secundum legem & hominum impositionem. Nam si quis sex uncias sex uncias adiunxerit, faciet libram, tamen sex unciae libra non sunt: & si quaternario adueniat unitas, quinque constituuntur, non tamen unitas talis est. Caeterum bene argui potest illud esse graue, quod grauius faciat: & hoc esse numerum, uel numeri principium, quod maiorem componat. Praeterea solum intelligendus est in ijs quae sine commistione subiectum quale faciunt. hoc enim dixerim propter eam misionem quae confert ad subiectum: ut unum melli commistum mixturam componit aliquam alicuius denominationis, quam neutra pars sortitur. quare oportet appositum alicui non conferre ad illius subiecti denominationem.

Amplius autem si aliquid facit id ad quod est appositum magis tale quale erat, & ipsum erit eiusmodi. similiter autem & in alijs. Vtilis autem non in omnibus hic lo-

cus, sed in quibus ipsius magis crementum accidit fieri: ille verò locus non conuertitur ad destruendum. nam si non facit quod appositum est bonum, nondum est manifestum an ipsum non sit bonum. nam bonum malo appositum non ex necessitate bonum totum facit: nec album nigro, nec dulce amaro.

Posterior locus ab appositione, qui secundum comparisonem desumitur maioris. Nam si quid per appositionem subiecto quali id ipsum magis tale constituat & reddat, & quod apponitur ei erit eiusdem denominationis cum subiecto: ut si quid nigrum sit, & nigrius reddatur per accessum alicuius illi factum, quod accedit & apponitur, nigrum concludendum est. Nec solum locus qualitibus accommodatur, sed & alijs: ut quantitibus. nã si quid appositum magno maius faciat, id magnum est: & si graui adiunctum, id grauius conficiat, id graue dicendum est. Destructiuus locus non est, qui prior dicitur. non enim oportet, si diuitiæ uitio adiunctæ uitium non faciant bonum, quòd bonæ non sint. Similiter si dulce amaro iungatur, etsi ipsum non fecerit cui apponitur dulce, non tamen oportet quòd non fuerit dulce. Hic uerò non est utilis in omnibus construendis problematibus ab accidente, quòd nõ omnia incrementum maioris uel minoris suscipiant, ut perliquidum existit.

Secundus ab appositione

Rursum si quid magis & minus dicitur, & simpliciter inest. Quod enim bonum vel album non est, neque magis & minus bonum vel album dicitur. Nam malum de nullo magis vel minus bonum: sed magis malum vel minus dicitur. Non conuertitur autem hic locus ad destruendum. multa enim eorum quæ nõ dicuntur magis, simpliciter insunt. nam homo non dicitur magis & minus, sed non propter hoc non est homo.

Locus à comparatiuo ad positiuum constructiuus solum. Quando enim aliquid dicitur secundum comparatiuum, eidem conueniet dici & simpliciter seu secundum positiuum: illi siquidem soli adiungimus magis & minus tale, quòd tale est. nẽpe quid ineptius esset, quàm dicere melius uel albius quippiam quòd neque bonum est neque album? Non enim de bono malum secundum magis & minus dicitur, quòd prorsus bonitate uacet. Quòd autẽ secundum magis & minus dicitur

36
A comparatiuo.

m. iij.

de aliquo, & positiuum, seu nomen simplex & per se de eodem oportet dici: nisi abusiua utamur comparatione, quam toto orbe eliminamus. Scimus enim dici ab Aristotele quarto de celo aerem esse leuiorē aqua, non tamen leuem: similiter aquam grauiorem terra, non tamen grauem. quod graue id sit quod omnibus subsidet: & id simpliciter dicitur graue: leue uerò quod omnibus supereminet. Aqua uerò & aer grauiā & leuiā secundū quid dicuntur. Similiter nonnunq̄ dicitur malum, altero eligibilius uel melius: sed hæc improprie & secundum relationem, non autem simpliciter sumuntur. De quibus igitur locus intelligatur sit notum. Non tamen destructiuus est à comparatiuo. nō enim oportet, si quid non dicatur secundū magis & minus, q̄ simpliciter nō insit. nam non solum in quātitatibus, sed & substantijs id exploratissimum euadit. Non enim sequitur, Socrates non est magis homo uel minus quā Plato, igitur non est homo.

Eodem autem modo considerandum & in ijs quæ secundū quid & quando & vbi. Nam si secundum quid cōtingit, & simpliciter contingit. Similiter autem & quādo, & vbi. nam quod simpliciter est impossibile, neq̄ secundū quid, neq̄ secundum vbi, neque secundum quando contingit. Instantia, quoniā secundum quid quidē sunt natura studiosi, vt liberales uel casti, simpliciter autē nō sunt natura studiosi. nam nullus natura prudens. Similiter autem & quando contingit corruptibilem aliquid nō corrumpi, simpliciter autē non cōtingit non corrumpi. Eodem autem modo & vbi expedit quidem tali obseruantia victus uti, vt in morbosis locis, simpliciter autem nō expedit. Adhuc autem alicubi quidem vnum tantū possibile est esse, simpliciter autem non possibile, vnum tantum esse. Eodem autem modo & alicubi bonum est quidem patrem sacrificare, vt in Tribalis, simpliciter autem non bonum. An hoc quidem non vbi significat, sed quibusdam? Nihil enim refert vbiq̄ sint: vbiq̄ enim erit eis bonū qui sunt Tribali. Rursus aliquādo quidem expedit medicari, vt quando quis ægrotat, simpliciter autē non. An neque hoc quādo significat, sed in eo quod afficitur aliquo modo? Nihil enim refert quādoq̄, dum.

modo sic affectus sit. Simpliciter autem est, quod nullo addito dicis, quòd bonum est aut contrarium: vt patrem sacrificare non dicis bonum esse, sed quibusdam bonum esse. non ergo simpliciter bonum. Sed deos honorare bonum dicis nihil addens: simpliciter enim bonum est. quare quod nullo addito videtur esse honestū vel turpe vel aliquid talium, simpliciter dicitur.

Locus ab eo quod dicitur secundū determinationem constructius est quodāmodo ipsius simplicis, superiori plurimū cōiunctus. nam sicut quod secundū magis alicui inesse dicitur, & simpliciter illi inest: ita & quod secundū quid inest uel aliquando uel alicubi, & simpliciter inesse uidebitur. qui enim secundū quid uidet animal, & simpliciter uidet: & quod aliquando factum, & simpliciter factum concluditur: & qui sanatur Parisijs, sanari simpliciter creditur. Verum hic locus parum idoneus ad eos, qui pertinaces habentur: qui eneruis sit & robur nullum continens. nam fides & credulitas omnis ex eo habetur, quoniam id omne quod simpliciter & uniuersaliter alicui inesse dicitur, impossibile est cōsentire, nisi secundū quid, & aliquando, & ubi, eidē insit. quare ut cōsentaneum putatur, quod secundū quid uel tempus uel locum alicui insit, & simpliciter inesse. Id tamen non necessarium, neque uerum in omnibus. nam æthiops est albus secundum dentes, non autem albus. Vnde id dicitur inesse simpliciter, quod seposita omni determinatione uel temporis uel loci uel alterius inest. Quod uero desiderat, ut insit alicui & uerificetur, determinationē, nō simpliciter dicitur inesse. Vt homines nonnulli secundum quid studiosi dicuntur, eo quòd natura sint liberales, seu ingenii & temperantes, & natura casti: quos tamen simpliciter non appellamus studiosos. Nā contingit sic bene natos ad uirtutes perditissimam degere uitam. quare natura & cum determinatione studiosi censentur, nō autē simpliciter. Nullus enim simpliciter est studiosus qui prudens non fuerit, ut sexto ethicorū confirmatur: at prudentia naturalis nō est, sed multo tempore, longo usu & bonis actibus stabilitur: manifestum igitur parum esse tutū argumentum ab eo quod est secundū quid determinatū ad ipsum per se. similiter ab eo quod est secundum tempus, parum sanā esse rationē ad ipsum simpliciter ostendetur. nā non sequitur, aliquādo non corrūpitur, igitur est incorruptibile: & si quis aliquando non respiret, non oportet eum non esse respiratiuum. Non dissimili lege argumentū non uale-

37

A determinato ad simplex.

re cōprobatur ab eo quod est secundum locū ad ipsum per se deflexū. non enim est conueniens simpliciter concludere opus esse diæta, quod conferat in morbosis locis uictus ratio. similiter non colligemus unicum solum esse hominem simpliciter, etsi in aliquo loco unus solus potest esse homo: ut in theatro, uel scanno, uel sub sellio. Neque pium esset fateri patrē uenire sacrificandum, quod alicubi uel apud quasdam barbaras nationes id obseruetur. ut quod Tribali Thraciæ populi patres dijs confecerent, uel quod Carthaginenses homines dijs sacrificent: nam licere id Carthaginensibus in Minoe tradit Plato. Neque refert ad fidem nostri instituti his duobus exemplis utamur uel loco uel gentibus locum incolentibus: nam his gentes & nationes execrabilis ritus intelligebatur, non locus. similiter quum dicimus cōferre medicamenta laborantibus, tēporis cognitionem uidemur innuere. nam quando laborant, medicamenta conferunt. An tamen accommodētur potius tali modo dispositis & habitui, quā temporis? nam q̄ sic disponatur, illis sanitas conducat. Quouis modo igitur determinetur, non est per se necessarium argumentum cū determinatione ad simpliciter dictū: etsi nonnunquā id accidat, ut ratio sit stabilis. Ab ipso tamē per se & simpliciter dicto ad determinatū, ratio ad construendum & destruendum est efficacissima, quæ quasi natura respondeat loco à toto. nam per se dictum & simpliciter ad terminatum se habet ut totum ad partem. quare qui nouit in uno differere, & in reliquo consequetur uim non difficilem ad congregiendū. Id simpliciter dicitur, quod nullo constringitur sine & determinatione, sed quod liberum est ab omni coactionis lege siue ipsum propositum siue illi contrarium. ut uirtutem esse bonam, & uitium esse malum dicimus simpliciter. nam citra omnem determinationem, uel loci, uel partis, uel temporis, uera sunt. Ex quibus omnibus magnā in problemata accidentis differendi facultatem sibi conciliabit, qui locos omnes prædictos & præcepta è quibus rationes & argumēta trahantur in talia problemata, tenebit. quos omnes in numerum & figuram resoluemus, ut uisu innotescant.

Loci omnes quibus do-
cuit hoc libro Aristote-
les differēdi copiam in
problema accidentis.


- 1 à prædicatorum distinctione
- 2 à partibus & toto
- 3 à definitione
- 4 ab instantia
- 5 ab authoritate
- 6 ab æquiuoco
- 7 ab amphibolia
- 8 à transsumptione
- 9 à subiecto genere
- 10 à supposita specie
- 11 à genere prædicante & specie
- 12 à definitionem destruentibus
- 13 ab antecedentibus & consequentibus
- 14 à tempore
- 15 per digressionem
- 16 à consequentium multitudine
- 17 à contrarijs immediatis
- 18 ab etymologia
- 19 à differentijs
- 20 à polyonymis
- 21 à contrarietatum complexione
- 22 à contrarijs mediatis
- 23 à contrariorum connexionem
- 24 à contrariorum subiecto
- 25 à contradictorijs
- 26 à contrarijs
- 27 à priuantibus
- 28 à relatis
- 29 à coniugatis & casibus
- 30 à contrarijs coniugatorum
- 31 à causis & euentis
- 32 à proportione bifariam
- 33 à comparatione maioris quadruplici
- 34 à parium trina comparatione
- 35 ab appositione dupliciter
- 36 à comparatiuo
- 37 à determinatiōe loci, tēporis, uel modi

ANTO. DEMOCH. HYPOMNEM A

Loci Themistij, Ciceronis, & Agricolaë, ad Aristotelis locos
(qui numeris significantur) relati.

THEMISTII.	CICERONIS.	AGRICOLAE.	
Definitio	3	Definitio	3
Descriptio	3	Totum	3
Interpretatio	18	Partes	2.10
Consequentia	16	Notatio	18
Genus	9.11	Coniugata	29
Integrum	9.11	Genus	9.11
Species	10	Forma	10
Pars	2.10	Simile	32.34
Efficiens	31	Differentia	1.19
Materia	31	Cōtraria	25.26.27.28
Forma	31	Adiuncta	19
Finis	31	Antecedentia	13
Generatio	31	Consequentia	16
Corruptio	31	Repugnantia	26
Vsus	31	Efficiens	31
Cōter accidēs	19	Effectum	31
Casus	29	Comparatio	33.34
Coniugata	29	Iudicium	5
Diuisio	2.10		
Iudicium	5		
Simile	34		
Maius	33		
Minus	33		
Opposita	25.26		
Proportio	32		
Transsumptio	8		
		Definitio	3
		Genus	9.11
		Species	10
		Proprium	3.8
		Totum	9.11
		Partes	2.10
		Coniugata	29
		Adiacentia	19
		Actus	19
		Subiecta	24
		Efficiens	31
		Finis	31
		Effecta	31
		Destinata	31
		Locus	37
		Tempus	14.37
		Connexa	19
		Contingentia	19
		Nomen	18
		Pronuntiata	5
		Comparata	33.34
		Similia	32
		Opposita	25.26.27.28
		Differentia	1.19

Quo & absolutius & familiarius quibus ab Aristotele traditos locos cōsequeretur eos uelut in tabula depinximus: simulq; adiecimus eregione tres locorum ordines, quorum primus est Themistij, medius Ciceronis, postremus Agricolaë, in unam classem Aristotelis principem redigēdos numerorum admonitu: qui ad quem locum oporteat reducere unumquēque habitudinem adinuicem desideranti indicant. nimirum omnes loci ad illos reuocantur quorum notā & numerū consimilem referūt.


ANTONII DEMOCHARIS

RESSONEI IN TERTIVM LIBRVM
TOPICORVM ARISTOTELIS,
HYPOMNEMA.



Trum autē eligibilius aut melius duorum pluriūmve, ex his quidem perspicuum . Primum autem determinetur quòd considerationē facimus non de plurimum distantibus, & magnam adinuicem differentiā habentibus. nullus enim dubitat, utrum felicitas an diuitiæ expetibiliores, sed de ijs quæ propinqua sunt, & de quibus dubitamus vtri oporteat apponere magis: eo quod nullam videmus alterius ad alterū præminentiam. manifestum igitur in his quòd ostensa vna præminētia vel pluribus, cōstituetur intelligentia, quòd id eligibilius est, quod eorum est præminens.

Clara admodum accidentis locorum traditione in medium de prompta, quibus accidens alteri conuenire uel disconuenire simpliciter demonstratur, amplius locorum declaratio requiritur, quibus fiat manifestum ipsum accidens non solum inesse subiecto: sed & magis uel minus unum supra reliquum inesse ostendatur. Quare & hic liber locos constituit ad differendum in problema accidentis. Nam est de locis ad problema in comparisonem uocatum . ordinantur autem omnes cōparationes & annectuntur accidenti: ut in primo dicebatur, quando omnes quæstiones quatuor prædicatis & totidem problematum generibus concludi monstrabantur . simul in solis accidentibus cōparationes admittuntur, cum magis & minus solum accidentibus competant. Generi enim secundum magis & minus de speciebus prædicari non cōuenit: neque proprio similiter, quòd intensiōnem uel remissionem non admittat: neque termino, qui sit rei ipsius tota substantia: neque etiam magis & minus differentiæ accommodabitur . Superest itaque ut accidenti contribuamus cōparationum multiplices formas, quæ extra rerum naturas habeantur . accidens nimirum quæ

De proble
mate acci
dētis cōpa
rati in hoc
agitur.

Cōparatio
ad accidens
pertinet.

Affinitas
huius cum
superiore.

extra substantiam conspiciuntur utrisque ubi amplectitur: & quasi suo sinu fouet quæ mutationi fortunæ subduntur, quæ incrementum uel decrementum sentire possunt, sex quibus magis & minus possidere innatum est. Proinde nulli esse potest obscurum quæ sit huius libri cum superiore affinitas: cuius tanta est, ut nullis precibus, neque minis, neque quouis molimine ab eo disiungi possit: illi tanquam primo parenti omnia concedit, omnia debet: à cuius nutu discedere non contendit, quem uoluisse sequi ingenui est pudoris: quod plurimum iuuaret ad reliquas accidentis quæstiones dissoluendas. Nam sæpenumero manifestum est accidens alteri adhærere, similiter eidem & reliquum inesse: utrum tamen horum illi magis insit, in discrimen non leue negotium trahitur. De his igitur quæ subiectis accidunt incrementum & decrementum recipientibus conueniens post superiorem uidetur disquisitio: ut non solum teneamus accidentia subiectis conuenire, sed & quæ magis inesse, & quæ minus dicantur. nam talium problematum à cõparatione secundum magis & minus tam copiosum est semen, ut per omnem totius philosophiæ patentem campum liceat disseminare. Crebræ per moralem profecto methodum sparguntur à cõparatione quæstiones, ut de eligibiliore & his quæ relationem habet ad bona & eligibilia, uel fugienda & mala. Naturali philosophiæ inseruntur, quæcunque de rebus naturalibus cõparationes dicuntur. ut si quærat, utrum maior sit luna quàm terra, an non? utrum motus circularis sit simplicior quàm rectus, an non? seruabit logice suas partes, ut utrum credibilior inductio quàm syllogismus, an non? sit ne prima figura præstantior cæteris? Agnoscit musice, utrum harmonia acutior sit gratior, an non? Medicina habet, utrum sanitas eligibilior quæ restituitur per uenæ sectionem, an per potionem & pharmacum? & ita reliquæ disciplinæ suas possident propriæ rei quæstiones. Licebit talium quæstionum copiam agnoscere quam plurimam ex decem illis rerum primordijs & summis decem generibus, à quibus omnibus (uno substantiæ prædicamento prætermisso, cui nõ cõuenit ut substantiæ accidat substantia: fit tamen & illa quæstio, utrum magis prima substantia sit substantia quæ secunda, an nõ?) quæstiones multo plures enascuntur Cadmi socijs, quos ex dentium satione prodijisse commemorarunt poetæ. A quæritate itaq; trahuntur tales, sit ne sol maior luna? sit ne mûdus finitus? sint asra paria, an non? secundum qualitatem autem, utrum albius cygnus niue, an nõ? utrum calidior ignis sole, an nõ? A relatione, utrum geometria sit magis scientia quæ musica, an non? uel utrum auditus sit magis


Cõparatio
frequens dis
ciplinis.

Cõparatio
colligitur
ex prædica
mentis.

sensus quàm tactus? A prædicamento ubi, utrum maius dominium in corde, an in cerebro existat? uel utrum Lutecia melius studere sit, an Louanijs? à prædicamento quando, utrum roburnum præstātius in hyeme quàm æstate? an scombri in aprili suauiores? Ab actione, utrum qui incidit uenā magis sanat quàm pharmacum? secundum passionem, utrum magis alteretur ignis, an aqua? secundum habitum, utrum magis animā habeāt animalia quàm plantæ? secundum situm, sit ne sol in medio planetarū uel altior Venere? Præstabit, ut efformetur ac prouehatur tenelli adolescentum animi ad dulcissimos dialectices fructus, comparationū multiplices formæ explicentur: superuacanea enim opera iam pridem eruditus insumitur omnis. Conferuntur autem plura uni accidenti. ut quū quæritur utrum sanitas an diuitiæ eligibiliores? in eligibili comparatur sanitas & diuitiæ. aliquando plura cum adiunctione eidem conferuntur, ut utrum prudentia cum diuitijs sit eligibilior quàm temperantia cum sanitate? aliquādo duo conferuntur eidem, sed alterū coniunctum, alterum simplex: ut utrum sanitas cum diuitijs sit eligibilior quàm prudentia? aliquādo conuerso ordine. interdum unum pluribus accidentibus confertur: ut utrum prudentia magis sit actiua quàm contemplatiua? Interdum unum coniunctum duobus: ut utrum prudentia cum sapientia sit magis actiua, quàm contemplatiua? interdum duo duobus, ut utrum temperantia sit magis actiua quàm sapientia contemplatiua. Nonnunquam etiam duo adinuicem ad duo accidentia, ut utrum sapientia sit actiuior simul & contemplatiuior quàm prudentia? sed hæc arte doceamus & non tantum exemplis. Comparabilia uel plura uni, uel unū pluribus, uel plura pluribus sint. at unū uni nō comparatur secundum magis & minus, quòd opus sit tertio quodam. Si uero plura uni conferantur accidenti, uel simplicia sunt, uel coniuncta, uel mixta. Simplicia quidem, ut si sanitas & diuitiæ eligibili secundum magis & minus conferantur: Coniuncta uero si prudentia cum diuitijs & temperantia cū sanitate in eligibili: Mixta uel quando simplex primū dicitur & coniunctū secundū, uel cōtra. ut si prudentia & sanitas cum diuitijs in eligibili, uel cōtra sanitas cū diuitijs & prudentia in eligibili conferantur. Comparatur autē pluribus unū accidentibus, uel unū simplex duobus simplicibus: ut utrum prudentia sit magis actiua quàm contemplatiua. uel unū coniunctū eisdem: ut an prudentia cū sapientia sit magis actiua quàm contemplatiua. uel confertur unūquodq; uel coniunctis pluribus, uel alteri coniuncto, & alteri simplici: ut utrum prudentia sit actiua magis cum uirtute morali quàm contemplatiua, uel utrum magis sit actiua

Modi cōparationū uas rij.

cum iustitia, quàm contemplatiua cum arte, & contrà potest fieri cõparatio. Plura pluribus conferuntur uarijs modis, quos figura & clarius & breuius accipies.



Diuisionis
huius in tria,
prima pars.

Discrimen
huius cũ su-
periore.

Suspicionis
remotio.

Præscribenda uenit totius libri in tria diuisio: ut quæ traduntur intelligant apertius omnes. In primis disponuntur loci particulares ad problemata comparatiua, de quibus summa est totius cura. Problemata autem comparatiua uocamus, in quibus comparatiuum queritur seu prædicatum his aduerbijs magis & minus determinatu, ad quæ demonstranda uel destruenda locorum cognitio desideratur. Neq; quempiam autumare oportet locos à cõparatione libro superiore traditos conferre ad problemata comparatiua, q̄ illis solum accidens inesse uel non inesse simpliciter ostendebatur. non enim est idem per cõparatiuum ostendere quidpiam inesse uel non inesse, & comparatiuum colligere. de hoc solum agendũ est nunc, illud uero omnibus cõmune & ad omnia problemata siue accidentis, siue generis, siue proprij, siue termini deducitur. Problemata igitur quæ in comparationem uenerunt maioris uel minoris, discutientur locis ad hæc designatis. Nec te moueat, quo minus intelligas omnia in cõparationem detorta problemata hoc libello examinari, dictum illud: Vtrum autem eligibilis, aut melius, ex his perspiciendum. nam quodcunque problema comparatiuum instituat, locis istis & præceptis uel firmatur uel infirmatur. Verum de eligibili problema constituitur in quod differendum sit, quod usus locoru nullus consistere potest nisi problema aliquod figatur in quod opus explicetur, usus paretur non infrequens: at eligibile inter cætera omnia quæ comparantur plurimum est in singulis artibus & disciplinis, communèq; sit omnibus. de quo diuersè in omni philosophia quæstiones circumsferuntur. quare ponendum potius fuit problema in disceptationem de eligibiliore & meliore, quod utilissima illorum comparatio sit & cõmunißima supra cætera. Nam de maiore, de calidio-

re, de albiore, de uelociore, & talibus, quæstiones non tantum usum sup-
 peditabunt ad differendum, quod rariores existant, & locorum traditio
 ad has sit admodum mæca, locorumque numerus minor multo. quare hac
 subtili & artificiosa institutione melioris & eligibilioris constituuntur
 problemata, non quod putandum sit locos tradendos hoc libello solum
 conferre ad problemata eligibilioris uel melioris, quibus & respondet
 loci in problemata deterioris, fugibilioris, & contrariorum. Traduntur
 insuper & uniuersales loci in problemata comparatiua uniuersali no-
 tione enuntiata, qui secunda huius parte suo ordine digeruntur. Postre-
 mo non negliguntur loci quibus usus conciliabitur in problemata ac-
 cidentis particularia & constructiuus & destructiuus. Neque omittend-
 um est eligibilis & melius non comparari adinuicem, quod ad plura
 se porrigat nomen melioris. nam eligibilis & eligibile ad uirtutes re-
 uocantur, bonum & melius etiam cæteris contribuuntur, ut contem-
 platiuis disciplinis, naturalibus, & rationalibus: quarum exempla facilia ni-
 mis. Dicitur duorum uel plurium, propter uarias comparandi formas,
 quibus cõperiuntur duo in uno, uel plura in pluribus, uel unum in duo-
 bus collata: unum uni non comparatur. His utcumque delibatis ad loco-
 rum traditionem transeundum, quibus in problemata cõparatiua con-
 grediendum sit: dummodo intelligamus non in omnia à comparatio-
 ne problemata certamen ineundum esse. sunt enim quædam adeo ho-
 minibus perspecta in discrimine, tãtõque interuallo distantia, ut nullus
 sit qui superuacaneas non æstimarit talium & quæstiones & in eadem
 disceptationes. Nemo me hercle tam infelici est ingenio natus, cui diui-
 tiæ præpollent felicitati, uel erit dignus qui omni sensu cõmuni care-
 re putetur, non aliter quam Anaxagoras, qui nigram esse niuem tra-
 didit. Deferenda igitur erunt in medium & in quæstionem deflecten-
 da quæ dubitatione incutere ualeant ob exiguam inter se naturæ di-
 stinctionem, & alterius supra alterum incrementum. talium enim fa-
 cienda est indagatio, quæ propinqua & inter se coniuncta adeo uiden-
 tur, ut non nisi ratione intellectus deprehendatur utri illorum in cõ-
 tentionem uocatorum oporteat plus uel minus adiungere, ut de uisu &
 auditu, uter præstantior, quæstio. Construuntur igitur loci ad differen-
 dum in problemata à cõparatione in quibus propinqua & syngenea
 in dubium trahuntur, atque colliguntur per hos eligibiliora uel melio-
 ra, quibus ipsum magis ascribetur. Nam ostenso uno gradu & præemi-
 nentia unius ad alterum, uel pluribus, id intelligendum erit eligibilis,
 quod alterum excedit. id autem excedit, quod tantum est, & amplius.

Secunda.

Tertia.

exceditur, quod inest: quod Aristoteles in rhetorice inquit, ἔστω δὲ ἡ
περὶ ἄλλοις μὲν τοῦτον καὶ ἑτέροις ὑπερεχόμενον ἢ τὸ ἐν ἑαυτοῖς. quare
re plura bona uno uel paucioribus inter plura connumeratis notū sit
eligibiliora esse. nam excedunt illa, hæc uero exceduntur.

Primum igitur quod diuturnius stabiliusue est, id eligi-
bilis est eo quod minus tale.

Primus locus
cus à tem-
pore.

Primus locus & constructius & destructius problematis compa-
rati dicitur à tempore. si sane duo in comparationem uocentur bona
quæ eligibili conferantur, id cuius tempus suæ durationis maius con-
stituitur quàm reliqui, dicendū eligibilis, si in cæteris propinqua sint:
nam maxime rationi est consentaneum id eligibilis concludatur, quod
diuturnius & stabilis monstratur, in reliquis alteri consentiens. Nam
si plurimo disiungerentur interstitio, dicimus nullum locū ad hæc uti-
lem. quare non licebit argumentari uirtutem esse præstantiorē felici-
tate, quod antiquior sit: uel sensus scientia præstantiores, quod sensus
ab ipsa iuuentute habeamus & toto tēpore uitæ, non autem sciētiam:
quoniam in his insignis est unius ad alterum supereminētia. quare ri-
diculus erit qui de talibus rationes fecerit plurimum inter se dissiden-
tibus. Proponēdū est igitur problema ab accidēte, quo dubitatur utrū
unū sit eligibilis altero, ut utrū temperātia sit eligibilior liberalita-
te, an non: quum utraque sit uirtus, & hæc plurimum inter se consen-
tiant, per hunc locū monstratur illa eligibilior quæ diuturnior: ut tem-
perantia, quod diuturnior & stabilior sit quàm liberalitas, dicitur eli-
gibilior: nemo enim multo tempore liberalis permanet. similiter & qui
temperātia iustitiam monstrat diuturniorē, & eligibiliorem ostendit.
Diuturniora enim minus diuturnis, & stabiliora instabilioribus maio-
ra sunt, quoniam usus illorum quidem tempore, horum uero uolunta-
te, superat: nam rei stabilis usus præsto magis est cum uolueris. Non
dissimiliter locum accommodamus fugibiliori & deteriori. Datis enim
duobus fugilibus uel malis, quod permanentius & diuturnius fuerit
in reliquis similiter se habens cum altero, id est deterius uel fugibilis:
quare auaritia deterior prodigalitate per hunc locū monstratur. auar-
ritia enim est morbus inualescēs tēpore & propemodū incurabilis. Si
quis hunc locum parū bene animatus impetat, q̄ Aristoteles in ethicis
albedinem unius diei non minus esse perfectam albedine mille anno-
rum dicit, igitur non ex tēpore maiore colligēda est alicuius præemi-
nentia. An quæ eadem sunt specie non hoc loco cōprehendūtur? quod
maxime propinqua esse uideantur, quorūque perfectio eadem pla-

Nodi diffor-
lutio.

missime cognoscitur. Nam si cut maxime diuersa, quodd nullam suæ distinctionis ambiguitatem habeant, non locis continentur: sic quæ proxima sunt, quia suæ coniunctionis naturalis apertâ fidem habent, nulla indigent præceptorum institutione quibus magis illucescant.

Et quod magis eligit prudens, vel bonus vir, vel lex recta, vel studiosi circa singula delecti, quatenus tales sūt, vel in vnoquoque genere periti, vel quæcunq; plures, vel omnes (vt in medicina, vel ædificatoria, quæ plures medicorum, vel omnes) vel quæcunque omnino plures, vel omnes, vel omnia: vt bonum. Omnia enim bonum appetūt. Oportet autem ducere ad id quod fuerit vtile, quod dicendum est. Est autem simpliciter quidem melius ac eligibilius, quod secūdm meliorē disciplinam: vt si melior scientia, philosophia sit fabrili, & simpliciter eligibilia sunt quæ secundum philosophiam, his quæ secundum fabrilē sunt. Alicui autem, quod secundum propriam.

Secundus locus ab autoritate & iudicio constructiuus & destructiuus problematis eligibilioris. id nāq; esse eligibilis putabitur, quod prudens, uel quicunq; uir bonus, uel lex recta, uel studiosi circa bona & singulas uirtutes delecti, uel qui in singulis artibus sunt periti, uel quicquid eligibilis homines prædicant, uel omnes, uel plures: ut in medicina illud eligibilis esse creditur, quod plures medici esse eligibilis prædicant & attestantur, uel quod omnes scribunt, quàm quod pauciores, uel non omnes decernunt. In ædificatoria uerò arte id eligibilis, quod fabri uolunt uel plures, uel omnes ad domus compositionem: & simpliciter, quod plures uolunt, uel omnes appetunt, siue circa rem particularem, siue communem mentem adhibeant, id est eligibilis. & non solum id eligibilis uel melius censetur quod plures homines, uel omnes tale præcipiunt, sed & quod bruta & cætera ratione carentia appetunt. His enim omnibus modis eligibilioris & melioris problema coniectare ualebimus, uel constructiue, uel destructiue. Nam cū prudentes nō prudentibus sint præferēdi, & boni nō bonis, & recta lex iniquæ, & uniuersaliter, qui circa aliquid studiosi sunt, quatenus tales dicuntur, fide digniores sunt non talibus. Similiter artifices in proprijs artibus præstantiores inertibus. Nam quod omnes

Secundus, ab
autoritate

eidem rei incumbentes eligibilius proclamauerint, id tale credendum est: uerum si non omnes, quod plurimi & illustres maxime deligunt, id magis eligendum colligetur. Cæterum id tacere non possumus, quod non idem putamus intelligi per prudentem & legem rectam: quod prudens magis est eorum quæ sunt incerta & indeterminata, quorumque euentus est multiplex. Leges autem sunt definitæ & de præscriptis rebus inductæ: ut sunt Draconis leges, siue Solonis, siue Lycurgi, siue Cecropis, quæ quoniam omnia scriptis continere futura non poterant, præsidio prudentis opus est qui circa hæc uersetur, qui legislatoris mentem proferat, legem interpretetur. Est enim prudentis in rebus ciuilibus bonum commune procurando deliberare, iudicare, & imperare quod decreto & consilio melius collectum est. quare & id omne ratum & firmum acceptandum est. Medici autem, in his, quæ ad sanitatem pertinent humanam, est eligibiliora perpendere. quare & talia diiudicanda sunt quæ præscripserit, & uniuersaliter (ut paucis finem imponam) est uniuscuiusque artificis splendidiora cõttemplari ad suum opus & finem. quare quæ qualia quilibet sanciuuit, & talia putandum est esse, nemo enim iudicio sanus alicui credendum esse temere putabit, qui in alienam (quod aiunt) messem falcem misit, quique in de non sine magna sui nominis iactura discedere possit, plurimum quidem in propria arte gratiæ consequenturus. Danda est igitur his fides qui in germanis officijs multam laudem promerentur ad constructionem problematis melioris, quoniam unusquisque est bonus iudex eorum quæ nouerit. Ad destructionem autem locus iuuenam non minus uirile exhibebit, per quem contendemus quod non omnes id melius, uel eligibilius quod ponitur esse pronũtient, uel quod docti non ita putent, uel aliquis percelebris nominis non ita sentit. nam nulla res ferme est, quæ non in partes uarias sit diducta, & cuius non sint diuersæ & philosophorum & uulgarium, uel eorundem inter se opiniones. quare auctoritate conuenienti supplantandum ueniet problema. ut si leges quippiam melius & eligibilius constituerint, uel non constituerint, admouendæ erunt leges in partem contrariam, uel cõstitutiones eiusdem regionis, uel diuersarum contrariæ, simul proferetur consuetudo (si fieri commode possit) ad problema. Leges non semper obseruari multis exemplis firmare erit studendum, simul docendum quod sæpe ob uarias temporum occasiones abrogentur, ob hominum diuersos mores instituatur: quod ratio dissentiat, necessitas legibus repugnet monstrandum. & in singulis in quibus ex auctoritate possumus rem osten-

Vnicuique ex
perito credendum est.

dere perspiciendum est. Nam frequenter authoritates philosophorum uel uulgariū, rationibus uidentur repugnare. quare licebit in utraque partem per hæc differere. Efficacissimum tamen fuerit illud argumentum à ratione stabili cuiuspiam, quod Socrates erudite insinuauit in Gorgia, cum Dolus iniuriatē beatum esse posse defenderet, & Archelaum Macedoniae dominatē in exemplum detorqueret: Socrates uero tueretur nullum iniustum esse felicem, etsi multi fateantur oppositum. Nam sic inquit, O beate, oratorum more conuincere me contendis, quemadmodum in iudicio fieri solet, ubi alij alios conuincere se opinantur. nam pro sua causa multos ac probabiles adducunt testes, si aduersarius aut nullum, aut unum aliquē produxerit testem. eiusmodi uero probatio nullius ad ueritatem est momenti. sæpe enim falsa testimonia, & à multis, & ab ijs qui uideantur idonei, solent afferri: atqui in præsentia de his quæ tu dicis omnes ferme Athenienses & peregrini tecum sentirent, si uelis contra me testes producere: me si quidem afferre falsa tibi attestabuntur, siue Niciam accersas Nicerati filium, fratresque eius secum (quorum sunt in Dionysio tripodes ordine quodam dispositi) siue Aristocratem Sicellij filium (cuius in Pythio munus extat pulcherrimum) seu totam Periclis domum, seu aliam quamlibet Atheniensium familiam uelis in testimonium aduocare: At ego unus tibi non assentior, non enim me rationibus cogis, sed falsis testibus contra me productis ex ipsa ueritatis substantia me deicere moliris. uide reliqua si pluribus exhilareris. Præter inuentionem opus esse iudicio nullus uelit tergiversari, quod singulis omnia non conueniunt, sed quædam unicuique sunt consentientia: ut qui uelit ostendere uirtutem esse præstantiorem uoluptate, non eisdem rationibus edisseret cum eo qui uoluptatem uirtuti præferendam conabitur: sed ille sapientum & studiosorum proferet oracula & testimonia, hic uero multitudinem in fidem congregabit, quod omnes uoluptatem affectent. Verendum est magnopere ne temeritate iudicij quæ etiã pulchra sunt incaute sine delectu & composito ordine ad certamen mittantur. Iuuabit etiam locum diuisio bonorum & eligibilium penes authoritatem facta. Nam quædam eligibilia alijs, alijs autem non. Neque idem omnibus est eligibilis, quod est aliquibus. quare diuidantur eligibilia in ea quæ omnibus & simpliciter uidentur, & quæ quibusdam. simpliciter dicuntur eligibilia, quæ secundum meliores disciplinas. quare si philosophia melior sit disciplina quam tectonice,

Testib⁹ nō credit Socrates, sed rationi.

Diuisio bonorum recepta cōfertur.

et simpliciter erūt eligibilia quæ secundum philosophiã, quàm quæ secundum tectonicen. In fugibilibus et deterioribus facile erit ex dictis argumentari: ut auaritia detestabilior quàm prodigalitas ostenditur, quoniam philosophi omnes eam execrentur. accommodatur et locus non solum eligibili et meliori, sed est communis omnibus alijs comparatis. in quam sententiam uenit Aristoteles in Rhetorice, cum inquit, Quod censuerūt aut iam decreuerūt prudentes uel omnes, uel multi, uel plures, uel prestantes maius bonum, id necessarium aut simpliciter ita se habere, aut ut secundum prudentiam iudicarunt. Id autem alijs est cōmune. Nam et quid et quantū et quale se habet, ut scientia et prudentia iudicabit. Nos reposuimus exemplum quod omissum erat in latinis codicibus, cuius (ut magis nobis fida lector) Aristotelis uerba deprompsimus, quæ sic habet, οἷος ἐὶ βελτίωρ ἐπισημὴν φιλοσοφία τεκτονικῆς, καὶ ἀπλῶς ἀρετώτερὰ τὰ κατὰ φιλοσοφίαν τῶν κατὰ τεκτονικῆν.

Deinde autem id ipsum quod est in genere, eo quod non, ut iustitia iusto. Nam illa quidem in genere bono, hoc autem non: & illa quidem id ipsum quod est bonum, hoc autem non. nam nihil dicitur id ipsum quod genus est, quod non sit in genere: ut albus homo, nō est id ipsum quod color. similiter autem & in alijs.

3
A genere. Locus est constructiuus et destructiuus eligibilioris à modo prædicandi generis. Quoniã quædã genera prædicatur de speciebus proprie et in quid, de subiectis uerò secundum accidēs. ut color de albo proprie dicitur, et ut genus, de corpore autē ut accidēs. si igitur uelimus in eligibiliore aliqua cōferre, quorū alterū in genere uel boni uel eligibilis ostenditur, sed alterum ut habens ipsum accidēs eligibile: id eligibilis est cōcludēdū quod in genere boni uel eligibilis ponitur, seu de quo prædicatur proprie eligibile uel bonum quatenus genus est: ut qui mōstrat de iustitia bonū proprie dici et genus esse iustitiæ, de iusto autē homine idem secundū accidēs dici et nō in quid: cōcludit iustitiã esse eligibiliorem iusto: quod alterū per se bonum sit, alteri autē accidat. sed quod proprie est bonū uel eligibile ipso nō proprie bono est eligibilis. iustū tamen est in genere boni, ut iustitia: sed iustus homo et qui habet bonū, nō est. Nam id de quo genus prædicatur proprie et ut genus est, id est in genere: at quibus accidit, nō amplius ut genus de his prædicatur: ut color de albo colore proprie prædicatur, de albo homine nō proprie:

quod illi accidat. quare in omnibus bonis id construatur altero eligibilius, de quo bonum genus proprie prædicatur, & nõ de altero. Destruatur id esse eligibilius, cui bonum accidit, & de quo non proprie prædicatur. In fugilibus id peius iudicabitur altero, de quo malum genus proprie prædicatur: uerum minus malum cõprobabitur, si malum illi accidat. sæpe enim in laudãdis & uituperãdis utimur hoc genere dicendi, ut aliquem nõ uocemus tantum hominem malum, sed & ipsum malum uel malitiam: ut qui Ciceronem non solum hominem eloquentem, sed ipsam eloquentiam appellant ad maiorem laudem defleunt. ὁπερ (qua particula usus est Aristoteles) proprietate indicat, ut ὁπερ ὁπὲρ κρυψὸν ὄψ, & ὁπερ ἀγαθὸν proprie bonum significat: quod interpretatum reliquimus id ipsum quod est bonum, quod fortasse dici posset, quatenus bonum, seu proprie bonum. hac dictione utitur sæpe cum differit in Parmenidem primo physicorum. Eodem loco monstramus superficiem magis quantam quam albedinem, & de superficie quantitas genus prædicatur per se, de albedine seu albo secundum accidens. & ita in cæteris dicendum est, id esse eligibilius cui bonum conuenit proprie & uere, quam cui secundum accidens & improprie.

Quibus fræ
quæ locus.

Et quod propter se eligendum, eligibilius eo eligendo quod est propter aliud: ut sanum esse, quam exerceri: illud enim propter se eligendum, hoc autem propter aliud.

A bono propter se locus & constructiuus & destructiuus. Nam bona quedam propter se tantum, ut felicitas & quæcumque honorabilia: quedam propter se & propter aliud, ut uirtutes morales & potentia: quedam propter aliud, ut diuitia & bona utilia. quare quæ primi ordinis dicuntur bona, præstantiora cæteris: quæ secundum, præstantiora bonis tertij. si igitur sanum esse sit propter se eligendum & in secundo ordine bonorum, & exerceri in tertio, & propter aliud bonum: concludendum est ex hoc loco, sanum esse eligibilius quam exerceri. Si autem contra monstraretur, destruendum: ut quod per se expetibile, eo eligibilius est quod non per se: ut amicus eligibilior pecunijs, & uires salubribus eligibiliores, quod hæc non sui gratia, illæ sui gratia & propter se. Nam ratione boni per se expetuntur.

4
A bono pro
pter se.

Et quod per se, eo quod per accidens: ut amicos iustos esse, eo quod inimicos. illud enim per se eligendum, hoc autem per accidens eligimus, ut nihil nobis noceat. Est au

n. iij.

tem hoc idem ei quod ante hoc, differt autē modo. Nam amicos quidem iustos esse propter se eligimus, etsi nihil nobis debeat fore, quanuis apud Indos sint: inimicos autem propter alterum, vt nihil nobis noceant.

A bono
per se.

5 Locus superiori adiungitur à bono per se & constructiuus & destructiuus. Nam bonorum quædam secundum se bona & eligibilia, alia uero secundum accidens. secundum se dicuntur, quæ secundum propriam naturam talia sunt. secundum accidens uero, quæ non sunt, sed illis accidit ob circumstantiam, uel loci, uel temporis, uel modi alicuius. si igitur aliquibus prioris membri eligibilia conueniant, illa præstantiora dicuntur, quàm quibus posterioris: ut amicos esse iustos est eligibilis, quàm inimicos esse iustos nobis. nam amicos esse iustos per se est eligibile, non per accidens, quòd propter amicum agit quæ bona amico amicus cognouit, & per se bonum amico inesse affectat. Inimicos autem bonos & iustos esse uolumus, iustitiámque bonum illis precamur non per se, quòd non sit inimici proprium inimico uelle bonum (nisi inimicus fieret amicus) sed secundum accidens: ne nobis noceat. nam iusti nulli iniuriam faciunt. ut ergo nobis minime afferant iniuriam, uolumus esse iustos: quare nō nisi per accidens uolumus esse iustos. Differt hic locus à superiore penes diuersum pronuntiationis modum, quòd ille diceretur à diuisione bonorum propter se & propter alterum, hic uero sit per se & per accidens. Verūtamen prorsus non sunt idem, quia non omnia per se, sint propter se (nam frigentibus calor, & calentibus frigiditas per se eligibilis, non tamen propter se: quum cōtingat, ut nō frigeant, uel caleant) uerum quæcunq; propter se sunt eligibilia, sunt per se. nam amicos propter se uolumus esse iustos, etsi nullam debeamus reportare commoditatem: ut si apud Indos existat & regiones longinquissimas, à quibus non potest esse auxilij uel usus spes: eosdem & secundum se seu per se uolumus esse iustos. Inimicos autem propter alterum, & per accidens uolumus esse iustos, ut non afferant nobis iniuriam: non enim est iusti iniuriam inferre. quum igitur uelimus illos non iniuriam nobis facere, & eosdem iustos studiosissime poscimus. Facile est argumentari destructiuus, necnō in contrarijs ex loco eodem. Non adiunximus id quod in exemplum adfertur in latinis uoluminibus, hoc, Nam inimicos iustos esse secundū accidens eligimus, quòd uacasset.

Et quod causa boni per se, eo quod per accidens: quæ

admodum virtus, fortuna. Nam illa quidem per se, hæc autem per accidens est causa bonorum, & si quid aliud huiusmodi. Similiter autem & in contrario. nam quod per se est causa mali, fugibilis est eo, quod per accidens: ut vitium quam fortuna. nam illud quidem per se malum, fortuna autem per accidens.

Locus à causis ad utrumque firmus. sunt autem eiusdem causæ efficientes aliæ per se, aliæ per accidens: ut ædificator domus est causa per se, albus vel musicus per accidens. Causa per se est, quæ cum ad aliquid suapte natura sit, ordinem in se habet & causalitatis nomine pariter exprimitur. Causa per accidens dicitur, quæ ad effectum non ordinatur, neque nomine causæ exprimitur. Et causa per accidens in fortunam, casum, & neutram secatur. Fortuna quidem, est causa per accidens agentium secundum propositum eorum quæ raro eueniunt & alicuius gratia. Casus est causa per accidens, quæ extra semper & frequenter & alicuius est gratia. Causa quæ neutra est, dicitur per accidens quæ nullius gratia sit, ut inter ambulandum lapidem mouens, aut qui barbam fricat. de his omnibus plura habet in secundo physico-rum Aristoteles. si igitur huius farinae dentur duæ causæ, quæ alicuius boni causa est per se, illa est eligibilior quàm ea quæ per accidens. sic uirtus est præstantior fortuna nec non diuitiis: quod per se uirtus bonorum est causa, fortuna autem uel diuitiæ per accidens. In contrariis & fugilibus causa mali est per se magis fugienda, quam per accidens, ut uitium fugibilis quam mala fortuna, etsi utrumque sit fugiendum. Ion poeta, quæ admodum refert Plutarchus de fortuna Romanorum, scripsit fortunam & sapientiam res diuersissimas simillarum rerum effectrices esse: utranque enim uiros augere, ornare, in gloria euehere, in opes & in imperia. Apud quosdam male audit uirtus ut bonum, sed dispendiosum: Fortuna uero ut instabile quid, tametsi bonum, nulli tribali clauo sua beneficia affigens. Quidam fortunam omnia nobis edentem conferentemque naturam esse autumarunt. unde illud, sed te fortuna deam facimus, cælumque potentem. quidam uero sapientiam, cui alludit is cuius dictum, Aurea si quis habet pondera, doctus erit. quare colligitur illa disceptatio speciosa admodum atque mirifica, quæ in questionem uenit, utrum terra, mare, cælum, astra, à fortuna potius, an à providentia sint condita.

Et quod simpliciter bonum, eo quod alicui eligibilis:

n. iij.

6

A causis
per se.

vt sanum fieri,quàm incidì.Nam illud quidem simpliciter bonum,hoc vero alicui indigentium incisione.

7
A simpliciter bono.

Locus à simpliciter bono constructiuus, & à bono alicui destructiuus. Simpliciter bonū dicitur, quod omnibus bene dispositis secundū naturā est bonū: ut sanitas & uirtutes. simpliciter etiam salubria appellatur, quæ omnibus bonæ cōstitutionis talia sunt & bona, ut ambulatio & exercitiū. Quædam autem non simpliciter salubria, sed aliquibus: ut male dispositis & ægrotantibus bona sunt, incisio uenæ, purgationes, ieiunium, & quæcunque conueniunt male sanis. sic non simpliciter bona, quæ aliquibus taliter dispositis sunt bona, ut paupertas, uituperatio, punitio. Si igitur proponatur bona aliqua, & alteri illorum conueniat esse bonū simpliciter, alteri uero nō, quod simpliciter est bonum id concludendum est eligibilius altero, & alterum destruitur esse melius, cui secundum quid & partem cōuenit esse bonum, & non simpliciter. In contrarijs proportione quadam erit differendum.

Et quod natura est, eo quod non natura: vt iustitia iusto. illud enim natura, hoc autem acquisitiuum.

8
A bono natura.

Locus à natura bono. Quoniam quædam sunt quæ natura sūt & instinctu quodā natiuo, quædam autē consimilia illis arte sūt & legibus & exercitio, ut in plurimis conspiciere licet. Nam ars æmula est nature & sedula simia. Quæ igitur sūt bona natura, præstātiora sūt cōsimilibus bonis arte uel legibus uel exercitio acquisitis. ut iustitia eligibilior iusto colligetur per hunc locum, quod iustitia sit bonum natura, iustus uero consuetudine & exercitio. Non enim diffitemur esse quandam iustitiam innatam, & secundum illam iustum dici natura: nec talis acquiritur usu uel exercitio, quod in sexto Moraliū ab Aristotele scribitur duplex uirtus, naturalis & moralis in parte morali: ut due species inopinatiua anima, naturalis & acquisita. cuius cōtextus habet, ὡς ἢ φρόνησις πρὸς τὴν δαμότητα, οὐ ταυτὸν μὲν, ὁμοίον ἢ: οὕτω κ' ἢ φυσικὴ ἀρετὴ πρὸς τὴν κερίαρ. πᾶσι γὰρ δοκεῖ ἐκαστὰ τῶν ἠθῶν ὑπάρχειν φύσει ὡς. καὶ τῶν δίκαιοι, καὶ σωφρονικοί, καὶ ἀνδρείοι, καὶ τ' ἄλλα ἔχομεν ἐνθὺς ἐκ γενετῆς. uide reliqua sub finem libri. Cæterum nō uelim quempiam differere per locum hūc in rebus longe diuersis & non seruantibus cognitionem adinuicē: ut qui pulchritudinem innatā conaretur monstrare sciētia meliorem seu eligibiliorem, turpiter falleretur, qui pulchritudinem innatam & acquisitā assumere debeat. ita in cæteris eiusdē nominis cōferenda sūt.

Quæ hoc loco cōparetur.

similiter de uitijis dicemus, detestabilius id dici quod natura insit, quàm quod usu uel exercitio. Naturalia enim omnia altius nobis infixata sunt, & uix euelli possunt. Quod Cicero, ut omnia diligenter memoriæ mada uit libro de Fato, ubi de libero arbitrio differens, inquit: Quoniã in naturis hominũ dissimilitudines sunt, ut alios dulcia, alios subamara delectent: alij libidinosi, alij iracundi, aut crudeles, aut superbi sint: alij talibus uitijis abhorreant. Non enim si alij ad alia propensiores sint propter causas naturales & antecedentes, idcirco etiam nostrarum uoluntatum, atque appetitionũ sunt causæ naturales & antecedentes. nã tum nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Ibidem, de Stilpone Megaræo philo sopho acuto, qui natura uinolentus erat, omnẽ tamen uinolentiam repressisse eum commemorat. Zopyrus physiognomus Socratem dixit stupidum esse, & mulierosum natura: quæ omnia studio & labore extirpauit.

Et quod meliori & honorabiliori inest, eligibilis: ut deo quàm homini, & animæ quàm corpori.

Locus à subiecto digniore. Quæ meliori & eligibiliori insunt, in quantum huiusmodi eligibilia, eligibilia sunt eligibili non taliter se habent. quare quæ deo, intemeratæ uirgini, angelis, & cælicolis omnibus insunt, eligibilia sunt bonis, quæ homini nunc insunt. ut immortalitatem, agilitatẽ, impassibilitatem, cõtèmpationem, hymnos, ueram sapientiam, & cæteras dotes nobis absconditas probamus per hunc locum eligibiliores esse his omnibus bonis quæ insunt hominibus: ut sanitatem, uirtute, diuinitijis, encomijs, philosophia, fortitudine, pulchritudine, & talibus. similiter & intelligere præstantius ostenditur quàm sentire, quod illud sit animæ, hoc autem corporis. Nam probabile est, quorum subiecta dignitate & perfectione distinguuntur, & quæ illis insunt talem retinere habitudinem. Nam ut in rhetorice tradit Aristoteles, quod melioribus inest, uel simpliciter uel ut meliores, id melius est: ut fortitudo est robore melior, quod illa sit animæ, hoc corporis. destruitur autẽ quod non inest meliori, esse melius uel eligibilis. In uitandis differetur utrouis modo seruata semper habitudine per hunc locum: ut uitium in nobili homine abominandũ magis esse, quàm in sordido & seruili seu abiecto ducimus. nã quod inscit subiectu dignius, execrabilis. quod Martialis nasutissimus de uino iocatur quodã epigramate: Conuiuæ meruere tui fortasse perire, Amphora non meruit, tam pretiosa mori. De nobis facile est, scelus est iugulare Falernum. Et dare Campano toxica seua mero. De corporis & animæ dignitate Plato in Alcibiade disserit.

9
A subiecto digniore.

Et quod melioris est propriū, melius quā quod peioris: vt quod dei, quā quod hominis. Nam secundum communia in vtriusq; nihil differunt abinuicem, proprijs autem alterum alteri differentijs supereminet.

IO
A proprio.

Locus à proprio ad utrāque partem deflectendus. Quod melioris subiecti est proprium, præstantius quā quod deterioris. Neque enim omne bonum quod alicui inest, dicendum est proprium: ut sanitas homini inest bonum, non tamen illius est proprium. Monstramus per hūc locum immortalitatem esse præstantiorem risibili & discipline susceptiuo, quōd immortalitas dei sit propriū, reliqua hominis. Nam si secundum communia non differant abinuicē uel differre ponatur, quōd animalia defendantur & substantiæ, & corpora, & animata: proprijs tamen differentijs inter se disiungentur. Fuit enim Aristotelis sententia deum esse animal. Nec est quōd quidam Platonis sententiam dicant sequi, nisi omnia uelint esse Platonis quæ sunt Aristotelis. Similiter si falsum est dictum, quid est quur calumniam in Platonis inuidiam conuertant? quum esse diuinum omnes consentiant Platonem, & de supranundanis quæ omnibus inaccessa & inuia forēt, non minus plane quā subtiliter differuisse confiteantur. utri plus sit tribuendū ipsi uiderint, qui Aristotelis errorem (si error sit dicendus) Platonis errore operiunt. Non desunt tamen qui eandem utriusque fuisse sententiam deierent, uerbisque discrepasse solis: quod non diffitetur Cicero, Boetius testatur. Fuit & Picus Mirandulanus qui consentiētes tanquā digito ostendere tentauit. Sunt & nostræ tempestatis uiri illustres, qui partim conati sunt aperire, ut Leonicus in dialogo cui nomen Bembi dedit. Proinde qui putant rationem effugisse (ne soluisse dixerim) quod ad Platonem negotium transferat, nec non Aristotelis autoritatem illuc deducant, non satis prudentes ueniunt, mea opinione, dicendi: quōd uel in eodem errore utriq; uersentur, uel alterū alteri inferiorē fecerint. sed ueniamus unde sermo noster effluerat, quum ponerētur deus & homo superioribus & communibus consentire, & neutrum neutri superemineret peiore & meliore, relinquitur penes propria melioris & peioris differentiam dignoscendam: quibus alterum alteri superiorē esse coniectandum est. Et quod de deo dicitur, de Christo intelligamus, qui uerus est deus: illi cū homine cōmune est, ut sit substantia, corpus, animatum, animal. Nam nemo negabit ipsum substantiam esse: quam incorporeā sateri piaculum esset: quōd corpus habeat assumptū

In eos q Aristotelisdis
ctā Platonica ferunt.

ex purissimo inuolatæ uirginis sanguine, quod nunq̄ dimissurus est. animatu esse, q̄ animam cōprehendat, intelligimus: & eo animal, q̄ sensibilibus sit. Nā organis corporeis & sensibus resulget potētissimis. & rationali anima insignitur, quā à nostra non differre unanimi theologorum consensu quondam decretū est. Vtrum tamē Christum hominem, animal, animatu, corpus, substantiā, uocabimus nominibus cōsuetis & eadē significatione acceptis, quibus hominē mortalem dicimus, an facta & noua nominū significatione Christū hominē & animal & alijs uoculis circūferemus, in præsentiarū nō laboramus. nā quidā finxerūt hominis uocē Christo conuenientē esse cognotatiuā, nobis uero absolutā: sed his supersedemus, ut institutū prosequamur. si Christus & homo mortalis in cōmunibus non disiungantur, sed proprijs differentijs: q̄ Christi præstatiores constituatur differentiæ q̄ hominis (nā immortalē esse Christo cōuenit, quod præstātius est q̄ mortalē esse) homo Christo imperfectior cōcluditur. Pro arbitrio exēpla de sumas, astringenda tamen semper locis ueniēt, si hæc nō placeant: neq; enim nos in exēplis uim omnē reponimus quæ suppositione efferātur, ut si quæ cōmunia sint uel ponantur, per distinctionē priorū in dignitate, & subiectorū monstramus differentiam. Non putamus amplius esse opus repetitione uel admonitione loci circa contraria, quōd res illa omnibus peruia fiat ex illa protrita omnium sententia, Oppositorum est eadem disciplina.

Non repetētur destrusctiui modi.

Et quod in melioribus uel prioribus uel honorabilioribus, est melius. ut sanitas robore & pulchritudine. Nā illa quidem in humidis & siccis & calidis & frigidis &, ut simpliciter dicatur, ex quibus prius constitutum est animal: hæc uero in posterioribus. nam robur in neruis & ossibus, pulchritudo autem membrorum quædam commensuratio videtur esse.

Locus à meliore subiecto, à priore & honorabiliore probatius melioris uel alterius. Qui à superiore differt qui est à subiecto, q̄ hic cōpositior, & continēs subiecto meliora, priora & honorabiliora. si igitur comparētur adinuicem quædam secundum eligibile, quorum alterum in melioribus, alterum in peioribus: uel hoc in prioribus, illud in posterioribus: uel unum in honorabilioribus, reliquū in minus talibus: id melius est concludendum, cui supereminentia tribuitur. ut scientia id melius est concludetur, q̄ scientia in anima, sanitas in corpore eligiatur: at melius est anima ipso corpore. Similiter per eundem lo-

II
Locus à subiecto meliore.

cum ostenditur sanitas eligibilior robore & pulchritudine, q̄ sanitas sit in temperatura quatuor qualitatum primarum: caloris, frigoris, humoris, & siccitatis: robur autem in commensuratione partium simularium, nervorum, musculorum, ossium, cartilagium, carnis, & similiarum. Pulchritudo autem est in symmetria partium dissimilarium, in magno corpore, ut vult Aristoteles in moralibus, qui inquit, Magnanimitas enim in magnitudine, sicut & pulchritudo in magno corpore consistit. parui vero urbani sunt, qui membris appositi, sed non pulchri. Et robur eligibilius pulchritudine, quod in prioribus sit. Nam triplex est animalis compositio, prima ex elementis & eorum uirtutibus, secunda ex partibus simularibus, tertia ex dissimilaribus. Super his consule Aristotelem secundo de animalium partibus. Eligibilia & bona esse defenduntur ab Aristotele, sanitas, robur, & pulchritudo libro rhetoricas primo, in quo felicem omnibus suis coloribus depingit post descriptiones uarias pro opinionum diuersitate, cui omnia bona contribuit, ἀ δὴ ἐστὶν ἢ εὐδαίμονια τοιοῦτον, ἀνάγκη αὐτῆς εἶναι μέρη, εὐγένεια, πολυφιλίαν, χρησοφιλίαν, πλοῦτον, εὐτεχνίαν, πολυτεχνίαν, εὐχηρίαν: ἔτι τὰς τοῦ σώματος ἀρετάς, οἶον ὑγίαν, κάλλος, ἰσχυρ, μέγεθος, δύναμις, ἀγωνιστικῆς, δόξαν, τιμῆς, εὐτυχίαν, ἀρετήν, ἢ καὶ τὰ μέρη αὐτῆς φρόνησις, ἀνδρεία, σωφροσύνη, δίκαιοσύνη: οὕτω γὰρ ἄρ' αὐταρκείατος ἔη, & reliqua perquire.

Et finis ijs que sunt ad finem eligibilior videtur esse.

I 2
A fine locus Locus à fine conclusiuus eligibilioris. Cum finis sit cuius gratia alia sunt, præstantior esse debet medijs ad ipsum conducentibus & eligibilior. quare si alteru sit finis alterum non, id quod finis, est eligibilius. nam sui gratia alterum expetitur. ut sanitas per hunc locum ostenditur eligibilior exercitio, quod alterum propter alterum fiat: similiter eandem præstantiorem cõcludimus ambulatione uel calefactione, cum hæc illi inferuiant. nam dominiũ supra media finis habet, quod clare Socrates in Gorgia monstrat, nos non uelle media nisi propter finem.

Et duorum quod propinquius est fini.

I 3
A ppinquitate finis. Locus à finis propinquitate. si dentur duo media quorum alterum magis accedat ad finem quàm reliquum, quod propinquius fuerit, dicendum est eligibilius. Nam finis præstantior est medijs, ex superiore loco: quod autem magis amicum & simile præstantiori, id præstantius est & eligibilius reliquo: igitur medium magis fini coniunctũ, est eligibilius. ut cum ad facultatem militarem seu uictoriam equestris facultas & ars conficiendorum frænorum, & omnis ars effectrix instru-

mentorū equestrium tanquam ad finem instituatur, id quod propinquius fuerit uictoriæ, eligibilis erit: quare equestris facultas præstantior erit quam χαλινοποιητικη. & uirtus eligibilior diuitijs, quod ad felicitatem humanæ uitæ finem magis accedat. Et hic locus de medijs eidem fini comparatis secundum propinquitatem intelligatur.

Et omnino quod ad vitæ finē expetibilis, quàm quod ad aliud aliquid: ut quod ad felicitatem contendit, quàm quod ad prudentiam. Nam quod ad felicitatem contendit, eligibilis.

Locus à diuersis finibus medijs eligibilioris ostensiuus. Si finis præstantior est medijs, & supremus finis uitæ humanæ medijs eiusdem præstantior: at omnes alij fines sunt media ad illum summum: quare hunc ultimum finem alijs omnibus finibus perfectiorem esse fuerit necessarium, qui propter se & in nullum traducatur finem, at cæteri quidem propter hunc: felicitas igitur quàm prudentia est eligibilior, quod felicitas sit per se totius uitæ expetendus & ultimus finis. Si itaq; conferantur duo media duobus illis finibus felicitati & prudentiæ, mediū illud quod proxime confert ad assequendam felicitatem, præstantius est medio ad prudentiam proxime conferente. Nam rationi coniunctū est media retinere habitudinem suorum finium, & se habere comsimili modo inter se, quo se habent fines adinuicem. quare quorum fines perfectiores monstrantur, & eorundem media perfectiora concludendū est: & perfectissimi finis, ut felicitatis media præstantiora medijs ipsius prudentiæ dicendum. nam si ea quæ summo cuiuspiam proxima sunt & admodum uicina maiora coniungantur: & quæ perfectissimo coniunctiora, perfectiora habentur. Neque oportet obstrepere de minimis illis bonis, quæ etsi conferant ad felicitatē, non tamen proxime: quemadmodum uirtus moralis, quæ ad nullum refertur finē, uel tantum ad felicitatem. Quare sit uerus locus medijs proximi eligibilioris conclusiuus, quod finis cuius est medium præstantior sit, destructiuus uero quod finis imperfectior. datis enim duobus bonis finibus & eorundem medijs duobus, medium horum alterum destruitur esse eligibilis, quod sit finis minus eligibilis.

Et possibile impossibile.

Locus à possibili concludit melius & eligibilis propositum. Si duo proponantur eligibilia, & alicui conferantur, quorum unum sit ei possibile, alterum impossibile (licet enim simpliciter non sit impossibile, po-

14
Adiuersis finibus medijs.

15
A possibile.

est tamē ei esse eligibilis id fuerit quod illi est possibile. ut homini longitudo uitæ eligibilior ostenditur, quàm immortalitas: quod illa sit ei possibilis, hæc uero impossibilis dū in hoc inferiore corruptibiliū campo pererrat. & mediocris passio est eligibilior homini, quàm impassibilitas, & sine passione non possit uiuere. simpliciter tamē neq; impassibilitas, neque immortalitas sunt impossibilia, neq; simpliciter minus eligibilia sunt, sed homini: quoniam deo & angelis conueniūt & cælicolis. Quare possibile est eligibilis impossibili, quod illud insit illi, non autem alterum: contrario ordine proposita ratio destruet eligibilis alicui.


Amplius cum duo sint effectiua, cuius finis melior, & ipsum melius.

16
A fine meliore locus.

Locus à meliore fine manifestans effectiua meliora. si duæ causæ proponantur adinuicem comparatæ effectrices aliquorū finium præstantia differentiū, quæ effectrix fuerit finis præstantioris, ipsa concludenda est perfectior & eligibilior: ut studium literarū ambulatione uel exercitio dicitur perfectius, eo quod effectiuum sit scientiæ, uirtutis, & prudentiæ: ambulatio autem sanitatis, uel uoluptatis est effectiua, at scientia præstantior est sanitate, & prudentia uoluptate: igitur & studium præstantius ambulatione. Ex finium nobilitate causarum nobilitatem diiudicamus. quorum enim opera sunt pulchriora, & causæ maiores seu pulchriores habentur: & quorum sunt causæ maiores, & effectus. nam sicut causæ se habent, sic & effectus: & sicut effectus, sic & causæ. Locus semper intelligitur de his quæ statim & proxime finē attingunt, non de causis remotis uel inordinatis. quare hoc dicā, intelligit doctus. Destructiua ratio per locū hunc deducetur, quæ monstrabit minus eligibilis effectus uel finis causam esse effectricē. nā si causa sit finis minoris boni, & minus eligibilis dicitur.

Cum autem sit effectiuū & finis ex proportionē, quādo pluri superat finis finem, quàm ille proprium effectiuum. Ut felicitas pluri superat sanitatem, quàm sanitas salubre: quare effectiuum felicitatis melius sanitate. nam quantum felicitas superat sanitatem, tantum & effectiuū felicitatis salubre superat. sanitas autem salubre minus superabat: quare plus superat effectiuum felicitatis salubre quàm sanitas salubre, quapropter effectiuū felicitatis melius sanitate. manifestum igitur quod eligibilis effectiuū felicitatis quàm sanitas. Nam idem plus superat.

Locus ex proportione finiu probat effectiuū sine eligibilius. Si contigerit finem unum superare magis alterū finem quā superatus finis superet suum effectiuum, & effectiuū finis superantis superabit eundem finem. Nam se habeat a effectiuū ad b finē, sicut c effectiuum ad d finem: quanto b finis superabit d finem, & a effectiuū superabit c effectiuum ex loco superiore. si igitur b finis plus superet d finem quā d finis suum effectiuum c, sequitur a effectiuum ipsius b finis plus superat d finem quā d superet c, præstantius esse sine d, & ipsum d superare: at quod plus superat, id est melius. Quemadmodum enim qui ostendit senarius maiore esse quaternario: nam utriusque dupla proportio: sed quia magis superat duodenarius quaternarium quā quaternarius binariū: nam tripla proportione ille, hic uero dupla: colligit senarium quaternario maiorem esse. sic ingeniosa & mirū in modum pulchra inuentione & finium & mediour efficientium fines, effectiuū alicuius finis aliquo sine ex proportione contendere licet eligibilius, quando plus superat finem finis, quā finis superatus suum effectiuum, superet. Hoc loco monstramus effectiuum felicitatis esse melius aliquo sine, ut ipsa sanitate, quod sicut se habet felicitas ad suum effectiuum, sic sanitas ad salubre suum effectiuum: at felicitas magis superat sanitatem finem, quā sanitas superet salubre suum effectiuum, igitur effectiuū felicitatis superare sanitate, & esse eadem præstantius concludendum. Nam quantum felicitas superabat sanitatem, & effectiuum illius, huius effectiuum: at sanitas minus superat salubre, quā superetur à felicitate: igitur effectiuum felicitatis excedet sanitatem eo excessu quo felicitas magis eam superat, quā sanitas salubre: quapropter si prudentia uel uirtus constituatur felicitatis effectiuum, melius colligetur sanitate, quod eam superet. Verum id totum per numeros figura manifestum ostendit.



Amplius melius est quod propter se & honorabilius & laudabilius: vt amicitia diuitijs, & iustitia sanitate & robore. nā illa quidē propter se honorabilium & laudabi

liū, hæc vero nō propter se, sed ppter aliud. nullus enim honorat diuitias propter se, sed propter aliud: amicitia vero propter se, etsi nihil nobis debeat aliud ab ea esse.

18
A cōparatuo.

Locus à cōparatiuo eligibilioris firmitius. Si quædam proponantur meliora secundum se & natura alijs, uel honorabilia uel laudabilia, dicenda sunt & eligibilia. Proprie bona dicitur honorabilia magis primaria, ut deus, parentes, felicitas. Pulchra autē, honesta, uirtutes, & operationes studiosæ. Potentiæ, quibus insit uel bene uel male uti, ut rhetorica & instrumētōrū multitudo. Vtilia, quæ effectiua bonorum sunt & ad illa conferentia. Ex hoc loco trahitur ratio quæ ostēditur amicitia eligibilior diuitijs, quod melior, honorabilior, & laudabilior. similiter eodē loco iustitia, robore & sanitate eligibilior monstratur, iustitia enim secundum se & propter se honorabilis & laudabilis. similiter & amicitia. Diuitiæ autem propter aliud sunt, nec non sanitas & robur. nam sunt bona conferentia, & propter aliud expetibilia. quare si iustitia sit propter se honorabilis & laudabilis, diuitiæ autē non secundum se, sed propter aliud: nulli dubium esse poterit quin melior dicatur iustitia diuitijs: q̄ si melior, & eligibilior dicatur. nā bonū eligibile quod melius, honorabilius, laudabilius est, id & eligibilis cōcedendum. Destruendo differit de sumēs partem alteram, q̄ non sit melius, laudabilius, neq; honorabilius: igitur neque eligibilis.

Amplius quando duo aliqua fuerint valde sibimet ipsis similia, & non poterimus præminentiam aliquam conspiciere alterius ad alterum: videndum ex ijs quæ sequuntur. Nam cui consequens est maius bonum, hoc eligibilis. si autem sint consequentia mala, cui cōsequens est minus malum, hoc eligibilis. nam cum vtraque sint eligenda, nihil prohibet molestum aliquid sequi. Duplīciter autem ab eo quod sequitur consideratio. Nam & prius, & posterius sequitur. vt addiscentē ignorare prius, scire autem posterius. Melius autem vt plurimum quod posterius sequitur: sumēdum igitur eorum quæ sequuntur, quodcunq; fuerit vtile.

19
A consequētib; locus.

Locus à consequentibus indicatiuus eligibilioris. Quando in comparationem duo uocantur, quæ tam coniunctam nata sunt naturam & tam propinquam similitudinem contraxerunt adinuicem, ut ne-

mo sensu, sed interiore ipsius mentis reuolutione unius dignitatem supra alterum intelligat: per opportunū fuerit ad ipsa cōsequentia confugere. Cui enim maiora bona & potiora sint annexa, nec non consequentia, id iudicandū erit præstantius bonū. nam à quo profluit maius bonum, id est eligibilis minus tali. ut discere melius esse quàm exerceri per hunc locum concludemus: quòd utrisque eligibilibus & plurimum copulatis ipsum discere scire sequitur: at ipsum exerceri, sanitas: porrò scientia quæ disciplinā sequitur, eligibilior est ipsa sanitas exercitium consequente. eodem loco monstratur continentia præstantior cōstantia, à consequentibus, quòd continentia uictoria appetituum sensitiuorū sequatur, hanc uero non superari: at plus est uincere, quàm non succumbere, igitur & continentia præstantior. nam cuius consequens est eligibilis, & antecedens fatendum est. si uero ex eligibilibus utrisque quædam consequatur mala & molesta, id est eligibilis, à quo minus mali emanat & scaturit. fieri enim potest ut molesta quædam & fugienda ex bonis proueniant. periculum iam pridem huius fecerunt plerique uiri omni uera religione & eruditione præditi, quos immanes barbari crudeliter oppresserunt omni tormentorum genere, ut suam implerent sæuitiam. Bona itaque illa eligibiliora colliguntur, si ab ijs mala scateant, quæ minora mala sequuntur. quapropter concludimus curare magis eligendum esse quàm nauigare, quòd curationem sequatur uenæ sectio, nauigationem uero periclitatio. Neque supprimenda uenit duplex consequendi natura. nam quædam consequentium antecedentibus sunt priora tempore, quædam uero posteriora: ut ignorantia addiscentem præcedit, quem scientia sequitur posterior tempore. Prius enim est ignorare quàm discere, & discere prius quàm scire. Similiter morbus curationē tempore præcedit in languido, quam sanitas sequitur. nam qui curatur, laborat, & sanus fit. Sicut qui ditantur, pauperes sunt, & sunt diuites. simpliciter in his quæ tempore acquirunt esse, semper non esse antecedit ipsum esse. quare melius, ut plurimū, quod sequitur antecedente, siquidē mutatio illa ad melius destinatur. In corruptiuis tamen & fugibilibus modus est præposterus. nā quod præcedit, melius: quod sequitur autē, deterius. nam qui mancipatur, prius liber, posterior seruus: & morbū præcedit sanitas, quæ mors & corruptio sequitur. nam si sequatur boni corruptio, consequens peius est antecedente. Quare cum sit duplex modus consequi, oportebit semper consequentia accipere, quæ ad rem subiectam conferant. nam qui uelit ostendere sequentia meliora esse prioribus, ut-

Varius consequentium
sequentium
vltus.

tur exēplis prioris ordinis & consimilibus. Cui uero præcedentia conueniet ostendere meliora, ex posteriore exempla colligat. Dupliciter autem sequi quippiam tradidit Aristoteles in rhetorice, nam uel simul uel posterius. ut disciplinā sequitur sciētia posterius tempore, ipsam sanitatem autem uita simul. si autem contingat ex altero duorum sequi bonum & non ex alio, id est eligibilius, ex quo bonum sequitur siue potestate, siue simul, siue postea. In uitijis & fugiendis facile differetur per hūc locum, ut sacrilegium furto deterius ostendemus, quòd ex sacrilegio furtum sequatur, non contra. nam qui rem sacram aufert, & priuatam auferre paratus est.

Amplius plura bona paucioribus, uel simpliciter, uel quando altera alteris insunt ut pauciora in pluribus. Instantia, si alicubi alterum alterius gratia. nihil enim eligibilia vtraque quàm vnum: ut sanum fieri & sanitas, quàm sanitas: eo quòd sanum fieri propter sanitatē eligimus. Et nõ bona bonis nihil prohibet eligibilia esse: ut felicitatem & aliud aliquid quod non est bonum iustitia & fortitudine.

20
A numero
locus.

Locus à maiore numero constructiuus eligibilius. Nam plura bona paucioribus eligibilia dicuntur. uel simpliciter, ut si differentia bona in comparationem efferatur, quorum numerus maior fuerit, horū electio cōuenientior. quemadmodum sanitatem, nobilitatem, diuitias, memoriam, esse concludimus hæc simul præstantiora honore & robore. Nam per se & simpliciter sumpta sunt & abinuicē diuisa, quoniã numero non comprehenduntur priorum posteriora. uel non simpliciter, quãdo alia in alijs cōtinentur: ut qui plura quædam numero proferet comparanda aliquibus in numero tali contentis. hac ratione construimus prudentiã cum fortitudine eligibilem quàm fortitudinem uel prudentiam. Cauendum est tamen ne quis præstantiora bona numero minora imperfectioribus bonis conferat numero pluribus. nam prudentia cū iustitia eligibilior est diuitijs, robore, pulchritudine, sanitate, fortuna, nobilitate, & cæteris bonis corporis uel fortunæ: eo quòd cōferenda ueniãt bona in eodē genere, ast hæc diuersæ sunt seriei. etenim alia interna, alia corporis, alia fortunæ desumuntur inter se conferenda. Locus adhæc intelligitur, qui præcipit plura bona paucioribus eligibilia, dummodo illa plura bona ad idem non cōferant. Nam si concursu & multorum complexione non accreuerit maior dignitas,

locus uerum non haberet. quod contingit, quando duo sumuntur quorum alterū finis, alterum medium: ut sanū esse sanitati coniunctū non plus habet excellentiæ, q̄ sanitas sola. Similiter discere & scire simul coniuncta non maioris electionis sunt, q̄ scientia. Neq; felicitas cū fortitudine, quā felicitas: quòd in cōposito unum propter alterū quærat. nam propter felicitatem uirtutes instituūtur. Neq; de deo quidam excitare debēt querelā q̄ non sit perfectissimus, si locus sit uerus: neq; opponere deo Christum esse perfectiorē, ob id quòd Christus deum & hominē ambit, & duas substātiās complectitur, Deus autem alteram qui simplicissimus sit. an isti diuina substātia & deo hominem contineri non intelligunt, diuinam potentiam ignorant? cuius nutu atque sapientia omnia gubernantur, continentur, mouentur, generantur, ad cuius bonitatem omnia referenda sunt, à cuius fonte redundantissimo scaturiūt cūcta, & ad quē reuerti debent singula. sed quod prosequimur absoluamus. Et nō bona bonis nihil prohibet eligibilia esse, ut felicitas & non bonū, ut indifferēs quiddam. nā actu quidam boni sunt, quidam mali, quidā indifferentes. sunt enim non bona, quorum alterū bonū, alterū indifferens ponitur. q̄ si non sint bona, & nō bona erunt, uerū felicitas cū tali non bono est præstātor fortitudine, iustitia, utriusque bonis, ut notum est. Vnde manifestum est ex numero maiore colligi eligibilius, quādo unus alterū nō continuerit. nā felicitas iuncta indifferēti bono non est eligibilior q̄ dissociata. In destructionē eligibilioris minor numerus afferetur. Ad fugibilia proportione quadā differetur. Quidā codices habent οἱ οὖν ὅτι ὕψιαι ἐξ ἑδδαυ ἡ ἡ ὕψιαι. Alij uerò ὅτι ὕψιαι ἐξ ἑδδαυ ἡ ἡ ὕψιαι, in quibus uis semper constans permanet.

Et eadem cum uoluptate magis, quā sine uoluptate: & eadem cum indolentia, quā cum tristitia.

Locus à uoluptate eligibilioris probatiuus. Eligibilia autem sunt illa bona quæ uoluptati annectuntur & coniunguntur, quā illa quæ seposita à uoluptate: quare si proponatur duo bona, & alterū sit cum uoluptate, reliquum uero cum tristitia uel sine uoluptate, quod uoluptati familiare est, colligendū eligibilius. ut hoc loco monstratur quòd temperantia est eligibilior continentia, quòd sit seposita ab omni perturbatione & molestia: non autem continentia. similiter quæ sunt sine dolore magis eligenda quā quæ cū tristitia. Iucundius enim quòd magis à dolore abest & quod longiori tempore iucundum, & iucundius eligibilius minus iucundo. Voluptatem asserre incrementum electionis eligibilibus mōstramus, quòd omnia uoluptatem insequuntur, &

2 I
A voluptas
te.

ipsius iucundi gratia appetunt, quibus utrisque & bonū & finis definitur. neque idem est non dolere & uoluptas. Nam Aristippus qui uoluptatem summum bonum dicit, in uoluptate non ponit indolentiā. Neq; Hieronymus qui summum bonum statuit non dolere, uoluptatis nomine unquam utitur pro illa indolentia: quippe qui ne in expetendis quidem rebus numeret uoluptatē. Duæ res enim sunt, sine dolore esse, & cum uoluptate, ut habet Cicero in secundo de finibus.

Et unumquodq; in quo tempore magis valet, in hoc etiam eligibilis: ut carentia tristitiæ in senectute, magis quàm in iuuentute: magis enim in senectute valet. secundum hæc autē & prudentia in senectute eligibilior. Nemo enim iuuenes eligit duces, eo quòd non constat eos esse prudentes. Fortitudo autē e contrario. In iuuentute enim magis necessaria secundum fortitudinē operatio. similiter autem & in temperantia, magis enim iuuenes quàm senes concupiscentijs molestantur.

22
Ab opportu-
nitate.

Locus ab opportunitate collectiuus eligibilioris. Id autē quod magis potest, & cuius usus in aliquo tempore est melior q̄ in altero, in quo est melior magis deligitur. ut cū uirtutes sint quædam iuuenū, tēperantia & fortitudo, quibus potissimū esse præditos oportet tales, ab his sunt magis deligēdæ. Similiter & senum duæ aliæ, iustitia & prudentia, quæ in ipsis plurimū ualere debēt, & multo magis, q̄ in alijs relucere. quare in singulis & pro tempore quædā meliora iudicantur & præstantiora, q̄ alio tempore. ut iuuenes magis debēt resulgere tēperantia & fortitudine, q̄ ceteri: & præstātor est fortitudo iuuenis q̄ senis, quare & eligibilior. Dicitur enim iuuetus bona secundū uirtutē corporis, ut magnitudinē, pulchritudinē, robur, potentiā certatiuā. Animæ uero tēperantia & fortitudo iuuenis uirtutes. hæc Aristoteles in primo rhetorice. In senectute eò carētia tristitiæ magis est eligēda, q̄ plurimū sit utilis senibus, qui tædio corrūpuntur. Tēperantia magis opportuna iuuenibus, ut ea duce suos appetitus caninos & irracionales ipsi reprimāt.

Et quod in omni tempore vel in pluribus, est utilius: ut iustitia & temperantia fortitudine. Nam illæ semper, hæc aliquando utilis.

23
A toto tem-
pore.

Locus à toto tempore uel maiore compositiuus eligibilioris. Quod autem in omni tempore magis est necessarium q̄ reliquū, id eligibilis est. ut iustitia fortitudine probatur eligibilior per hunc locum, quòd in-

stitia omni tempore sit eligenda, altera solum ingruente belli tempore. Similiter & si temperantia in tota iuuentute sit necessaria, & fortitudo in aliqua parte illius, colligetur temperantia esse eligibilior, quod maiori tempore sit necessaria & utilis.

Et quod cum omnes haberemus nihil altero indigeremus, quàm quod cum haberemus indigeremus reliquo: vt in iustitia & fortitudine. Nam si omnes essent iusti, nihil vtilis fortitudo: si vero omnes essent fortes, vtilis iustitia.

Locus ab independente structiuis eligibilioris. si aliquo tēpore quodam bono adepto aliud quoddā non desideretur, nō tamen cōtra, illud dicendum uenit præstātius & eligibilius quod alterum non desiderat, sed ab altero requiritur. hoc loco monstrabimus iustitiam eligibiliorē fortitudine, quod illa habita negligatur fortitudo: sed hæc illam deposcit. non enim esset opus forti, si omnes essent iusti, nullum enim certamen iniretur, quo iniusti omnia deprædantur. si tamen omnes essent fortes, adhuc opus esset iustitia, & magis necessaria inter hos esset quàm inter languidos: quæ potentū elationem, arrogantiam, scēuitiam refrænet. simili ratione amicitia ostenditur iustitia eligibilior. Id enim quod minus alio indiget aut alijs, est sufficientius: indiget autem minus, quod paucioribus aut facilioribus indiget, & cum hoc absque illo aut non sit aut fieri non possit: illud autem quod fieri possit sine hoc, sufficientius tanquam signo deprehenditur. sed si sufficientius, & maius bonum & eligibilius uidetur. Trahetur ratio destructiua ex parte opposita.

Amplius ex corruptionibus & abiectiōibus & generationibus & sumptionibus & contrarijs. Quorū enim corruptiones peiores, ipsa eligibiliora. similiter autem & in abiectiōibus, & in contrarijs. Nam si abiectio vel contrarium fugibilis est, ipsum eligibilis. In generationibus autem & sumptionibus e contrario. quorum enim sumptiones & generationes eligibiliores, & ipsa quoque eligibiliora.

Locus à causis generantibus & corrupentibus & usibus constructiuis melioris & eligibilioris. Quoniā causæ bonorū sunt bonæ, & sumptiones & generationes bonæ, & eorū destructiones malæ & o. iij.

24
Locus ab iā
depēdente.

25
Loc^o à causis
& effectibus.

destructiua mala & abiectiões malæ, & in contrarijs generationes malorum malæ, & sumptiones. similiter corruptiones malorum bonæ & abiectiões malorū bonæ, de quibus in secundo dictū est, loco à causis generantibus & corrumpentibus. Cæterum si oporteat cuius corruptiuum est fugiendum illud esse eligibile, & cuius corruptiuum fugibilis, id eligibilis erit: ut scientia sanitate eligibilior hoc loco monstratur, q̄ obliuio causa scientiæ corruptiua fugibilior est, quàm morbus qui sanitatis est labefactiuus. nam quorum corruptiones fugibiliores, & illa eligibiliora: & contra, si quædam eligibiliora, & horū corruptiones magis fugiendæ: ut cum scientia sit eligibilior diuitijs, & causa corruptiua scientiæ magis fugienda, quàm corruptiua diuitiarum: at corrumpit scientiam ignorantia, & diuitias prodigalitas. Con similiter in abiectiõibus dicendum. nã quanto quid minus est abijciendum, id eligibilis: ut habentur amici diuitijs præstantiores, quoniã abiectio amicorū magis est fugienda quàm diuitiarum. & in causis abijcientibus similiter conandum. A generantibus quidem & generationibus & sumptionibus sic, quorum generationes sunt meliores, & illa eligibiliora. quare discere præstantius quàm exercitium ostenditur: disciplina enim scientiæ productiua, exercitium uero sanitatis. Quod si effectus eligibilior alterius effectū, & generatiões & causæ illius præstantiores probatur. Reciprocus sanè est differēdi modus à causis & generantibus & corrumpentibus ad effecta, nec non ab effectis ad causas. In contrarijs differemus quadam similitudine, ut quorum generationes malorum peiores, illa fugibiliora: quorum autem corruptiones sunt bonorum maiores, & magis fugienda.

Alius locus autem est. Quod propinquius bono, melius atque eligibilis.

26

A propinquitate locus.

Locus à propinquitate finis, declaratiuus melioris. Datis duobus bonis & eligibilibus, quod propinquius summo bono, id eligibilis: ut iustitia eò præstantior iusto monstratur, quod propinquior sit summo bono. nam est in genere boni per se, non autem iustus: ut monstratum quidem est loco huius tertio. quare si magis ipsa accedat ad felicitatē quàm iustus, erit iustitia præstantior & eligibilior iusto. nã datis duobus, quod propinquius fini, eligibilis: quod si non sit propinquius, neque eligibilis.

27

A similitudine boni loci.

Et quod est similius bono, ut iustitia iusto.

Hic locus à similitudine maiore facta bono ratiocinatiuus eligibilioris. Nam quod similius summo bono, id eligibilis altero minus talis:

ut iustitia iusto, & bene agere quàm pati, & bona gloria quàm uoluptas eligibilior: quòd similior felicitati. Quare quòd non sit similius summo bono, minus eligendum uenit.

Et quòd meliori eorum est similius: quemadmodum Aiace[m] Vlyssè dicunt aliqui meliorem esse, eo quòd similior sit Achilli. Instantia huius est, quòd non verum sit. Nihil enim prohibet non qua ratione optimus est Achilles, eadem similiorem esse Aiace[m]: cum sit alter quidem bonus, non autem similiter. Considerandum autem si & in ridiculosioribus sit simile, vt simia homini quàm equo: cum non sit similis. Non enim est simia melior, similior tamen est homini.

Locus à similitudine facta eidè meliori. si dentur duo in quaestionem eligibilioris conuersa, quorū alterū similius monstratur meliori q̄ reliquū: illud est concludendū eligibilius & melius, quòd similius bono. qua argumentatione uolunt Aiace[m] Vlyssè esse meliorem, q̄ Ajax sit Achilli meliori similior. Eodè loco mōstramus sapientiā esse prudētia meliorē, q̄ meliori sit similior. Cauendum est tamen, ne quis loco abutatur, qui conferat meliori non eadē ratione in comparationē deflexa, sed diuersis rationibus. quia non oportet, si similior sit quis meliori una ratione & comparatione facta, eundē esse meliorem: ut sit Achilles duplici bono præditus, fortitudine, & consilio: nō oportet si Ajax similior sit Achilli in fortitudine q̄ Vlysses, simpliciter esse meliorē Aiace[m]: quia potest fieri ut Vlysses sit similior Achilli meliori in altero bono, ut cōsilio, q̄ Ajax. Nā quia cōsiliū est præstātius fortitudine, & Vlysses præstātior indicatur Aiace. quare si nō cōferantur meliori secundū idem simplex quòd melius dicatur, nō per locū differēt. Quòd facile notū fiet consideranti. nā aliās concluderetur simia perfectior & melior equo. nimirum ratione aliqua simia est similior homini in aliquibus, quàm equus: simia namq; inter animalia bruta expressiorē hominis effigiem præfert & imaginē, sed eam uocat Galenus ridiculosam hominis imitationē: & de ea consuevit Hippocrates dicere, Animā ridiculā ridiculo circūuestiuit corpore natura. Propterea Therpsitis turpitudinē expressurus Lycophron, πῖθ' ἠὲ μορφῶν illū nūcupauit, id est, simiḷē simiæ. Simiæ naturam Aristoteles tradit libro secundo de animalium historia. Quare non oportet, si quid cōueniat meliori aliqua ratione, id esse melius: sed quòd conferātur eidem meliori eadem ratione: si quis lo-

o.iii.

28

A similitudine melioris locus.

De simia paucula.

cum à calumnijs tueri curabit, quo duo uni meliori conferuntur, & eadem meliora & deteriora noluerit fateri.

Rurfus in duobus, si hoc quidem meliori, illud autem peiori est similius, erit melius quod meliori est similius. Habet autem & hoc instantiam. nihil enim prohibet hoc quidem meliori parum simile esse, illud autem peiori valde: vt si Ajax quidem Achilli parum, Vlyfles autem Nestori valde. & si hoc quidem meliori in peioribus, illud autem peiori in melioribus, vt equus asino & simia homini.

29
Locus à si-
militudine
meliorum.

Locus à similitudine facta diuersis. si duo duobus conferantur & alterum meliori sit similius, reliquum uero peiori: quod dicitur meliori similius, id concludendum est eligibilius. Instantia haberi potest, quando nõ conferuntur illa secundum eandem denominationis rationem duobus. Nam si Achilles Nestore melior constituatur, Ajax autem Achilli meliori sit similior, Vlyfles quidem Nestori peiori & minus bono: non est necesse ex hoc loco Aiace esse meliorem Vlyfse: nisi cõferatur Achilli Ajax, ut Achilles melior est, & cõsimili modo ut alterum ad minus bonum confertur. nam si parum sit similis Ajax Achilli meliori, Vlyfles uero maxime attingat perfectionem Nestoris minus boni, nõ efficietur per locum quod Ajax sit melior, imò Vlyfles melior habebitur Aiace. Illud idem peruium est, si in leuibus & paru dignis dicatur quid similius meliori, & ipsum in minus perfectis ipsius melioris conferatur, reliquum uero minus bono, sed in bonis & perfectionibus illius. nõ quod confertur magis bono, & cui similius sic dicitur esse, minus bonum est quàm reliquum quod suo minus bono comparatur, quod non æqua utriusque seruetur ad utraque comparatio. Nemo enim diceret equo meliorem esse simiam, & tamen similior est homini magis bono quàm equus asino minus bono, quod simia conferatur homini in leuibus & quadam imitatione: non autem simia similior est homini secundum perfectionem quàm equus asino secundum eandem rationem. proinde qui non seruarit eandem comparandi formam, locum egredietur. Ex uiris græcis qui in aciem descenderunt post Achillem omnium fortissimum fuit Ajax Telamonius, qui duodecim naues Salaminiõrum agebat: fratrem habuit Teucrum sagittadi peritum, qui sub clypeo suo delitescens multos sagittis occidebat, ab Hectore tamẽ est fugatus. Ajax cum Hectore congressus est sorte designatus. quare Ajax & Achilles

conueniebant in fortitudine, uel quòd uterq; impatiens iræ. nã Achil-
les ob Briſeidem amicam ab Agamemnone raptam contra Troianos in
prælium descendere recuſauit, ut nono ſcribitur Iliados. uerum argu-
mentũ primo Iliados cõtinetur diſſidij inter Agamẽnonem & ipſum.
Aiax, ut habetur decimotertio metamorphoſeos Ouidij, q̃ arma Achil-
lis donarentur Vlyſſi ſe occidit. Neſtor Pyliorũ & imperio & ſacũdia
lõge princeps, cuius ex ore dulcior melle ſluebat oratio, uir ſapiẽtia ſi-
mul & annis grauis, ſiquidem tertiam iam ætatẽ hominũ uiuebat, &
cum multis qui iam deceſſerant unã floruerat. nam familiariter uixit
cum Pyrithoo, Theſeo, Dryade, Ceneo, Exadio, Polyphemo, qui cum cen-
tauris montium incolis acerrime belligerarũt. Vide primo Iliados, &
ſecũdo de Vlyſſe Laertis filio & Anticleæ Cephalenorum duce. ſi plu-
ra requiris de his omnibus, palato ſatiſfaciet Hippias maior Platonis.

Et quod maxime inſigne, eo quod minus tale.

Locus à dignitate, datis duobus quorum unum dignoſcitur altero
illuſtrius, dicendum fuerit id quod illuſtrius eſt eſſe eligibilis, ut forti-
tudo temperantia eligibilior oſtenditur, quòd illuſtrior: & magnificẽ-
tia liberalitate, quòd inſignior: & magnanimitas modeſtia, q̃ dignior.

30
Locus à dig-
nitate.

Et quod difficilius. magis enim amamus cũ habemus
quod non eſt facile adipiſci.

Locus à difficiliore, quo probamus difficiliora eſſe eligibilia: nam
quæ magis ardua & maiorem adeptionis curã miniſtrant, illa putan-
tur eligibilia: ut uirtus diuitijs eligibilior, & ſciẽtia ſanitate. Nã ex-
petimus & amamus quod adeptum eſt magno labore: ut bona animi
præponẽda ſunt bonis à parentibus acceptis. Huic adiũgitur quòd ra-
rius eſt eligibilis: ut aurũ ferro dicitur eligibilis quia rarius, inutili-
us enim ferrum: auri maior poſſeſſio, quoniã difficilius inuenitur. Alia
uero conſideratione quod abundantius id maius eſt, quoniã eo in plu-
ribus utimur. Rarum nanq; à frequenti exceditur. unde dicitur aqua
eſſe optima. & ſimpliciter difficiliora facilibus eligibilia, quoniã
rariora ſunt. Et facilia difficilioribus eligibilia cõſideratione alia,
quoniam habeantur cum uolumus. Quod ex ſeipſo eſſet, eligibilis tra-
didit Epictetus, quòd difficilius. quare poeta dicit per ſeipſũ didiciſſe.

31
A difficultio-
te locus.

Huic rarius
adiungitur.

Et quod magis proprium, eo quod communius.

Locus à proprietate ad utruq; tranſfertur. Probamus prudentiã
eſſe eligibilem ſanitate, quòd prudentia ſit propria homini ſoli &
ſciẽtiam robore, & orationem pulchritudine, & nobilitatem pecunijs:
nam uirtus propria magis, nempe pecunijs & mali cõmunicant. Neq;

32
A pprietas
te locus.

huic repugnat dictum illud, Quāto bonum cōmunius, eo diuinius, quōd intelligatur in eodem genere boni. nam totum pręstātius est sua parte. quare quanto maius fuerit, & parte superius dicendum fuerit.

Et quod malis incommixtius. Nam magis eligendum quod nulla molestia sequitur, quā quod sequitur.

33
Locus à malorum segragatione.

Locus à malorum incommixtione. Quod minus malis communicat, id eligibilius eo quod cum malo communicat: ut temperantia eligibilior cōmentia ostenditur in septimo Ethicorum, & tēperantia uirtus, quę euicit gustus & tactus cupiditates malis non sit admixta, continentia autem cupiditates habet uehementes à recta ratione distrahentes. & uita contemplatiua eligibilior actiua suadet, quōd liberior sit illa & ab omnibus mundi impedimentis seposita, quibus immergitur actiua: & sanitas diuitijs pręstantior, quōd diuitiæ non facile possideantur sine timore & anxietate animi, uel uitæ discrimine, uel difficultate conseruandi. Eo loco fortassis eleemosyna eligibilior uirginitate potest concludi, quōd eleemosyna sit minus malis adhærens, uirginitas multis passionibus non careat.

Amplius si hoc omnino illo melius, & omnino optimum eorum quę in hoc, melius eo quod in altero optimum. ut si melior est homo quā equus, & optimus homo optimo equo melior.

34
Locus à cōparatiōe positus.

Locus à cōparatione positus. pbatius eligibilioris in superlatiuo. Si genus est aliquo genere simpliciter melius, uel species aliqua specie melior: & quod fuerit optimum in meliore genere uel specie, erit eligibilius optimo alterius generis uel speciei imperfectioris. ut si animatorum omne genus omni inanimato melius sit, & optimum animatum optimo inanimato erit melius. & si simpliciter hominum quilibet quouis equo sit perfectior, & optimus homo optimo equo erit eligibilior. & si omnis anima omni corpore sit pręstantior, & optima anima optimo corpore. in eadē specie cōsimilis ratio, si omnis uir qualibet muliere simpliciter pręstantior, & optimus uir optima muliere. Nam si uiri maiores sint mulieribus, & maximi uiri maximis mulieribus maiores. Nam si ipsa ab ipsis excedatur, & maiora à maioribus, & maxima à maximis superabuntur, siue comparatio fiat in generibus, siue speciebus, & ijs quę sunt eiusdem speciei.

Et si optimum optimo melius, & simpliciter hoc illo melius: ut si optimus homo optimo equo melior, & sim-

pliciter homo, est simpliciter equo melior.

Locus à superlatiuo probatiuus melioris in positiuo propemodum superioris conuersiuus. Hic enim à superlatiuo differimus ad positiuum, superiore autem à comparatione positiuu ad superlatiuu. Si igitur uouerimus monstrare præceptorem præstantiorem esse discipulo, à superlatiuo ostēdimus q̄ optimus præceptor optimo discipulo sit præstantior. & q̄ optimus homo sit præstātor optimo equo, cōcludimus hominē equo præstantiorē. nam in singulis si optimum optimo sit eligibilis, & hoc illo erit præstātius. Similiter si maximum à maximo exceditur, & ipsa ab ipsis: & si ipsa ab ipsis, & maximum à maximo. Si quis redarguat hunc locum quoniam non sequitur, optima mors est melior optima ambulatione, igitur mors est eligibilior ambulatione. An dicendum optimā mortem non esse in genere mortis? nō enim maxime mors dicitur optima mors, quemadmodum homo optimus maxime homo dicitur: sed ea dicitur optima mors, secundum quam bene religio sequēque mori conueniat.

Amplius ea quæ volumus amicos participare, eligibilia, quàm quæ non.

Locus ex bonorum delectu in amicorum gratiam. si dentur eligibilia plurimum adinuicem cōnexa, quorum non cognoscitur facile differentia eligibilioris, id dicendum est eligibilis, quod magis deligimus in gratiam amicorum, & quod amicos consequi & participare magis desideramus, quàm alterum. ut sanitas eligibilior diuitijs monstratur, quòd malimus amicum sanū esse quàm diuitem, & studiosum similiter, quàm nobilem genere. Nam quod aut sibi quis inesse, aut amicis magis desiderat, id præstantius putandum est.

Et quæ erga amicū agere malumus, quàm quæ erga quemlibet, illa eligibilia: ut iuste agere, & benefacere magis quàm uideri. nam amicis benefacere volumus magis quàm uideri, quibuslibet autem econuerso.

Locus à bono amicorū erga amicos. Similiter quod unicum amicū & singularē possidere malumus, & cæteris nō cōmunicari, eligibilis est eo quod sine discrimine appetimus: ut studium uoluptate præstantius ostendetur, & liberalitas mansuetudine. quòd amicū illa uolumus possidere. Eodem modo iuste agere eligibilis quàm uideri iuste, quòd magis iuste agere desideremus amicis, quàm uideri iuste agere. similiter magis benefacere uolumus uere amicis, quàm palliate: quod igitur

35

Locus à superlatiuo.

36

Locus ab amicis.

37

Locus à bono amicorū

tur magis uolumus facere amicis quàm cæteris, id eligibilis est altero: quod nunquã simulati simus animi erga amicos, sed uere bona inesse illis & conferre omnibus uotis deprecemur: aliorum autẽ curam par uam uel nullam habeamus in bonorum largitione.

Et quæ sunt ex circumstantia, necessarijs meliora, aliquando autem & eligibiliora. melius enim quàm uiuere, bene uiuere: bene autem uiuere est ex circumstantia, ipsum autem uiuere necessarium. Aliquando autem meliora, non etiam eligibiliora. non enim si meliora, necessario & eligibiliora. Philosophari siquidem melius quàm lucrari: sed non magis eligendum indigenti necessarijs. Ex circumstantia autem est, quando existentibus necessarijs alia quædam bonorum adiiciuntur ipsis. Ferè autem fortasse eligibilis, quod necessarium est: melius autem, quod ex circumstantia.

38
Loc⁹ ex circumstantia.

Locus ex circumstantia melioris probatius. Quum quædam sint bona ex necessitate & necessaria, quæ dicuntur sine quibus impossibile est esse ea quibus insunt: quædam autem bona astruuntur ex circumstantia, quibus res melius constituitur cui necessaria insunt bona. quod dicit, quando existentibus necessarijs alicui alia adiiciuntur bona determinãtia, ut bene, pulchre. uiuere quidem bonum dicitur necessarium, quod cui cõuenit sine eo non posset consistere: sed uiuere bene dicitur ex circumstantia. Vt sus itaq; habetur huius loci, quãdo conferenda duo ueniunt, quorum alterum necessarium est, alterum ex circumstantia: id dicendũ est melius quod ex circumstantia, quàm alterũ. quare qui quærit utrum uiuere sit melius quàm bene uiuere: respondendum est bene uiuere melius, quod ex circumstantia bonum existat: similiter bene dicere melius quàm dicere ostendetur. Non tamen oportet quæcunq; colliguntur meliora, eadem colligi & eligibiliora. Nam nonnunquam turpi labe intingeretur qui id defenderet. philosophari enim & cõtemplari melius quàm ditari: nõ tamen eligibilis semper, ut illi quẽ miserere uexat necessitas. el cui imminet periculum decidendi in foveam, quod Thaleti accidit. Fertur enim cũ domo is exiret contemplandorũ syderum causa in subiectam foveã incidisse, petulantiq; probro fuisse dictum ab anu domestica, Qua ratione, o Thales, quæ in cælis sunt comprehensurũ te arbitraris, qui ea quæ sunt ante oculos uidere non uales? Diogenes ille cynicus non daret meliora esse eligibiliora omnia, qui

summopere grammaticos admiretur, qui Vlyssis mala requirunt, sua ignorant: Musicos uero in ius uocabat, quod lyræ neruos cōgrue aptarent, mores tamē incōpositos haberent: Mathematicos carpebat, quod solem & lunā & sydera intuerentur, quæ uero ante pedes essent negligerent: Oratoribus stomachabatur, qui optima studerent dicere, minus tamen facerēt. Et philosophos fodicabat, quod pecuniā enixius uituperarēt, eam tamen diligerēt. uide plura in Laertio. Similiter philosophia melior est quàm sanitas, tamen ægrotanti eligibilior est sanitas quàm philosophia. quare, ut plurimū, meliora sunt ex circūstantia, eligibiliora quæ necessaria.

Et quod nō est ab alio exquirere, quàm quod est & ab alio. quale sustinet iustitia ad fortitudinem.

Locus à commodiore eligibilioris probatiuus. Quādo duo conferuntur adinuicem bona, quorum alterum commodius & præstantius altero, commodius præferēdū est alteri in dignitate, & eligibilis dicendum. nam si quo habito non est commoditas ab alio petenda, sed contra alterum commoditatē ab altero requirit, & illud præstantius, nec nō eligibilis erit: ut iustitia fortitudine præstantior concluditur, quod fortitudo expetat iustitiam, non autem iustitia à fortitudine commoditatem deposcit.

39

Locus à cōmodiore.

Et si hoc quidem sine illo eligendum, illud autem sine hoc non. ut potestas sine prudentia non eligenda, prudentia uero sine potestate eligenda.

Locus ab independente melioris indicatiuus. Conferantur duo, quorum alterum bonū est simpliciter & per se à nullo dependens, alterū uero alterius præsidio indigeat, præstantius & eligibilis est bonum per se altero. qua ratione deducitur prudentia eligibilior quàm potentia, quod prudentia simpliciter & per se sit eligenda etiam destituta uiribus, uerū potentia non suffulta uel ornata prudentia non est eligenda. quis enim eligeret furenti gladium tradere? similiter uirtus eligibilior uoluptate.

40

Ab indepēdente.

Et duorum si alterum negamus, ut reliquū videatur nobis inesse, illud eligibilis quod volumus nobis uideri inesse. ut laborem diligere nos negamus, ut ingeniosi esse videamur.

Locus à dissimulatione conferētis eligibilis ostendit. Sint enim duo bona quæ nobis insunt, quorum si alterum dissimulemus uel negemus

41

Locus à dissimulatione

nobis inesse, ut alterum magis inesse uideatur, & eo præditi dicamur: id eligibilis cuius gratia alterum negamus: eo quod bonum nullo præsidio suffultum præstantius habeatur, quam alteri copulatum à quo penderet & dignitatem accipere crederetur. Proinde labore esse minus bonum ingeniositate colligimus, quod dissimulemus laboriosos nos esse, ut ingenio & solertia magis pollere uideamur, sic è ψυχή demōstratur τῆς φιλοπονίας ἀίρετ ὡτερον. sic mulieres curiositatem & studium ornatus diffitentur, ut pulchriores natura dicantur. sic qui frigere media hyeme diffitentur, ut calidioris naturæ se ostentent. sic qui à nullo doctrinam se accepisse prædicat eruditus, uinacitatem ingenij effert.

Amplius pro cuius absentia minus increpādi sunt moleste ferentes, hoc magis eligendum.

42
Locus ab increpatione minori.

Locus ab increpatione minori. Quando contingit homines destitui & carere aliquibus bonis, pro quorum absentia contristantur, considerādū est, an de altero magis discrucietur ob absentiam, & nō uituperētur, uel non tantum increpentur quam de tristitia alterius. nā illud dicendum est eligibilis, pro cuius tristitia minus increpantur, meroris enim oportet maioris esse legitimā rationem quæ inducat tristitiā grauiorem congrua. Nam qui toto corpore disrumpuntur ob rei leuioris lapsum, digni multis increpationibus cēsantur, uel habentur tātquam dementes: quod res non sit digna tanta perturbatione. quare patrem diuitijs præstantiorem colligimus, minus enim increpantur qui indecenti & uehementiore quadam commotione agitantur ob patris interitum, quā qui suspirium emitterent pro pecuniarū ablatione. Nam quorū iactura maior, illa sunt eligibilia & digna maiore molestia: & quorum pretia sunt maiora, eligibilia. nam minori increpatione digni conuincuntur, qui moleste absentiam ferunt.

Et pro cuius absentia non moleste ferentem magis increpandum, id eligibilis.

43
Locus à maiori increpatione.

Locus à maiori increpatione monstrat quid eligibilis. Quicumque enim magis increpantur quod rei alicuius absentiam non moleste ferat, res illa cuius ratione digne redarguuntur, eligibilior re altera. nā quāto res est melior, tanto eius molestior esse debet absentia, quare asperius redarguēdi sunt qui non doleāt magis huius rei absentiam quā alij alterius. nam causam perditū melius bonū ingerit ne quasi neglectus illius habeatur. ut scientia sanitate melior hoc loco monstratur, quod quinō mā-

gis moleste ferunt absentiam scientiæ quæ sanitatis, sint digni grauioribus increpationibus. similiter et uirginitas diuitijs eligibilior ostenditur, quod minus uituperetur Lucretia quam Midas uel Crassus. quo loco redarguuntur illi qui magis diuitias in uxoribus ducendis eligere solent quam pudicitiam, et qui non oculis sed digitis uxores ducunt. et amici ostenduntur eligibiliores robore, quod inimicitia magis uituperetur quam infirmitas sit contumeliosa.

Amplius eorum quæ sunt sub eadem specie, quod habet propriam uirtutem eo quod non habet, eligibilius. Vtriusque autem habentibus, quod magis habet, eligibilius.

Locus à propria uirtute confirmat eligibilius. Nam in eisdem specie et maxime consentientibus natura, id altero dicitur eligibilius, quod propriam uirtutem habeat supra alterum eiusdem speciei. ut homo qui nactus est scientiam et uirtutes, eligibilior est homine ignaro et rudis nec non uitioso. non minus enim uidentur differre docti ab indoctis, quam uiuentes à mortuis, quod qui corporum modo uita fruerentur (quam habemus cum asinis, suis, et anseribus communem) et corporeis tantum oculis solem intuerentur (quem acutius cernunt aquilæ) animis uero, quibus lucem et uitam donat philosophia, nihil cernerent: eos nec hominis appellatione credimus dignos, sed mortuos esse uerius quam uiuos, minimoque interuallo à lapideis differre signis. Per eundem locum firmamus equum altero hunc eligibiliorem esse, qui propria uirtute fuerit insignitus. maxime enim unumquodque uirtute et perfectione alteri non tali præponimus. In singulis igitur eiusdem speciei unum alteri præpouet, quod perfectionem quandam assequatur. In generibus autem locus non recipietur. Non enim est leo uel asinus secundum propriam uirtutem præferendus homini non habenti propriam uirtutem, quare neque ad genera transferendus erit. Si uero contigerit quæ eadem sunt specie utraque habere propriam uirtutem, quod magis habebit, erit eligibilius. ut equus clitellarius, uel successor, uel gradarius, uel cursor altero erit eligibilior minus tali et idoneo.

Amplius si hoc quidem facit bonum illud cui adest, illud autem non facit: quod facit, eligibilius. quemadmodum & calidius id quod calefacit, quam id quod non. Si autem utrunque facit, quod magis facit, aut quod melius & principalius facit bonum. ut si hoc quidem animam, illud autem corpus.

44

Locus à propria uirtute

45
Ab effecti-
uis.

Locus ab effectiuis multipliciter cōstruit eligibilis. Bona enim quædam sunt bonorū effectiua, ut uirtutes: quædā nō, ut nobilitas, pulchritudo. Illa bona sunt eligibiliora alijs, quæ effectiua bonorum, ut uirtus corporis bonis uoluptatēq; eligibilior est, quod uirtus habentes faciat bonos, non autem uoluptas, neque corporis bona. Insuper si utrunque propositum faciat bonum habentem, id quod magis facit bonū, quam alterū, id eligibilis altero: quemadmodum id dicimus calidius altero, quod calorem inducere potest maiorem, quàm reliquum. Tertio si alterum reddat quod melius & principalius est, bonū, alterū uero quod peius est, bonum constituit, id quod est melioris, est melius: ut uirtus eligibilior colligitur sanitate, quæ uirtus animā rē nobiliore bonā faciat, sanitas autē corpus ipsa anima inferius. Quæcūq; maioris boni sunt effectiua, ipsa quoq; maiora: & si maiora sūt, & effectiua maiora. ut si salubre iucūdo sit eligibilis & maius bonū, & sanitas uoluptate maior & eligibilior. à causis ratio deriuatur. potest & ab effectis eligibilioribus ad fidē eligibilioris causæ duci ratio. Nam sicut causæ principiaq; se habēt, sic & effectus: & sicut effectus, sic & causæ & principia, ut in primo rhetorices Arist. habetur, duorū principiorū diuersorū quod maioris principij fuerit principium aut causa, id maius est: & cōtra, cū duo sint principia diuersorū, quod à maiore principio est, & id maius est productum: & quod à maiore causa, similiter.

Amplius autē à casibus & usibus & actionibus & operibus, & hæc ab illis. sequuntur enim sese inuicē: ut si quod iuste est eligibilis quàm quod fortiter, & iustitia fortitudine eligibilior: & si iustitia quàm fortitudo eligibilior, & quod iuste quàm quod fortiter. similiter autem & in alijs.

46
A cōiugatis

Locus à cōiugatis, casibus, usibus, actionibus, operibus, eligibilis ostēdens. Demonstrata est ratio coniugatorum secundo libro ad probationem simplicis. Cōsimilis nunc seruatur habitudo à coniugatis in problema eligibilioris, nec nō ab usibus, actionibus & operibus: nam quod in uno ostenditur, in reliquis denominationibus idem indicatur: ut si quod fortiter sit pulchrius est ac eligibilis quàm quod modeste, & fortitudo quoque pulchrior modestia, & fortis modesto, & usus fortitudinis usu modestiæ. & contra per negationē ualebit differendi modus. nam si unum coniugatorum negetur, & reliqua.

Amplius si aliquo eodem hoc quidem maius bonum est, illud autem minus, magis eligendum maius, aut si ma

iore maius fuerit alterum. Sed & si duo quædam vno aliquo sint eligibilia, quod longe eligibilis, eo quod minus est eligendum, eligibilis.

Locus à comparatione duorum uni tertio secundum magis & minus facta eligibilioris conclusiuus. Sicut enim maius maiore est maius, ita & minore maius: ut quadricubitum maiorem bicubito monstramus, quod sit tricubito maiore maior. Sic & eligibilis aliquid altero ostendemus, quod sit eligibilis eligibilior: ut uirtus confirmabitur robore eligibilior, quod illa sit eligibilior sanitate, at sanitas est robore eligibilior: igitur si uirtus superet sanitatem, & sanitas robur, notum est & uirtutem robore superiorem esse. nam si quippiam est maius maiore, est & minore maius. quare dato aliquo eodem, cui afferuntur duo conferenda, quorum unum sit maius, alterum minus, quod maius est minore, id dicitur maius. sic & in eligibilibus & bonis existimandum: ut uita contemplatiua iudicatur effectiua eligibilior, quod actiuam superet effectiua præstantiorem. similiter quando duo uno aliquo sunt maiora, quod maius excesserit, necesse est & maius haberi. sic in bonis, propositis duobus bonis eligibilioribus quæ conferuntur uni tertio, id quod excedet, eligibilis recipietur reliquo. Nam eorum quæ continent aliquid idem, id quod magis continet est maius, ut hemina & sestertium & cadus continent, sed quia sestertium à cado magnitudine superatur maiore, colligitur cadus maior. sic uirtus & sanitas eligibilia diuitijs: at quia plus uirtus præstat quàm sanitas, dicitur eligibilior. sint igitur totius loci tres portiuncule. Prima apprehendit duo conferenda, quorum unum & non alterum eligibilis est uno medio per quod concluditur esse primum eligibilis tertio. secunda recipit id esse melius quod meliore est melius. Tertia habet utrumque melius eo cui fit comparatio, uerùm quod longe melius fuerit, id uult esse eligibilis.

Amplius cuius superabundantia est eligibilior, & ipsum eligibilis: ut amicitia pecunijs. Nam eligibilior superabundantia amicitia, quàm pecuniarum.

Locus à superabundantia eligibilioris corroboratiuus, nam cuius extremitas & superabundantia eligibilior est alterius excessu, id eligibilis ratiocinandum. ut amicitia pecunijs deducetur eligibilior, ob
p.i.

47

Locus à comparatione.

48

Locus à superabundantia.

id quod excessus amicitiae est eligibilior extremitate pecuniarum. nam φιλεταιρία est eligibilior quam φιλοχρηματία, & τὸ φιλεταιρίον εἶναι τοῦ φιλοχρηματοῦ μάλλον κάλλιον, id est studiosum esse amicorum pulchrius est, quam pecuniarum. per eundem locum uisum conamur ostendere olfactu praestantiorum: quoniam τὸ ἀκριβὲς ὁρᾶν, ἀκριτότερον τοῦ ὀσφραίνειν, hoc est exacte uidere eligibilis quam acute olfacere. Huic affinia sunt, quorum cupiditates meliores aut laudabiliores sunt. nam si rerum maior appetitio sit laudabilis, & res talis est. similiter si cupiditates sollicitae aliquorum probetur, & talium magna est laudis aestimatio. In destructionem seruis contrarium differendi ordinem.

Et id cuius magis eliget quis ut ipse sibi causa fit, quam cuius alter, ut amicos pecunijs.

49
Locus ab eligibili propter se.

Locus ab eligibili propter se probat eligibilis esse altero quod propter alterum destinatur. nam quod quis eligit propter se & sui ipsius gratia, eligibilis est non tali, seu propter alterum. ut amici eligibiliores pecunijs construuntur hoc loco, quod propter se eligantur, & non pecunia: non enim deligerentur pecunia, si nullum inde emolumentum consequi contingeret. sic uita contemplatiua eligibilior quam regimen reipublicae: sic artes liberales & uirtutes praestantiores ipsis effectiuis.

Amplius ex appositione. si eidem appositum aliquid, quod totum eligibilis facit. Cauere autem oportet extendere ad ea in quibus altero quidem oppositorum utitur commune, vel alio quolibet modo cooperatiuum est: reliquo autem non utitur, neque cooperatiuum est. ut ferra & falce cum arte fabrilis. nam eligibilior ferra confociata, simpliciter autem non est eligibilior.

50
Locus ab appositione eidem facta.

Locus ab appositione duorum eidem facta. Quando alicui eidem diuersorum fit adpositio, & id totum quod assurgit ex appositione illa melius altero toto efficitur ex alia appositione assurgente, ea appositio quae totum melius facit, quam reliqua est eligibilior: ut sint diuitiae, quibus duo adiungantur uirtus & sanitas, si diuitiae cum uirtute sint eligibiliores, quam diuitiae eadem cum sanitate, necesse est uirtutem sanitati praepollere. quemadmodum enim si eidem magnitudini duae adiungerentur magnitudines aliae, quarum unius adiunctione tota magnitudo assurgit maior quam alterius, & eam magni-

tudinem maiorem intelligimus ad iunctam, cuius appositione totum factū est maius, quā alteram: eodem modo, si uiuere eidem hæc adiungantur bene & delectabiliter, & bene uiuere sit eligibilius, quā uiuere delectabiliter: plus est ipsum bene, quā delectabiliter. Cauendum est tamen ne in adpositione eidem adiungantur quæ non similem ad ipsum referant naturam, sed alterum appositorum sit illi commune & indifferens uel plurimum conferens, reliquum autem eidem neque commune neque conferens appositum. Nam aliter probaretur robur præstantius diuitijs, & diuitiæ robore præstantiores: nam diuitiæ liberalitati connexæ faciunt totum eligibilius, quā robur adpositum liberalitati, igitur diuitiæ robore eligibiliores. At robur fortitudini coniunctū efficit totum præstantius, quā diuitiæ fortitudini coniunctæ: igitur & robur est præstantius diuitijs. quare pugnantia deduceretur, nisi intelligatur quod appositorum alterum non sit indifferens uel conferens magis quā reliquum eidem. Idem probaretur de serra & de falce, si utraque adiungantur arti fabрили. serra nanque eligibilior ostendetur falce, quod totū ex arte fabрили & serra sit præstantius quā totū ex arte fabрили & falce, quod nihil conferat ad artem fabrillem, sed officiat potius, serra uero plurimum conferat. Falceem insuper monstrabimus præstantiorem serra, quod arti colendarum uitium (quæ ἀμωελουργικὴ dicitur) adiuncta totum eligibilius facit quā serra. Quare ut hæc portenta fugiamus, dicemus appositorum eidem unum non debere magis illi conferre quā reliquum. Quod qui præceptum noluerit adhortatiuū obseruare, ut errores incurrat ostensos oportebit.

Rursum si minori appositum aliquid, quod totū maius facit.

Locus ab adpositione diuersis facta. sint duo bona, quorū alterum minori adponatur alterum maiori bono, si tamen per additionem factam minori totum assurgat melius, quā reliquum totum ex alterius adiunctione, concludendū est, id eligibilius esse quod totū reddit eligibilius altero toto. Huius potest facere manifestam fidem quantitatis consideratio. si namq; proponantur duæ magnitudines inæquales, quarum altera alteram superat magnitudine, & ea quæ minor est per additionem quantitatis maior efficiatur, quā maior per adpositionem alterius quantitatis, dicendum id esse maius quod minori appositum

§ I

Loc⁹ ab appositione facta diuersis

totum maius efficit. ut bicubito & tricubito inæqualibus minori adiungatur quadricubitus, maiori uero bicubitus. in numeris facile id intelligitur. nam binario minori adiungatur numerus quaternarius, & ternario maiori numero unitas uel binarius, efficietur minor maior, & maior numerus minor assurgit. In eligibilibus idem contemplari non erit supra mentis acrimoniam. Hoc loco colligimus uirtutem diuitijs eligibiliorem, quod uirtus adiuncta minori, ut sanitati, reddat totum eligibilius quam diuitiæ adiunctæ maiori bono, ut salubritati. Potest & adiungi is locus, Quod minori adpositum totum reddit æquale, qui huic loco conueniēs erit, & qui ex illo facile cōcipitur. Nam quod reddit minus bonum per additionem æquale alteri maiori cui sit accessio, maius & eligibilius. In malis & fugiendis oppositum dicitur. neque aliter locus hic intelligendus quam superior. hoc dixerim, quia non quæcunque bona alijs adiuncta æqualem dignitatem afferūt, neque præsidium.

Similiter autem & ex ablatione. quo enim ablato ab eodem quod restat est minus, illud maius erit quod ablatum reliquum minus facit.

§ 2
Locus à re-
matione.

Locus à remotione, si duo sint tota æqualia & eadē, ac per remotionem duorum ab ipsis remanentia non consistant eadem neque æque eligibilia, id quod remouetur per cuius remotionem quod relinquitur minus efficitur eligibile quam per alterius depositionem, dicendum est eligibilius altero quod remouetur. Si autem duo tota non sint æqualiter eligibilia, uerum unum altero est eligibilius, & à toto eligibilior quippiam subtrahatur per cuius subtractionem quod relinquitur minus eligibile efficitur quam reliquum per alterius submotionem, id quod minus reliquum facit eligibile, est eligibilius. Eadem est ratio si quæ remanēt æqualia sint, tota tamen eligibilia inæqualiter. nam quod remouetur ab eligibilior tota, est eligibilius eo quod remouetur à minus eligibili, cum partes reliquæ æquales ponantur. Exemplis abstinemus ob rei expositam fidem & magnitudinibus & cæteris conuenientem. Tantum dicamus tres modos esse ab adpositione (quibus totidem ex remotione respondent) conclusiuos melioris. Nam uel uni, uel diuersis. si uni eidem fiat appositio, quod eligibilius efficit totum, ipsum eligibilius est: si diuersis, quod minus eligibile efficit eligibilius, uel æquale alterius toti, eligibilius dicitur.

Modi ex re-
matione &
appositione
triplices.

Et si hoc quidem propter se, illud autem propter gloriam eligendum. ut sanitas pulchritudine. terminus autem eius quod est ad gloriā, quod nullo conscio non studeret inesse.

Locus ab eo quod propter se. Quando de duobus inquiritur utrū sit eorum eligibilis, si alterum monstratur propter se bonum, reliquum uerò ad gloriam sit expetendum: colligendum id eligibilis quod propter se, altero. qua ratione ostenditur sanitas pulchritudine eligibilior, quòd sanitas propter se, pulchritudo propter gloriā & illecebras mundi. Nam pulchritudo uana uidetur, nisi manifesta fieret populo, & exposita esset omnium oculis: quod conijciendum est ex definitione & ratione eius quod ad gloriam dicitur. Nam definitur id quod ad gloriā, quod non eligeretur nullo cognoscente, uel si lateret. eodem loco monstratur quòd bene accipere uideatur eligibilis quā: bene facere. bene accipere enim si lateat eligitur, benefacere autem latens non uidetur eligi. quare quod ad ueritatem, eligibilis est eo quod ad gloriā: ut philosophia sophistice præstantior est.

53
Locus ab eo quod ppter se.

Et si hoc propter se & propter gloriam eligendum, illud autem propter alterum tantum.

Locus ab eo quod propter se & gloriam. si duo dissoluēda ueniāt penes eligibilis, quorum alteri cōueniāt ut sit eligibile & propter se & propter gloriā, alteri uero uel propter gloriam tantū, uel propter se, illud est eligibilis, hoc autē non. Nam ut totū altera parte est præstantius, sic quod duo eligibilia apprehendit eligibilis est uno uel altero tantū. hoc loco monstratur is qui uere sciens & manifestus est omnibus esse eligibilior sciente incognito uel apparente. & qui iustus uere & manifeste, eligibilior eo qui uere tantum uel apparenter tātum.

54
Locus ab eo quod ppter se & gloriā.

Et utrūuis magis propter se honorandum, hoc & melius & eligibilis. honorabilius utique fuerit secundum se, quod cum nihil aliud debeat esse, propter se eligimus magis.

Locus à magis honorando propter se. si quædā proponantur quorum alterum altero honorabilius, id quod honorabilius, est eligibilis: ut contemplatio actione monstratur eligibilior, quòd honorabilior: & felicitas uirtute.

55
Locus ab honorando propter se.

Amplius diuidendum quoties quod eligendum est dicitur, & quorum gratia: ut utilis vel honesti vel delecta-

bilis. Nam quod ad omnia vel ad plura est vtilē, eligibilius fuerit eo quod non similiter. Si autem eadem vtrisque insunt, vtri magis insint considerandum: vt vtrum delectabile, an honestius, an utilius.

56
Locus ab eligibilis diuisione.

Locus ab eligibilis diuisione. Nam per eligibilis diuisionē varijs formis differere continget, quibus eligibilis in cōclusionem demittimus. Diuiduntur eligibilia, in honestum utile & iucundum. Cui igitur omnia hæc inerant, est eligibilis altero cui duo vel vnum cōueniet: vel si cui duo insunt, alteri vnum: illud eligibilis quàm hoc. Quibus autem eadem insunt, considerandum utri magis: quia illud est eligibilis, cui magis, siue omnia, siue aliqua vtrisque insint: & quod ad plura utilis est, ut quod ad viuendum & bene viuendum & uoluptatem & ad agendum pulchra confert. quare diuitiæ & sanitas maxima bona uidentur esse. nam hæc omnia habent.

Rursum quod melioris causa, eligibilis: vt quod virtutis causa, quàm quod voluptatis.

57
Locus à meliore fine.

Locus à meliore fine. Quod propter melius deligitur, melius est eo quod propter minus: qua ratione monstratur operatio studiosa meliōr ludo, quod illa propter uirtutem, hic ad uoluptatem. similiter studium literarum nauigatione uel agricultura, quod hæc ad bona corporis intenduntur, illa uero ad animæ bonum & scientiam.

Similiter autem & in fugiēdis. Nam magis est fugiendum quod magis impedit virtutes: vt ægritudo turpitudine. Nam & voluptatis, & eius quod est studiosum esse prohibentior est ægritudo.

58
Locus à virtutū impedimentis.

Locus à virtutū impedimentis deterioris ostensiuus. Sicut enim dicebatur illud esse eligibilis quod magis bonum faciebat & iuuabat: sic deterius colligetur altero, quod magis impedit uirtutem uel corrumpit. quare morbus turpitudine magis fugiendus est, quod plura bona impediatur quàm deformitas. impedit enim morbus & uoluptatem & adimit, simul distrahit à uirtutū officio. cuius enim acquisitio est eligibilior, & eiusdem priuatio deterior. Vnde ex quouis loco quo vnum eligibilis monstratur duorum eligibilium, non dissimili loco & deterius colligetur suo modo inter deteriora, quod in quibusdam docuimus, sed reliqua cum ab breuitatem tum facilitatem data opera reliquimus.

Amplius ex similitudine móstrari potest fugiendum & eligendum quod propositum est. Nam minus eligendum huiusmodi quod similitur & eligeret aliquis & fugeret, altero quod eligendum est tantum. ad seinuicē igitur comparationes quemadmodum dictum est faciendū.

Locus ex æqualitate boni & mali reprobatur magis eligendum esse quidpiam. Quod enim partim fugiendum est partim eligendum, id minus eligendum est, quàm solum eligendum. igitur quidpiam sit quod tantum eligeret aliquis, aliud sit quod anceps & uarium existat: id magis eligendū est quod bonum dicitur quàm quod anceps: ut melius & eligibilis est bonum philosophari, quàm administrare rempublicam: quod alterum sit sepositum ab incommodorum iniurijs, alterum uero multis fortunæ periculis expositum. hanc partem confirmarunt exitus Cyri, Cambysis, Alexandri, & aliorum quamplurium infelices. Eodem modo agricultura eligibilior navigatione, quod minus fortunæ calamitatibus subiiciatur. Et hæc de locis, quibus poterit quiuis paruo admodum labore studiosus ad problema eligibilioris abunde differere. Nam de eo facta semper honorifica est mentio: uerum qui consequetur rationes in problema quo eligibilis quidpiam ostenditur, non remorabitur plurimum ad differendum in omne problema comparatiuum: id tamen non sentiet aliquis, nisi qui prius periculum fecerit, neque suam operam inquisitioni denegauerit.

59
Locus ex similitudine boni & mali.

Idem autem loci & utiles ad demonstrandum quoduis eligendum & fugiendum. Nam auferre solum eam oportet, quæ ad alterum est, præminentiam. Si enim honorabilius est eligibilis, & honorabile eligendum: & si utilius est eligibilis, & utile eligendum. Similiter autem & in alijs quæcunque huiusmodi habent comparationē. In aliquibus autem statim secundum eam quæ ad alterum est comparationē, & quod eligendum utrunque vel alterum dicimus. ut quando hoc quidem natura bonum, illud autem non natura bonum dicimus. Nam quod natura bonum, manifestum quoniam eligendum est.

Supereft doceamus locorum traditionem, quibus colluctandum sit in problema eligibilioris, conferre etiam ad problema eligibilis & potest.

Locis quibus monstratur comparatiuum, conueniunt positiuo.

fitiui: ut maior intelligatur locorum superiorum magnitudo & dignitas. Vtiles enim sunt illi ad demonstrandū positium, siue eligendum siue fugiendum statuatur, ob id quod positium à comparatiuo contineatur, tanquā imminutū ab excedente. at quemadmodum in geometria describitur q̄ datis quibuscunq; duabus magnitudinibus inæqualibus, minori æquamus maiorem per excessus diuisionem: sic & in eligibilibus, quorum alia eligibilia alijs, nanciscemur æqualitatem eligibiliū, si ab eligibilioribus demamus præeinentiā & dignitatis gradus. nihil enim eligibilius aliud est quā magis eligibile. quare per subtractionem ipsius magis, relinquetur solum eligibile: quod alteri positio erit idem. Facili igitur negotio qui concludere potest q̄ honorabilis est eligibilis, & honorabile esse eligibile cōcludet: & si quod utilius eligibilis, & utile eligibile facile cōmonstrat. nam per solam ablationē ipsius magis & excessus à cōparatiuis positia cōsequitur. In fugilibus non alia traditione fugibile ex comparatiuis deducetur, etsi loci præcipue sint traditi de eligibiliore, ex eo tamen quia eadem disciplina est contrariorum, dignoscitur apertum per subtractionem supereminentiæ unius ad alterum. ut si inhonorabilis fugibilis, & in honorabile fugibile: & si inutilis fugibilis, & inutile fugiendum. Locus hic à comparatiuis ad positia demittitur. Similiter autem & in alijs quæcunque talem habent comparisonem facile fuerit ostendere ex comparatiuis eligibilioribus positia & eligibilia. Nam eorum quæ comparantur secundum eligibile, manifeste & prompte quædam ipsum eligibile indicant, interdum utrunque horum in comparisonem uocatum, interdum alterum: ut quando melius natura eligibilis dicimus, sane utrunque positiuē dictum infertur, quod bonum natura est eligibile, uel alterū, quod natura bonū est eligibilis. nēpe in talibus & similibus cōiicitur manifesta & facilis positui conclusio. Quædā uero nō statim ex cōparatione positiuū deiciunt. sed uidentur desiderare rationes alias. nam fortasse ad ostendendū utile eligibile, uel delectabile eligibile, uel intriste uel diuturnū delectabile, non satis fuerit differere à cōparatiuis, q̄ utilius sit eligibilis, uel delectabilis sit eligibilis, uel diuturnius sit eligibilis. In quibus tamē sit comparatio secundum bonum, illa manifeste eligibilia creduntur. Vel dixit quæcunque habent talem comparisonem, quod quædam sint quæ comparātur, nō tamen simpliciter dicuntur: ut quæ relationē inter se habent. huiusmodi sunt maius, grauius, leuius, & talia, in quibus non oportet ex cōparatiuo positium cōcludere. nō enim sequitur, hoc maius est, igitur magnū. nam

granum milij maius altero, non tamen magnum. Similiter mons dicitur minor altero monte maiore, non tamen paruus. quare in talibus quæ improprie comparationem suscipiunt, non haurietur uis firma à comparatiuo ad positiuum.

Sumendi autem sunt quàm maxime vniuersales loci de ipso magis & maiore. nam sic sumpti ad plura utiles erunt. fieri autem potest, vt eorum qui dicti sunt quosdã vniuersales magis quis faciat, parum transmutans appellationem. vt quod natura tale, eo quod non natura tale magis tale.

Deueniendum nunc est ad secundum huius institutionis membrum, quam tribus præmisimus assurgere. Nam primo redditi sunt particulares innumeri loci ad particulare seu determinatum problema, quod de eligibiliore dicebatur: cum facilius consequamur quæ singulariter & determinate traduntur, quam quæ multipliciter, & confuse efferruntur. Clarior enim nobis est locus quo dicitur quod natura bonu est eligibilius quàm non natura bonum, eo quo dicitur quod natura tale est magis tale non natura tali. Nam quanto quid cõmunius & vniuersalius, eò nobis ignotius. quare si à notioribus nobis tradenda fuit disciplina, & à particularibus locis seu determinatis in problemata magis certa & præscripta suscipienda fuit, & loci particulares vniuersalibus præponendi: quorum ductu & cognitione naturæ secretiora cõscenderemus. Non putabit itaq; studiosus præter rationē nunc tradi de vniuersalibus locis in vniuersalia problemata, id est, indeterminate enuntiata, quod vniuersales loci maxime in problemata à comparatione dicta sumpti ad plura conferunt problemata: simul iuuabit ad firmiorem memoriæ comprehensionem, si tot loci in pauciores referantur, & tanquam in summam colligantur. Non enim ingenij vires transcendit hæc ad vniuersalem modum reuocatio. quod ex eo manifestum erit, quoniam particularium traditi loci sũt vniuersales per solam appellationum transmutationē. ut hic locus particularis & determinatus: Quod natura bonu, id eligibilius eo quod nō natura est bonum, qui affertur in problema eligibilioris, transferetur ad vniuersalem locum permutata nuncupatione boni in nomen commune & vniuersale: & sic producet, Quod natura tale, magis est tale eo quod nō natura est tale. Neq; hic locus accommodabitur tantum problemati eligibilioris, sed qualitatis, & quantitatis, & aliorū: ut albius quid osten-

Primus locus
vniuersalis
à natura ta
li.

detur altero, eo quod natura sit tale, altero non tali existente natura, & calidius, & uirilius, & sanius, & formosius, studiosius, sensibilis, & ita in cæteris. Ostendemus per hunc locum uniuersalem factum aliquid magis esse tale, uel tantum altero, quod illud sit natura huiusmodi, non autem reliquum.

Et si hoc quidem facit, illud autem non facit quod habet tale, cuicumque insit: magis tale quod interdum facit tale quam quod non facit: si autem utrunque facit, quod magis facit tale.

2
A causa efficiēte tale.

Locus à causa efficiente nunc in uniuersalem traducitur ad maiorem copiam differendi in problemata facta denominatione uniuersali. nam quanto ipsum tale uniuersalius eligibilius nomine, & problemata quæ hinc enascuntur per mutationem nominis eligibilius uel boni in nomen talis erunt uniuersaliora superioribus. Constituebatur autem locus retro à causa efficiente qui hic erat, si hoc quidem facit bonum cui adest, illud autem non facit: quod facit, eligibilius. quem licebit in uniuersaliorem transferre mutatione boni & eligibilius in nomen talis, ut sic enuntietur, si hoc quidem facit tale cui inest, illud autem non facit quod habet: magis est tale quod facit tale, quam quod non facit: uel quod aliquando facit, eo quod non facit. Exempla habes pro foribus de albo, de calido, de studioso, & similibus. nam si quoddam faciat magis tale, erit magis tale. Non dissimili forma particularis ille modus qui talis erat, si autem utrumque facit, quod magis facit, in uniuersaliorem attolletur per mutationem exiguam nominum, atque circūferatur hoc uerborum ambitu, si autem utrumque facit, quod magis facit tale: in quo admodum paruam nominum reponimus mutationem, ea tamen uim adfert amplissimam. exemplis parcimus, quia tonsoribus peruia sunt.

Amplius si eodem aliquo, hoc quidem magis, illud autem minus tale. Et si hoc tali magis tale, illud uero non tali tale: manifestum quoniam primum magis tale.

3
A comparatione.

Locus hic à comparatio in problema comparatiui monstratur inuentione facilis ex loco illo superiore à comparatio in problema eligibilius, qui tali contextu circūferabatur, Amplius si aliquo eodem hoc quidem maius bonum est, illud autem minus: magis eligendum maius. Aut si maiore maius fuerit alterum. qui citra diligentiam in hunc uniuersaliorem proferetur, Amplius si eodem aliquo hoc quidem magis, illud autem minus tale. Et si hoc tali magis tale, illud uero non tali tale.

in quibus agnoscis nullam esse distinctionem nominum, præter eam quæ sit eligibilis & boni, in talis nomen. quo loco monstramus aliquid doctius, maius, numerosius, uelocius, tardius, albius, melius, calidius, grauius, & huiusmodi infinita.

Amplius ex additione, si eidem additum aliquid totum magis tale facit. Aut si ei quod minus est tale, additum totum magis tale facit.

Locus ab adiunctione constituitur uniuersalior superiori parua mutatione uocum: ut tamen facilius innotescat subijciemus fideliter particularem locum, qui talibus consuebatur uoculis, Amplius ex adpositione, si eidem adpositum aliquid quod totum eligibilis facit. Rursum si minori adpositum aliquid quod totum maius facit. inter utrumque locum nullum discrimen comperitur, præter inuersionem eligibilis in tale. ob mutationem tamen illam incredibilem sortitur naturam, & quæ per omnia diffundi possit comparabilia, tuo arbitrio exempla infundenda relinquinus, ut animum expleas.

4
Ab appositione locus.

Similiter autem ex ablatione. Nam quo ablato reliquum minus tale, ipsum magis tale.

Locus ex ablatione in uniuersaliores traductus ad differendum in problema à comparatione. Nam prius particularis quidem ex ablatione hoc modulo pronuntiabatur, similiter autem & ex ablatione. quo enim ablato ab eodem quod restat minus est: illud maius est, quod ablatum reliquum minus facit. in quibus diligentissime obseruatur, ut nulla fiat differentia & nominum mutatio præter illud diuersum pronuntiandi modum inter eligibile & tale.

5
Loc^o ex ablatione.

Et quæ contrarijs impermixtiora sunt, magis talia: ut albius quidem nigro impermixtius.

Locus à contrariorum impermixtione uniuersalior factus eo qui dicebatur pressiori forma, Nam & quod malis incommixtius, eligibilis dicebatur. similiter eadem cum uoluptate, quæ sine uoluptate: & eadem cum indolentia, quæ cum tristitia, in hunc modum spatiosiorē transfertur, quo liceat differere in uaria problematum genera à comparatione. quæ enim contrarijs permiscentur minus talia sunt, & magis à propria natura desciscunt. quare albius id est quod minus nigredini permiscentur: & calidius quod minus frigoris, & siccius quod minus humoris concipit.

6
Locus à contrarij incommixtione.

Amplius præter ea quæ dicta sunt prius, quod magis

suscipit propriam propositi rationem: vt si albi est ratio, color disgregatiuus visus: albioris est, color magis disgregatiuus visus.

7
Locus à definitione.

Locus à definitione vniuersalis, cuius nullus fuit particularis factus in eligibilioris thema. nulla enim illius facta est memoria in locis particularibus, fortasse uel ob id quòd multiplicis non sit definitio: at eligibile multiplex. si tamen libuerit desumere simplex in problema eligibilioris simplicis, licebit per definitionem in ipsum differere. cui enim magis accidet ratio eligibilis, id eligibilius fuerit. Quare ut in cæteris comparationibus, sic habebitur in ista ratio vniuersalis ad omne problema cõparationis. Nam monstratur per hunc locum albius quippiã, quòd illi ratio albi magis congruat hæc, coloratũ disgregatiuum uisus. quod enim magis colorato disgregatiuo uisus intingitur, id albius est. & doctior, fortior, calidior, deterior, maior, à diffinitione singulorum quispiã monstratur. Ex dictis per inductionẽ colligere licet particulares locos fieri vniuersaliores parũ trãsmutãdo appellationẽ nominũ: neq; oportuit ut omnes loci particulares educeretur, qui mõstrentur reducendi ad vniuersales. nam satis fuit ad fidem propositæ propositionis manifeste ostendere, id in multis obseruari, quibus in cæteris cõsimile iudicium relinquitur. neque circa particularium reductionẽ ad vniuersales insistimus anxie, neque aggerauimus exemplorum magnã congeriem nauis abundam, quòd his nolimus præbere fastidium cætera affectantibus. hæcenus de reductione particularium locorum ad vniuersaliores.

Si autem particulariter, & non vniuersaliter problema ponatur, primum quidem dicti vniuersaliter cõstruendi vel destructiui loci omnes vtiles. Vniuersaliter enim interimentes vel construentes, & particulariter monstramus. nam si omni inest, & alicui: & si nulli inest, nec alicui. Maxime autẽ opportuni & communes loci, qui sunt ex oppositis, & coniugatis, & casibus. Nam similiter probabile est existimare, si omnis voluptas est bonum, & tristitiam omnem esse malum: & si aliqua voluptas bonum, & tristitiam aliquã esse malum. Item si aliquis sensus non est potestas, nec insensibilitas quædam est impotentia. Et si quoddã opinatũ disciplinatum, opinio quædam disciplina. Rursum si aliquod iniustorũ bonũ, & iu-

storū aliquod malum: & si aliquod eorū quæ iniuste malum, & aliquod eorum quæ iuste bonum. & si quoddam delectabile fugiendum, & delectatio quædam fugienda. secundum hæc autem & si aliquod delectabile vtile, delectatio quædam utilis.

Attigimus locorum numerum hoc libello, quibus in problema à cōparatione cōgrediendum esset, siue tale diceretur determinatū & ipsius eligibilis, siue uagum & commune multis: ad postremam huius partem nunc conuenit properemus: quæ modū & usum dabit differendi in problema particulare. Neque ampliorē fecerimus de problema à cōparatione dictis traditionem. Nihil enim prætermisum est quod facere uideretur ad maiorem illius gratiam, cuius & uniuersales & particulares loci sint cōstituti. sed si particulariter constituatur problema, non habemus certam legem in ipsum differendi. Tantū enim expediebatur loci in problema accidentis, siue simplicis, siue comparati, uniuersale. nam de illo in secundo, de hoc in hoc tertio dicitur. Vnum est tamen quod non ignoramus fuisse dictum in principio secūdi, locos dictos non solum conferre ad problemata uniuersalia, sed & particularia. Nam constructio uniuersalis problematis affirmati est & particularis. similiter destructio uniuersalis negatiui, & particularis eiusdem ordinis. quare ad utraque genera problematum uniuersalia, siue affirmatiua siue negatiua, sunt communia: & omnis qui uniuersaliter affirmat, & particulariter: & qui negat uniuersaliter, & particulariter. ut si omnis uoluptas est bonum, & aliqua uoluptas: Et si nulla uoluptas est bonum, & aliqua non est. Cæterum non omnibus particularibus problematibus licet asserre uniuersales propositiones probandis, quod quædam particularia in parte uera sint, in parte falsa. quare uniuersalia non ualerent ad particularia illis cōprehensa monstranda. quis enim uelit ad ostendendum aliquē hominē logicum, assumere hanc uniuersalem, omnis homo est logicus: similiter ad colligendum quod aliquis homo non sit logicus, quod nullus etenim uniuersales illæ manifeste falsæ dignoscantur, itaque in maiorem decumberet difficultatē, qui talibus in fidem uteretur quæ desiderarent plus negotij quàm ferat positio assumpta particularis. Nā difficilior erit ostendere omnem hominem logicum, quàm aliquem. Ut igitur nō incurrat hæc incōmoda differens, dabuntur & loci, quibus non minus apte differat in particulare problema, quàm in uniuersale. Maxime opportuni & communes ad utrumque problematum genus loci sunt, qui ex

Primus locus
in problema
particulare
aboppositis
& cōiugatis

A cōtrarijs
ratio.

Ab habitu
& priuatione

A relatis.

Nullus loc^o
à contradic-
tione affer-
tur.

A cōiugatis

oppositis & coniugatis & casibus appellantur. Non enim talibus locis minus in particulare problema insurgere licet, quàm in uniuersale: quod facile exemplis indicare conuenit, si prius per membra diduxerimus appositionem quadruplicem. Primum membrum contrariorū nomen accepit, à quibus non aliter particulare nonstratur quàm uniuersale: ut qui colligit omnem tristitiam esse malum, quòd omnis uoluptas est bonum, argumentum à contrarijs depromit. Sic qui aliquam tristitiam malum eodem loco, quòd aliqua uoluptas est bonum, construit. Nō enim plus habet uirium in problema uniuersale ratio illa à contrarijs, quàm in particulare. Secundum membrū oppositionis denominatur ab habitibus & priuationibus, à quibus trahitur æqualis uirtus ad problema particulare ei quæ ad uniuersale est. Nam qua ratione ostendimus nullam insensibilitatem impotentiam esse, quòd nullus sensus sit potentia, & consimili aliquam insensibilitatem non esse impotentiam, quòd aliquis sensus non sit potentia. nam utraque ab habitibus & priuantibus hauritur. Et sicut per inobedientiam unius hominis peccatores multi constituti sunt, ita per unius obedientiam iusti constituentur multi. Tertium membrū relatiue opposita interceptis à quibus in utrunque genus problematum idem telum ad congregandum capiet colluctator. Nam si omnem opinionem disciplinam comprobauerit, quòd omne opinatum sit disciplinatum: & aliquā opinionem disciplinam colliget, quod aliquod opinatū sit disciplinatum. Nullum à contradictoriè oppositis traditum est membrum, neque exemplum: quoniam talibus non liceat congregari in utrunque genus problematum. neque enim affirmationē particularū negatione particulari, neque cōtrā destruemus. Neque uniuersalē per uniuersalem oppositam cōstruemus. Liceret tamē differere modo, qui dicebatur ecōuerso, sic: Omnis homo est animal, igitur non animal est non homo: & aliquis homo est animal, igitur aliquid non animal est non homo. Rursum in coniugatis & casibus fiet illud idem manifestum. Nam si omne iniustum est bonum, & omne iustum est malum: & si omne iniuste factū est bene, & iuste factū male. hæc à cōiugatis cōtrarijs ad uniuersale problema. Sic ab eisdem ad particulare problema, si aliquod iniustū est bonū, & aliquod iustum est malum: & si aliquid iniuste factū bene, & aliquid iuste factū male: & si omne delectabile fugiendum, & omnis delectatio fugienda: & si delectabile quoddā fugiendum, & quædā delectatio fugienda: & si aliquod delectabile utile, & quædā delectatio utilis monstratur. in quibus omnibus non aliter differitur in particulare quàm uniuersale problema.

Et in corruptiuis autē & generationibus & corruptionibus similiter. Nam si aliquod corruptiuū delectationis vel disciplinæ bonum est, erit quædam delectatio vel disciplina malorum. Similiter autē & si corruptio quædam disciplinæ bonorū vel generatio malorum, erit quædam disciplina malorum: vt si obliuisci quæ quis turpia egit bonorum est, vel reminisci malorum, erit scire quæ quis turpia egit malorum. similiter autem & in alijs. in omnibus enim similiter probabile.

Erunt opportuni & cōmunes problematibus vniuersalibus & particularibus, loci à corruptiuis generationibus & corruptionibus. nam qua ratione problema hoc vniuersale monstratur, omnis uoluptas est malū, q̄ omne uoluptatis corruptiuū sit bonū: sic & istud particulare, aliqua uoluptas malum, q̄ aliquod corruptiuum uoluptatis est bonum construitur. Quorū enim corruptiua sunt bona, illa quæ corrumpuntur sunt mala. Similiter à generationibus trahetur cōmunis ad utrūq; ratio. nam quorū generationes sunt bonæ, illa sunt bona. quare q̄ omnis sciētia sit bonū, à generationibus mōstrabitur, quoniā omne productiuū sciētiae est bonū. similiter & aliquā sciētia bonā, q̄ aliquod productiuum sciētiae sit bonū firmabimus: & aliquam generationē sciētiae bonā à corruptionibus probamus. nam si omnis corruptio sciētiae sit mala, & omnis sciētia est bona: similiter si quædam corruptio sciētiae sit mala, & aliqua sciētia bona. Porro si dicatur quòd omnis corruptio disciplinæ est bona, uel omnis generatio disciplinæ est mala: & quoniā omnis disciplina esset mala colligetur. similiter in particularibus, si quædam corruptio disciplinæ sit bona, uel quædam generatio disciplinæ mala: & quædam disciplina habetur mala. ut si omnia obliuisci turpiter facta sit bonum, & reminisci malum: & scire omnia turpiter facta malum erit. sic in particulari, si obliuisci quæ quis turpia egit bonum sit, & reminisci malum: & scire quæ aliquis turpia patrauit malum erit. Similiter autem & in alijs generationibus, corruptionibus, usibus, sumptionibus, effectiuis, corruptiuis. nam quicquid probabile in vniuersale problema desumitur, & in particulare nō minus probabile sentietur.

2
Locus à cat
sis.

Amplius ex eo quod est magis, & minus, & similiter. Si enim magis quidem eorum quæ sunt ex alio genere aliquid tale, illorum autem nihil est: neque quod dictum

est, erit tale. Vt si magis quidem disciplina quædam bonum quàm voluptas, nulla autem disciplina bonū: nec voluptas bonum erit. Et ex eo quod est similiter quidē, & minus, eodem modo. nam erit & interimere & construere. Veruntamen ex eo quod est similiter, vtraque: ex minus autem, construere solum, destruere autē non. si enim similiter potestas quædam bonum & disciplina, est autem quædam potestas bonum: & disciplina. si autem nulla potestas bonum, nec disciplina. si autem minus quædam potestas bonum quàm disciplina, est autē quædam potestas bonum: & disciplina. At vero si nulla potestas bonum, non necesse est & disciplinam nullam esse bonum. manifestum igitur quoniam construere solum, ex eo quod minus, est. Non solum autem ex alio genere est destruere, verum & ex eodem: dum sumit quis quod maxime tale est. Vt si positum est, disciplina quædam bonum, ostēdatur autem quoniam prudentia non bonum: nec alia vlla erit, quia nec quæ maxime videtur.

3
Locus à cō
paratione.

A maiore
ratio.

Insuper conferunt loci maioris, & minoris, & paris, particulari-
ribus problematibus probandis non minus quàm in vniuersalibus. qui
tamen habeantur & quotuplices, dictum amplius in secundo: & quoniam
soli à maiore destructiui, à minore cōstructiui, à pari & constructiui
& destructiui. ut qui uelit colligere aliquā uoluptatē non esse bonum,
ratiocinabitur à maiore deducto argumento, quod quædam disciplina sit
magis bonum quàm uoluptas: atqui nulla disciplina est bonum, igitur neq;
aliqua uoluptas. Nam siquid magis tale uidetur eorum quæ sunt ex alio
genere, & nihil illorū sit tale: neq; quod proponitur & dicitur, erit tale.
ut uoluptas & disciplina quæ sunt genere diuersa in uno comparantur bono,
quod si ea quæ in genere disciplinæ sint omnia magis bona quàm uoluptates,
& remoueātur à bono illa, & uoluptates. Neque solum in diuersis genere à
comparatione ualebit ratio ad particulare problema, sed etiam in eodem genere:
dum in argumento afferatur determinatio illa, quod in tali maxime tale uidetur
esse. ut positum sit problema particulare, quædam disciplina est bonum seu
uirtus, si ostendatur quoniam prudentia, quæ maxime uidetur bona, non est
bonum in tali genere, neq; scientiam bonū esse, uel disciplinam

concluditur. Nomine disciplinae saepe utimur pro habitu bono uel uirtute: cum autem prudentia non sit scientia proprie uel disciplina, neque maxime disciplina dicitur, nisi positio constituatur Socratis & argumentatio respondens in illum fiat. Quare notum est, quod quicumque in eodem genere, id quod maxime tale dicitur, non esse tale ostendet, idem argumentabitur ad destructionem problematis. ut quandam uirtutem non esse scientiam ostenditur, quod maxime uirtus prudentia non est scientia: neque igitur liberalitas erit scientia, neque alia particularis. Vt conuenit uti à maiore ad problemata particularia differendo, sic à pari & à minore iuuabit & construendo & destruendo argumentari in eadem particularia. Nam à pari utroque modo & constructiuo & destructiuo disputatur, quod exemplis fiet exploratum. Primo à paribus constructitur particulare problema, quo dicitur, quaedam disciplina est bonum. nam similiter se habere ponuntur potentia & disciplina ad bonum: atqui quaedam potentia est bonum, igitur & quaedam disciplina. Destruetur ab eodem loco, sic: nulla potentia est bonum, uel aliqua, igitur neque aliqua disciplina est bonum. A minore solum constructiuum argumentum desumitur. ut si minus bonum sit potentia quam disciplina, ac quaedam potentia sit bonum, igitur & quaedam disciplina. Minoris destructio non infert maioris euerfionem: quemadmodum constructio maioris confirmationem minoris affert. quare à maiore destructiuus, à minore constructiuus tantum, à paribus communis problemati particulari est locus. Omittimus ab eisdem locis differendi usum in uniuersalia problemata: quoniam crambe, ut dicitur, pluries repetita mors est.

Amplius ex suppositione similiter postulante, si uni & omni inesse vel non inesse: ut si hominis anima immortalis, & alias: si autem haec non, nec alias. si igitur inesse alicui positum est, ostendendum quoniam alicui non inest: nam consequetur per hypothesim nulli inesse. si autem alicui non inesse positum est, ostendendum quoniam inest alicui: nam & sic consequetur omnibus inesse. Manifestum igitur est, quod qui hypothesi utitur, facit problema uniuersale particulariter positum. nam particulariter contentem uniuersaliter postulabit confiteri, eo quod uni & omni similiter postulauerit inesse.

Ad particularia problemata, uel construenda, uel destruenda ualent rationes per hypothesim acceptae, quae & uniuersalia monstrant. si-

q. i.

A pari loc^o

A minore ratio.

4
Locus p^{ro} sup
positionem

militer enim probabilis uel improbabilis propositio ex suppositione accepta & disputatio. Nā ex suppositione locus est, quādo quod in uno postulatum est, & in omnibus similiter desideratur, siue constructiue, siue destructiue: ut qui uelit ostēdere omnē animam esse immortalem, suppositionis loco utetur, qui efflagitabit ut si uni animæ ostendatur immortalitas inesse, & omni inesse concedatur: proponat demū animā hominis esse immortalem, & omnes esse immortales ex pacto & suppositione colliget. qui autē contendet uniuersalē negatiuā monstrare, ex destructione unius particularis habita per suppositionē poterit destructionē uniuersalē inferre. si igitur uniuersale problema, siue affirmatiuū, siue negatiuū probetur ex suppositione, nulli dubium esse debet suppositionem cōferre ad particularia problemata: quoniā habitis uniuersalibus per suppositionē, particularia simul colliguntur, & oppositū particulare destruitur. si quis enim uelit destruere particulare affirmatiuū, ostendat per suppositionē uniuersalem negatiuā propositionem, ex cuius conclusione sequitur particularis affirmatiui destructio. Ex destructione uero uniuersalis propositionis negatiuæ, particularis affirmatiui problematis consequitur compositio & probatio. Ad constructionē autē negatiui problematis uel destructionē, per uniuersalē propositionē affirmatiuā conari oportebit: quæ per suppositionē cum respondēte factā desumetur. Quare manifestū, parū referre siue uniuersale siue particulare supponētī sit probandū. nā supponēs, uniuersale facit, quod particulariter monstratum est: eo quod id quod in uno ostensum est, in omnibus similibus monstrari & dari contendat.

Cum autē indefinitū est problema, vno modo destruere contingit: ut si dixerit voluptatē bonū esse, uel non bonū, & nihil aliud quicquid determinauerit. Nam si aliquā voluptatē dixerit bonū esse, ostēdendū uniuersaliter quod nulla, si debeat interimiri propositum. similiter autē & si aliquam dixerit voluptatē nō esse bonū, ostēdendū uniuersaliter quod omnis. aliter uero nō contingit interimere. Nā si ostēderimus, quoniā quādā est voluptas bonū, uel nō bonū: nondū interimitur propositū. Manifestū igitur quoniā interimere quidē vno modo dicitur, construere autē dupliciter. siue enim uniuersaliter ostēderimus, quod omnis uoluptas bonū, siue quod est quēdā voluptas bonū, ostēsum erit quod propositū est. similiter autē & si oporteat differere quod

est quedā voluptas nō bonū, si ostenderimus q̄ nulla bonū, vel q̄ quedā nō bonū, ostendemus vtrūq; & vniuersaliter & particulariter, quòd est quedā voluptas nō bonū.

Particulare indefinitū p̄blema dicitur quod sepositū est ab omni determinatione: & id uno modo destruitur, duobus cōstruitur. Nā particularia p̄blemata quædā sunt simpliciter & indeterminate dicta, quædā una determinatione definiuntur, quædā pluribus. quorū neq; eadē est vis cōstructiua & destructiua adinuicē. quare legibus & præceptis taliū problematū naturas recludere conandū est. nu sine methodo aliqua nemo nisi temere differere in talia poterit, cui vis nō fuerit perspecta. Ne quid tamē perplexū relinquatur, à problematū diuisione tanq̄ à capite summo rem petemus. Omne enim problema est vniuersale uel particulare. quare qui propositum problema habuerit, quodcūq; id sit, sentiet alterū horū esse: per pēdet itaq; animo ante cōgressum, utrū sit statutum problema vniuersale, an particulare. Neque enim certamen constituet legitimū colluctator, qui de re incognita digladietur, qui uel robur uel infirmitatē rei debellandæ non perspexerit, & demū quibus utrumque expugnare possit: quoniam non omnibus idem concursus conueniunt; neq; eadē struuntur insidiæ. Dialectici igitur fuerit (cuius omne certamē suscipitur in problemata) intelligere problemata illā in quæ pugnandū sit: utrum sint vniuersalia, an particularia: q̄ illis omnibus non eadē admoueātur machinæ expugnandis uel protegēdis. si enim vniuersale offendatur problema, id locis superioribus de promptis, examinandum relinquitur. nam de illo vniuersali intelliguntur omnes loci præscripti: cuius uirtus tanto minus euerfioni resistit, quanto pluribus abundabit locis destructiuis. si uero particulare sit problema, suspiciendum est, si simpliciter & sine determinatione dicatur, uel cum una, uel cum pluribus: de quibus omnibus nunc agendum. Primum si sine limitatione proferatur problema particulare, id duobus modis cōstruetur, & uno tantū modo destruetur. Proinde qui ponit uoluptatē bonū esse, uel uoluptatē nō esse bonū, nulla adiunctione subiecto facta, talia problemata, quæ indefinita sunt, uno modo destruiuntur, per uniuersales propositiones his oppositas: nā istæ sunt simpliciter particulares indefinitæ & sine determinatione, uoluptas est bonū, & aliqua uoluptas est bonū, quæ eadē sunt: quas uno modo licet per uniuersalem negatiuā interimere hanc, nulla uoluptas est bonū. nā per particulare negatiuā conatus omnis uanus erit. Similiter particu-

5
Particulare
simplex seu
mel destruit,
construit
dupliciter.

lare negatiuū indefinitum nō nisi per uniuersalem affirmatiuā infirmabitur. Verum talia cōtingit dupliciter construere, & per uniuersalē propositionē sub qua cōtinentur, & per particularē illis similem & respondentem: ut aliquā uoluptatem probabit esse bonū, qui omnē ostēdet esse bonū, uel qui uoluptatē studiosi & felicitis. Similiter & qui negatiuum particulare problema cōstruere uelit, per uniuersalem propositionem negatiuam, & per particularē: ut aliquam uoluptatem non esse bonū probabit, qui nullam, uel qui intemperantis uel incontinentis uoluptatem non esse bonam colligit. quare sit liquidum duobus modis construī, & uno destrui indefinita problemata particularia.

Quum autē determinata fuerit positio, dupliciter interimere erit. ut si ponatur alicui quidē inesse uoluptati bonū, alicui autē non inesse. Nam siue omnis ostendatur uoluptas bonū siue nulla, interemptū erit propositum. Si autem vnā solam uoluptatē posuerit bonū esse, tripliciter contingit interimere. Nam ostēdentes quòd omnis uel quòd nulla uel quòd plures quàm vna bonum, interimētes erimus quòd propositum est. In pluribus uero positione determinata, ut quòd prudentia sola est uirtutum scientia, quadrupliciter est interimere. Nam ostensò quòd omnis uirtus scientia, uel quòd nulla, uel quòd alia aliqua, ut iustitia, uel quòd eadē prudentia non est scientia, interemptum erit propositum.

6 si determinatū fuerit problema (positio enim problema est, & sæpe unum pro altero ponimus) dupliciter cōtingit interimere dum determinatio talis fuerit in problemate, quali utimur in hoc problemate, aliqua uoluptas est bonū, seu quædā, ac si diceres una uoluptatū est bona, alia nō: qua determinatione duæ concipiuntur propositiones, quare dupliciter continget ipsum destrui. Nā ostensæ uniuersales utriusq; ordinis propositiones particulares illas inclusas problemati ob determinationem euertent. qui enim mōstrat omnem uoluptatem bonū, destruit quòd quædam uoluptas sit bonū, & quædam non. Similiter qui probat nullam uoluptatem esse bonū, destruit q; quædam sit bona & quædam nō. quare problema sic determinatum euertitur eo quòd utrāq; particularem propositionem includat: quarum quamlibet per uniuersales oppositas contingit destrui: unde tota illa eisdem euertitur. eodē modo in cæteris particularibus problematibus talem determinationē in-

6
Locus à cōgnitione definiti.

Prima problematis de terminatio.

duentibus efflagitandum. Si uero problema particulare determinetur Secunda.
 hoc modo quo dicimus, unam solam uoluptatem esse bonum: illud tri-
 pliciter destrui potest. Nam qui ostendit quòd omnis uoluptas est bo-
 num, sequitur quòd non una sola uoluptas est bonum. secundo quoniam
 nulla uoluptas est bonum, colligitur quòd non una sola uoluptas est
 bonum. Postremo qui ostendit plures uoluptates esse bonas, infert
 non unam solam uoluptatem esse bonum. Eodem modo in similibus di- Tertia.
 cendum. Si autem in pluribus determinetur particulare problema, &
 sic proferatur, Prudentia sola uirtutum est scientia: tale quadrupli-
 citer contingit destrui. Primum quòd monstratur, omnis uirtus est scien-
 tia, sequitur quòd non sola prudentia inter uirtutes est scientia. Dein-
 de ratio quæ probat nullam uirtutem esse scientiam, destruit quòd
 prudentia uirtus sit scientia. Insuper qui colligit quòd iustitia uel alia
 uirtus sit scientia, tollit propositum. Postremo interimitur argumen-
 to inferente prudentiam nõ esse scientiam. quare notum quatuor mo-
 dis eueriti propositum particulare, & similia huic. simul peruium est
 quanto plures accesserint problemati determinationes, & ipsum cir-
 cundederint: tanto pluribus destrui. quare in problemata particula-
 ria differenti necessaria fuerit talium naturæ cognitio: ut ante con-
 gressum intelligat, quibus opus fuerit rationibus, & quot modis con-
 strui uel destrui possit.

Vtile autem & inspicere in singularibus, in quibus in-
 esse aliquid, vel non, dictum est: quemadmodum in uni-
 uersalibus problematibus.

Quemadmodum ad constructionem uel destructionem uniuersalium
 problematum dictum est in secundo, perspicenda esse singularia &
 quæ uniuersalibus continentur, è quibus argumentum trahatur con-
 structiuum uel destructiuum: sic in constructione particularium pro-
 blematum non erit negligenda singularium cognitio, & in destructio-
 ne consequenda similiter. ut qui aliquam uoluptatem bonum asse-
 re contendit, per singularē aliquā particulari problemati conclusam
 corroborabit. nã sicut per multa singularia uniuersale concluditur,
 uel afferenda est instantia: sic & particulare per quoddam singula-
 re. si uero destruere particulare sit in animo, per multa singularia
 discurrendum est diuersi ordinis, quibus uniuersalis colligetur alteri
 repugnans posito problemati. nam ex multis singularibus uniuersalis
 colligitur, quæ erit destructiua problematis particularis

q. iij.

7
 Locus à sin-
 gularibus
 subiecti.

dinis. ut si sit affirmatiuū particulare destruendum, quærenda erunt singularia, quibus colligetur uniuersalis negatiua illi repugnans. & sic in alijs.

Amplius autem & in generibus inspiciendum, diuidenti secundum species vsque ad indiuidua, sicut prius dictum est. Nam si omni appareat inesse, siue nulli, multa proferenti, postulandum uniuersaliter confiteri, aut ferre instantiam in aliquo non sic.

8 *Insuper perspicienda erit generis diuisio, cui accidens inherere dicitur in particularibus problematibus, siue construendis siue destruendis, quemadmodum traditum est in secundo libro de problemate construendo uel destruendo uniuersali, per diuisionem generis in species, ut sit propositum problema particulare, utrum aliquorum oppositorum sit eadem disciplina, an non: per partium contemplationem facile conijcitur constructio uel destructio illius. si enim omni inesse apparet subiecto prædicatum, uel multis: tunc construendum est problema, ut uniuersaliter omnibus ipsius subiecti conueniens. quare & particularis constructio habetur. si uero euertendum, id fiet per uniuersalem acceptam ex multis singularibus illius generis, ut superiore modo dicebatur. nam hic locus à superiore dissidet, quòd hic de generis diuisione solum intelligatur, alter de cuiusuis sectione cui accidens aduenire est confessum.*

Amplius in quibus possibile est aut specie aut numero determinare accidens, inspiciendum, si nullum horum inest. ut quòd tempus non mouetur, nec est motus, an numeranti quot sunt species motus. Nam si nulla earum inest tempori, manifestum quoniam non mouetur, nec est motus. similiter autem & quòd anima non est numerus, diuidenti quoniam omnis numerus aut impar aut par. Nam si anima neque impar neque par, manifestum quòd non est numerus. Ad accidens igitur per talia & hoc modo argumentandum.

9 *Ex diuisione subiecti tradebantur rationes in destructione uel constructionem problematis particularis, non aliter quàm uniuersalis ab accidente. Nunc uero ex diuisione prædicati facta secundum speciem uel numerum excitantur. Nam si accidens genericum dicatur accidere*

Locus ex diuisione generis.

Locus à diuisione prædicati.

subiecto, id erit uel secundū species, uel indiuidua. Vt sit problema, utrū tempus moueatur: prædicatum genus est ad suas species, sed tanquam accidens dicitur de tēpore: quare & id ab accidente denominamus generico: in quod per prædicati diuisionem in species & acceptiones contendemus: quarum si nullam subiecto inesse monstremus, neq; uerum esse problema per partium destructionem exploramus. Neq; uelim ut arripiat quis exempli occasione motum esse genus horum, quòd Aristoteles non asserit, sed in positionem disputat, si motus genus sit constitutum ad generationem, corruptionem, augmentationem, diminutionem, alterationem, & secundum locum mutationem, per partes destruetur, est tamen communis quædam uox omnibus illis tantum, quòd significet ea quæ diuersis prædicamentis continentur. Quòd si quis obijciat, nullum multiplex definitur, at motus est definitio hæc, Actus entis in potentia quatenus in potentia, ex tertio physicorum: An scire oportet illam esse multiplicem? Nam prout quælibet res fuerit simplex uel multiplex, definitionē quoque illius talem æstimare congruit: quemadmodum dictum est de definitione salubris in primo, quæ multiplicem significatum amplectitur. Actus entis non idem enuntiat in quantitate, qualitate, & loco. Similiter si anima dicatur numerus, differendum per diuisionem numeri. neque enim par, neque impar, neq; binarius, neq; ternarius, neq; aliquid huiusmodi est anima, igitur nulla anima est numerus, & per consequens aliqua anima minime est numerus. Construi etiam potest diuisione problema particulare statutū. Manifestū itaq; potest esse, quibus modis in problemata accidentis, tam particularia quàm uniuersalia, siue simplicis sint, siue comparati, liceat congregari. Nam ad hæc omnia constituti sunt loci & secundo & tertio libro copiosissime: quibus construuntur uel destruantur, & quibus modis in hæc argumentandum sit.

ANTO. DEMOCH. HYPOMNEMA
 LOCI IN PROBLEMA ELIGIBILIORIS VNI-
 uersale hunc ordinem sunt sortiti.

Primus, à tempore	31	à difficultate
2 ab authoritate	32	à proprietate
3 à genere	33	à malorum incōmixtione
4 ab eo quod est propter se	34	à comparatione positiui
5 ab eo quod secundum se	35	à superlatiuo
6 à causa per se	36	ab amicis
7 à simpliciter bono	37	à bono amicorum
8 à natura bono	38	à circumstantijs
9 à subiecto digniore	39	à commodiore
10 à proprio	40	ab independente
11 à subiecto meliore	41	à dissimulatione
12 à fine	42	ab increpatione minori
13 à propinquitate finis	43	ab increpatione maiori
14 à finibus mediij	44	à propria uirtute
15 à possibili	45	à bonorum effectiuis
16 à fine meliore	46	à casibus & coniugatis
17 à proportione	47	à comparatiuo
18 à comparatiuo	48	à superabundantia
19 à consequentibus	49	ab eligibili propter se
20 à numero	50	ex appositione eidem
21 à uoluptate	51	ex adiunctione minori
22 ab opportunitate	52	ex ablatione
23 à toto tempore	53	propter se
24 ab independente	54	propter se & gloriam
25 à causis	55	à magis propter se
26 à propinquiore	56	à diuisione eligibilis
27 à similitudine boni	57	propter melius
28 à similitudine melioris	58	ab impedimentis uirtutum
29 à similiore bono	59	à solo eligibili
30 à dignitate		

LOCI AD DISSERENDVM IN OMNE PRO-
blema comparationis uniuersale.

- Primus, à natura
 2 à causa efficiente
 3 à comparatiuo
 4 ab adiunctione
 5 à remotione
 6 ab impermixtione
 7 à definitione.

LOCI AD PARTICVLARIA PROBLE-
mata conducentes.

- Primus, ab oppositis, coniugatis & casibus
 2 à corruptiuis & generationibus
 3 à minore, maiore & pari
 4 ex hypothesi
 5 per indefiniti naturam
 6 ex definiti cognitione
 7 ex diuisione subiecti
 8 ex diuisione generis subiecti
 9 ex diuisione prædicati.

ANTONII DEMOCHARIS

RESSONEI IN QVARTVM LIBRVM

TOPICORVM ARISTOTELIS,

HYPOMNEMA.



Off hęc autem de ijs quę ad genus & proprium inspiciendum. sunt autem hęc elementa eorum quę sunt ad terminos: de his p̄s̄is autem raro considerationes fiunt disputantibus.

De inuentione argumentorum duobus superioribus libris in problema accidentis, siue simpliciter producti, siue in comparatione uocati, ut arbitror, dictum est satis. Neque tamen omnia demum quę ad inuentionem absolutam pertinerēt sumus executi, quum etiam multa supersint pręscribenda. Nullam enim in problemata generis, proprii, nec non definitionis, argumentorum traditionem tractauimus: quę tamen prius subiecinus dialectici negotio. Quatuor enim problematum genera rationibus inmixta firmissimis construximus: ab accidente, genere, proprio, & definitione, prędicantibus uoculis nomen sortita. Problematis ab accidente omnes locos circūstrauimus sollicitę, quos & numero & nominibus (utinam satis feliciter) comprehendere studuimus. Verum dum curiosius his insisteremus, ecce gemebunda festināti cursu nos inuadunt tria alia problematum genera quod reliqua fierent & tanquam abiectissima negligenterur. quorum dum multitudinem, grauitatem, & dignitatem contemplamur, improuisis & inauditis rebus attoniti animum omnino deieceramus, nisi blande nos inuitassent ad susceptos labores: quos uel eo nomine quod nobis minores tolerandos putauimus, ultrōque calamum impulimus ad generis problema describendum: quod ab accidente primum ordinem occupauit, quia communius esset & simplicius duobus reliquis. Nam familiarius est accidenti genus, quā reliqua. Nam id quod solum inesse alicui contentum est, accidens dicitur. quare & simplicissimus & communissimus accidentis existendi modus, at tria reliqua modum quendam requirūt certum pręter inesse subiecto, quemadmodum in septi-

Quare genus sequatur accidēs.

mo ostenditur. Genus inter reliqua coniunctius est accidenti. nam & de pluribus non recurrentibus, quemadmodum accidens, prædicatur: proprium & terminus conspirat cum specie. Similiter sicut accidentis omnium facillima est constructio, destructio autem difficillima: sic & generis post accidens est facillima compositio, dissolutioq; laboriosissima. quare quia genus cæteris cõmunius, bono iure fuit illis præferendum: cuius & structura esset facilior, & accidenti primo cõuenientior. nam quòd propinquius sit primo, eodem ordine statuendum uenit. De locis itaque in problema generis uel construendum uel destruendum negotium totius libri habeatur. Adiunguntur & problemati generis problemata differentie & speciei. De reliquis duobus problematibus proprii & termini in posterioribus suo ordine dicemus. Post accides locos maxime congruū fuerit locos ad problema generis & proprii cõsiderare. Nā loci quibus cõstruimus uel destruimus genus, nec nõ proprium, sunt principia & elementa ad congregiendum in problema definitionum. Nam definitio non solum genus requirit, sed & à proprio mutuam conuersionem cum re. Loci igitur quibus componimus genus esse, expedita præmonstrant uiam consequendæ definitionis, q̄ id primum definitionem ingreditur. similiter rationes quibus totam orationem monstrare conspiratẽ studemus, plurimum iuuabunt ad definitionis inuentionem. Loci uero, quibus conamur generis euerisionẽ producere, uel proprii interitum, ad definitionem demoliedam paratur. Nā qua ratione prima statutæ definitionis portio genus nõ esse probatur, uel q̄ tota oratio propria & cõuertibilis non fuerit, & definitio labascit. quare & loci in problemata generis & proprii principia erunt ad definitionem uel euertendam, uel seruadã. Similiter genus & proprium ex eo principia definitionis cognoscuntur, quòd oporteat definitionem hæc habere, ut consistat, ad sui compositionem: at quæ legitimam alicuius compositionem subeunt, ea illius sunt elementa: quòd si principia definitionis ueniant, illa præiacer eoportuit ad cognitionẽ totius cõpositionis consequendam. Principia enim his priora sunt quorũ sunt principia. igitur genus & proprium cum sint principia definitionis, illi præferetur. quare rursus habetur genus esse suscipiendum post accides. nã quia est definitionis principium & eiusdẽ pars, oportuit illi præponere. Verũ quia cõmunius est proprio, ideo huic præferendum uenit. Neq; tamen surdis auribus prætereundũ uenit, q̄ minus frequẽs dialecticis est in problemata generis, proprii, & definitionis disputatio. etenim hæc magis accedunt ad rem quadã lege præscriptã, quã

Genus & p
prium sunt
elemẽta ad
terminum.

Accides fre
quens dial
eticis.

accidens. nimirū genus, propriū, & terminus rem certam habent subiectam: at quum dialectici sit muneris cōmunia in omnibus suspicere, magis opitulabuntur officio accidentia, quæ per omnia peregrinantur, atque omnibus modis dialectico fauebūt. Genera, propria, & definitiones, quæ substantiam & rerum naturam uel annūtiant, uel reddunt, ad demonstratorem uidentur magis declinare: cuius studium est in rerum causis, principijs, & naturis perscrutandis collocatum: qui definitiones amplectatur, proprietates requirat, & speciem, & genus subiectum non refugiat. Proinde ambigui uidentur propositi genus, proprium, & terminus: quæ duobus, dialecticō & demonstratori placere satagunt. communionem quidem & secundum cōmunia considerationem dialectico exhibent: Demonstratori uero, in rebus singulis proprietatem.

Si ergo ponatur genus alicuius existentium, primum quidem inspiciendū ad omnia quæ cognata sunt ei quod dicitur, si de aliquo non prædicatur: quemadmodum in accidente. ut si voluptatis bonum ponatur genus, si aliqua uoluptas non bonū. Nam si hoc, manifestū est quoniā non est genus bonum voluptatis. Nam genus de omnibus, quæ sunt sub ipso, speciebus prædicatur.

I
A cognatis
generi,

Primus locus ad differendum in problema generis dicitur à cognatis destructiuus. Si enim constituatur alicuius genus, ut speciei, in primis considerare oportebit ad ea omnia quæ cognata & eiusdem naturæ sunt cū illa, cuius defenditur genus: quod si probari possit genus assignatū nō prædicari de aliquo cognatorum & eiusdem generis, euerendum fuerit illius genus esse quod ponitur. Quemadmodū in problematibus accidentis ducebamus pulchrū inspicere ad omnia eiusdem naturæ. uerum in illo ad constructionem sufficiens erat, ostendere uinē inesse: ad destructionem uero, nulli. In genere autem, si nō omnibus insit eiusdem naturæ cū proposito cuius genus assignatur, destruendum est esse genus, et si quibusdam insit: quod oporteat genus omnibus inesse eiusdem naturæ, & non secundum partem. Ex hoc loco trahitur argumentum, quo monstramus uoluptatis genus non esse bonum, quod bonum nō prædicetur de omni uoluptate, etenim quædam sunt male uoluptates, ut intemperantiū & incontinentium, de quibus bonū non dicitur. quare non erit uoluptatis genus bonum: quod oporteat genus de omnibus suis speciebus prædicari, & nō sufficiat de aliquibus præ-

dicari. quare si partim prædicetur de illis eiusdem naturæ, destruendum est esse genus. sic virtutum scientia monstrabitur non esse genus, non enim de moralibus prædicatur.

Deinde, si non in eo quod quid est prædicatur: sed vt accidēs. Quemadmodū album, de niue: vel de anima, à seipso agitur. neq; enim nix id ipsum quod est album, quapropter nō est genus albū niuis: neq; anima id ipsum quod est agitur. nam accidit ei moueri, quemadmodum & animali frequenter & ambulare & ambulās esse. Amplius agitur non quid est, sed quid faciens, vel patiens significare videtur. Similiter autem & album: non enim quid est nix, sed quale quid est indicat. quare neutrum horum in eo quod quid est prædicatur.

Locus à prædicatione accidentis, generis destructiuus. si defendatur problema quoddam à genere, cuius prædicatū nō in quid de subiecto prædicetur, sed mōstratur prædicari de subiecto ut accidens: euer tendū est esse à genere: ut qui defenderet niuis genus esse albū, uel animæ à se moueri, eo quòd omnibus cōueniat, destruetur assertio: q̄ nix proprie non est alba, neq; de ratione niuis est albedinē habere: at genus de speciebus ratione prædicatur & proprie, quare album niuis nō est genus. similiter anima proprie & ut anima nō habet ut à se moueatur, sed ei accidit moueri, ut animali frequenter ambulare. quòd si animalis ambulare frequenter non sit genus, sed accidens: sic & animæ moueri à se. ad hæc ratio ipsa conuincit agitari esse nō genus esse animæ, quòd agitari uel actionem uel passionem significat: genus autem in quid dicitur, & non actionem uel passionem subiecto aduehit. Motus enim est & actio & passio: actio quidem, ut educitur à motiuo, at passio ut est ipsius mobilis. utriusque nimirum est & motiui & mobilis motus. Eodem argumento album, quòd de niue in quale & non in quid prædicetur, illius genus esse destruitur. quare id omne hoc loco euertitur genus esse cui conuenit prædicatio accidentis, uel alterius prædicati à genere. sed maxime peccatur in generis assignatione circa accidens ob similitudinis præstigium. est enim proximum generi ipsum accidens, ut dictum est.

Maxime autem ad accidētis definitionē inspiciendū, si aptatur ad dictum genus, vt ad ea quæ nūc dicta sunt: contingit enim quippiam mouere seipsum & non, simi-

2
A prædicatione accidentis.

liter autem & album esse & non quare neutrum horum genus, sed accidens: eo quod accidēs dicimus, quod contingit inesse alicui & non.

3
A definitio
ne accideris

Quod vni
substantie
accidit, alter
rius nequit
esse genus.

Locus à definitione accidentis generis euer siuus. si generi assignato conueniat definitio accidentis quatenus genus assignatur aliquorum, destruetur assertio quæ defendit id esse genus. Accidentis definitio est, quod idem inesse alicui & non inesse contingit: quæ definitio nem si monstrauerimus conuenire albo ad niuem, & agitari ad animam, manifestum erit illa non esse genera ad hæc. at contingit aliquid seipsum mouere & non, ut animalia ipsa: similiter idem album contingit esse & non esse. quare utrunq; accidens, & non genus. nam si quid alicui substantiæ est accidens, nunquam id aliarum substantiarum potest esse genus. Nam si sit accidens substantiæ, seu alicui subiecto, illa erunt diuersorum prædicamentorum. Nam subiectū est prædicamenti substantiæ, & accidens alicuius nouem prædicamentorum accidentis: quod si fiat, & dicatur genus alicuius substantiæ quod alteri accidebat, oportebit & utrunque esse eiusdem prædicamenti. nam in quo genus, & species: & contra. quare haberetur substantia in aliquo noue prædicamentorum accidentis species, uel accidens in prædicamento substantiæ. notū est igitur, si quid alicui substantiæ accidit, nullius poterit esse genus: at album accidens est alicuius substantiæ, similiter & moueri: quare neutrum potest esse genus uel niuis, uel animæ: quod substantiæ sint. fieri tamen potest ut quod alicui substantiæ est accidens separabile, alteri sit inseparabile: ut albedo uel frigiditas niui accidit inseparabiliter, alijs autem multis non: quod si album sit substantiæ uel corpori accidens, & color: nam cui species accidit, & genus.

Amplius si nō in eadem diuisione genus est & species, sed hæc quidem substantia, illud autem quale: aut hoc quidem ad aliquid, illud autem quale. ut nix quidem & cygnus substantia, album autem non substantia, sed quale. quare non est genus album niuis, neque cygni. Rursum disciplina quidem ad aliquid, bonum autem & pulchrum quale. quare non est genus pulchrum vel bonum disciplinæ. Nā genera eorū quæ sunt ad aliquid, & ipsa ad aliquid oportet esse: ut in duplici. etenim multiplex genus est duplicis, & ipsum eorum quæ sunt ad aliquid est. Ut vniuersaliter autem dicatur, in eadem diuisione oportet

genus esse speciei. nam si species substantia, & genus: & si quale quippiam species est, & genus quale quippiam: vt si albū quale quippiam, & color: similiter autē & in alijs.

Locus à prædicamenti distinctione destructiuus generis. Quū species omnis rationem sui generis tanquam primi parentis naturam redoleat, necesse fuerit, in quo prædicamento residebit species, in eodem genus collocari, & contra. nam genus suam naturam speciebus distribuit & communicauit. quare qui mōstrat genus quoddam positum in eodem prædicamēto nō consistere cum specie cuius genus dicitur esse, id concludendum est per hunc locū non rectē poni genus. Impermixtæ enim sunt prædicamentorum rationes, & proprijs finibus conclusæ. neque enim substantia irrumpt in terminos quātītatis, neque alterius, neque contra impetitur à cæteris: sed unumquodque suo imperio & regione contentum est. quare non deficiet aliqua species ab aliquo prædicamentorum, ut transeat in aliorum partes. quum igitur nix prædicamēti sit substantiæ (Nix enim est substantia corporea, mixta, imperfecta, uaporosa, è nube cōcreta) similiter & cygnus sit substantia, neutrius album erit genus: quod non sit substantia & eiusdem prædicamēti cum illis, sed qualitatis. sic disciplina non erit genus boni & pulchri, q̄ bonum & pulchrum prædicamenti qualitatis sint, disciplina ad aliud dicatur, ut ad disciplinatum: at oportet q̄ cū specie genus in eodē sit prædicamento. Eorum enim quæ sunt ad aliquid, & genera ad aliquid: ut duplicis genus est multiplex, quorum utrumque est ad aliquid. Et ut rem paucis perstringamus, in singulis oportet, in quo prædicamento fuerit species, & genus: & cōtra, genus oportet esse in eodem cū speciebus: ut si species sit substantia, & genus: & cōtra. & in quātītatis prædicamento si fuerit species, & genus: & contra. similiter in alijs idem conspicietur. sed obiiciet quis de disciplina, quod sit prædicamēti relationis, tamē musica, geometria, & illius species sint qualitates. An disciplina sit genus illarū ut qualitas est, non autem ut ad aliquid dicitur. Nomina enim habituum ferme omnia relationem habent aliquam: quare & rationes diuersas.

Rursum si necesse fuerit, vel si contigerit genus participare quod positū est in genere. Terminus autem eius quod est participare, est suscipere participati rationē. manifestum igitur quoniam species quidem participant genera, genera autem species non. Nam species suscipit ge-

4

A prædicamēti distinctione.

neris rationem: genus autem speciei non. Considerandū igitur si participat, vel contingit assignatum genus participare speciem: vt si quis entis, vel vnus genus quippiā assignauerit. accidet enim genus participare speciē. Nam de omnibus quæ sunt, ens & vnum prædicatur. quare & ratio eorum.

5
A speciei
participati-
one.

Locus à speciei participatione destructiuus problematis generici. si ponatur in generis problemate assignato prædicatum quod speciei rationem suscipiat, uel suscipere possit, male asseretur esse problema à genere, quod genus eius quod ponitur in genere rationem non suscipiat. Definitio eius quod est participare, est suscipere rationem illius, quod participatur. species igitur participare habent genera, uerū genera specierum rationem non suscipiunt. nam superiora inferiorum rationem non recipiunt, sed contra. Quare si contigerit ex assertione alicuius monstrare quod assignatur pro genere participare positum in genere, uel posse participare, destruendum: ut qui entis defenderit genus esse aliud, uel vnus substantiam uel quippiam, eo quod accideret genus participare id quod poneretur in genere, falsam positionē monstrabimus. Nam quicquid assignetur pro genere entis uel vnus, de eo prædicabitur ens, similiter & unum: quare contingeret quod ponitur in genere de suo genere prædicari, & speciei rationem suscipere.

Amplius si de aliquo assignata species verificetur, genus autem non: vt si ens aut scibile, opinabilis genus ponatur. Nam de non ente opinabile prædicabitur: multa enim non entia opinabilia sunt. at quod ens vel scibile non prædicatur de non ente, manifestum. quare non est genus ens neq; scibile, opinabilis. nam de quibus species prædicatur, & genus oportet prædicari.

6
A speciei ve-
rificatione.

Locus à speciei uerificatione destructiuus problematis à genere. Quoniam de quibus inferiora prædicantur, & superiora de eisdem prædicari oporteat, genus autem specie superius est. nam species est generis pars, genus totum. quare de quibus species prædicatur, de eisdem genus dicitur. quicquid enim est pars partium, est & totius pars: at in diuidua de quibus species prædicantur, sunt partes specierum, & species partes generum. Quod si contigerit de aliquo speciem uerificari, & genus de eodem non uere dicatur: manifestum est non esse genus illius speciei, & de omnibus de quibus dicitur species, genus assignatū

nō prædicetur. quare qui defenderit opinabilis genus esse uel ens uel scibile, per hunc locū destruet positionem, quōd species de aliquo prædicatur, de quo genus assignatum non potest prædicari ens, uel scibile. opinabile enim prædicatur de nō ente, quōd opinio sit entis & nō entis: at ens non prædicatur de non ente, neque scibile. similiter conuenit non enti, nam quod scitur est ens: quia non entis non est scientia. quare neutrum genus erit opinabilis, quōd oporteat de quibus species generis prædicatur, & genus prædicari.

Rursum si nullā specierū contingit participare quod positū est in genere Nam impossibile est participare genus, quōd nullam specierum participat, nisi aliqua secundum primam diuisionem specierum sit: illę autem genus solum participant. si igitur motus genus voluptatis ponatur, considerandum, si neque corruptio, neque alteratio voluptas: neque vllus reliquorū, qui assignari solent, motuum. manifestum enim quoniam nullam specierum participabit, quare neq; genus: eo quōd necessarium est, quod genus participat, & specierum aliquam participare: quare non erit species motus voluptas, neque indiuiduorum, neque eorum quicquam, quæ sub specie motus sunt: nam & indiuidua participāt speciē, & genus: vt quidam homo, & hominem participat, & animal.

Locus à participatione specierum destructiuus problematis generici. Probamus genus male assignari aliquorū, quōd illa de quibus genus prædicatur non participet species generis. Oportet enim inferiora superiorum rationem suscipere, at genus diuiditur in species per differentias proxime. species autē illæ quæ etiam genera sunt, in alias species diuidi possunt per differentias proprias quousq; decisio peruenit ad species infimas, quæ præter indiuidua nihil possident. si igitur quid ponatur in genere quod non sit primæ diuisionis, nec participet aliquā speciē generis assignati, destruedū est esse illius genus. si tamen id quod ponitur in genere sit primæ diuisionis, nō oportebit participare speciē aliquam dicti generis. Nam species dicuntur alicuius generis primæ diuisionis, in quas genus primo & continuo per differentias diuiditur: quas notū est nō posse participare speciē assignati generis quōd propinquæ & continentes existant: ut substantia immedia-

7
A specierū
participati
one.

te in simplex & corpus diuiditur per corporeū & incorporeū, quarum neutra specierū potest participare speciem aliquā generis, q̄ nullæ sint intermediæ inter utrūq; oportet tamē cætera omnia illis supposita alterum specierum participare. Hoc loco igitur probamus uoluptatis genus non esse motū, quōd uoluptas non sit species primæ diuisionis motus, quōd motus non in uoluptatem dirimatur proxime, sed in sex illas pro cōsuetudine motus species, corruptionē, generationem, augmentationem, decretionem, alterationem, & mutationem secundū locum: neque participat aliquam prædictarum specierum. nam neque generationem, quōd generatio sit ipsius substantiæ, neque corruptionem similiter, neque aliam reliquarum: igitur si uoluptas nullam specierum motus participat, neq; genus participabit. quicquid enim genus participat, & specierum aliquā participare fuerit necesse: nisi, ut dictum est, primæ diuisionis ipsius generis fuerit. neq; indiuiduum erit uoluptas ipsius motus consimiliter, quōd indiuidua & specierum & generum rationes suscipiant. De uoluptate quōd motus non sit, in decimo Ethicorum Arist. quamplurima tradit. sit igitur manifestus locus à specierum participatione, quōd quicquid speciem participat, & genus. ut si quidam homo, ut Socrates, hominē participat, & genus: quōd si Socrates neque hominem participet, neque brutum: neque animal participabit. uerum homo & brutum, quia sunt animalis primæ species, non illius participant generis aliquam speciem. & hoc dictum uolunt ex communi uulgarium sententia. Non putamus enim animal proxime & continuo diuidendum in hominem & brutū, q̄ oporteat in omni diuisione generis species coæquæuas esse, & simul natura, ut Aristoteles planissime docuit in prædicamentoru succenturijs, cum quæ simul natura dicerētur redderet. at manifestum est genus omne prius esse specie ultima, brutum autē genus ad alia, homo uero species infima, neq; genus potest esse. similiter si homo & equus species sint simul natura, ut habetur in prædicamento substantiæ, secundæ substantiæ quæ species sunt, æqualiter subiiciuntur, & sunt simul natura. at brutum, quōd genus equi sit, prius est equo & equi specie, igitur & homine. nam quemadmodum in geometricis, datis duobus æquis quicquid altero fuerit maius, & reliquo: sic datis duabus speciebus simul natura, si quid detur prius una, & reliqua: at brutum prius est equo, igitur & homine. quare fit, ut hæc diuisio animalis in hominem & brutum non sit conueniēs, quōd membra & species non sint simul natura. Nisi quis dicat conuenientē diuisionem bruti in equum & cætera

Diffusio animalis in hominem & brutū res probatur.

animalia, & animalis in Socratem & cætera animalia, quam nemo rationis capax fateretur. Nam sicut oportet species esse simul natura, sic differentias oportet simul conspici, & ex opposito diuidant genus.

Amplius si de pluribus dicitur quàm genus quod in genere positum est. vt opinabile, quàm ens. Nam ens & non ens opinabile. quare non erit opinabile species entis. de pluribus enim semper genus quàm species dicitur.

Locus à speciei maiori prædicatione, quo demolitur problema à genere positum, quãdo de pluribus species quàm genus prædicatur assignatu. ut qui opinabilis fecerit ens genus, eo quod de pluribus opinabile prædicatur quàm ens genus constitutum, euertetur problema. opinabile enim & de ente & non ente prædicatur, ens uero de ente tantum: dicitur igitur de pluribus opinabile quàm ens. quare nõ erat bene positum ens genus opinabilis, quippe quod oportet semper genus de pluribus dici, quàm species prædicetur. Neque hic locus est idem sexto, quo dicebatur, si de aliquo species uerificetur, & non genus: etsi usus sit consimili exemplo. Nam ab eo differt, quod ille erat à speciei uerificatione, sic, quod si de aliquo species uerificetur, genus autem de eodẽ nõ dicitur, non bene assignatur genus. hic uero est à speciei maiori prædicatione. quod si species de pluribus prædicetur quàm genus, destruendum est esse genus. Neque enim oportet si quid cõueniat alicui cui reliquum non cõueniat, id esse maius & de pluribus dici. Exemplum huius habetur manifestum in quantitate. nã quantitas continua, & quãtitas non habens positionem, sic se habet, ut alterum de pluribus dicitur quàm reliquum: id tamen quod de pluribus dicitur non continet reliquum. Quantitas continua de linea, superficie, corpore, tẽpore, & loco dicitur: Quantitas uero non habens positionem, de his tantum, numero, oratione, & tẽpore (quæ pauciora sunt superioribus) dicitur: in quibus tamẽ quod minus est de aliquo dicitur, de quo id quod in plura se porrigit nõ dicitur. nã de numero & oratione quãtitas non habens positionem uerificatur, & de illis quantitas continua non enuntiat, quæ tamen plura continet: quare non oportet si quid dicatur de aliquo, de quo alterum nõ prædicetur, id pluribus conuenire. Quẽadmodum nõ colligitur, si quis possessiones aliquas occupauerit, quas alter non teneat, eum plura possidere: sed oportet easdem uel similes, & insuper diuersas: sic ut quidpiam dicatur de pluribus dici, nõ satis est de aliquo dici, de quo reliquum non dicitur: uerũ necesse est ut de

8
A speciei prædicatione maiori.

eodem & de alijs dicitur. Opinabile ut prædicatur de pluribus quàm ens, est huius: ut uero de aliquo altero, est superioris loci exemplum depromptum.

Rursus si de æqualibus genus & species dicitur. ut si eorum quæ omnia consequuntur, hoc quidem genus, illud autè species ponatur, quemadmodum ens & vnũ: omne enim ens & vnum quare neutrum neutrius genus, eo & de æqualibus dicuntur. similiter autè & si primũ & principium ad se inuicem ponantur. Nam & principium primum, & primum principium. quare aut vtraque quæ dicta sunt idem sunt, aut neutrum neutrius genus. elementum autè ad omnia est tale, & de pluribus genus quàm species & differentia dicitur. De paucioribus enim etiam differentia dicitur, quàm genus.

9
Ab æquali
specie gñi.

Locus ab æquali specie generi destruit generis positionem, in qua probatur genus esse speciei æquale: ut si eorum quæ omnia transcendunt alterum alterius constituatur genus, alterũ species: quæ admodum si quis entis, unum fecerit genus, uel aliquod eorum, quæ hoc nomine artis rubeau intelligi possunt pro more inueterato, manifestum ob id quòd inter se sunt conspirantia, unum alterius non esse genus. Eodem modo primum & principium, eo quòd conuertantur inter se, unũ non erit alterius genus. Principiũ & dignitas ad hæc omnia firmissima est. De pluribus genus dicitur, quàm species & differentia. nam de specie notum est, quòd sit generis pars: & de differentia euadet peruiũ, quoniam genus diducitur per differentias: quare & tota generis natura maior illis per partem diductis. Hoc principio quo usus est Aristoteles maxime cõuincuntur illi, qui crediderunt ipsum non usum principijs & dignitatibus, quarũ indubitata esset fides: qui hac ratione & Boetium dānarunt, qui usus esset maximis, ut uocant, & talibus Cicero, & Aristoteles non uterentur, & quæ in nullum usum arbitrarerentur, adijci principium tale. sed illi uiderint, nos nostra prosequamur. Hoc loco exulabit illa opinio, quæ defendit, quantitatem discretam, speciem quantitatis, & eandem conuertibilem: uolunt enim omnem continuã esse discretam, quare omnem discretam quantitatem recurrere cum quãtitate, cuius dicunt esse speciem. Verum testatissimum est illud, vnum errorem datum multi sequuntur. simul illi qui naturalem potentiam uel impotentiam conuerti cum qualitate uel, ut alij, cum ente dicunt expugnata

tur, & qui idem & diuersum cum prædicamento ad aliquid sustinent.

Videndum autem & si alicuius indifferentium specie nõ sit genus quod dictũ est, vel non videatur. Construendi autem, si est alicuius. idem enim omnium indifferentiũ specie genus. si igitur vnius mōstretur, manifestum quoniam omnium: & si vnius non, manifestum quoniã nullius. vt si quis infecabiles ponēs lineas, indiuisibile genus earum dicat esse. Nam linearum habentium diuisionem non est, quod dictum est, genus, cum sint indifferentes secundum speciem: indifferentes enim sibijnuicem secundum speciem rectæ lineæ omnes.

Locus ab indiuiduis destruit generis positionē, qua defenditur aliquid esse genus ad indiuidua tantũ, & ea quæ sunt indifferentia specie & ratione. ut qui diceret hominē esse genus, ad virum & mulierem: nam homo & mulier indiuiduæ sunt rationis, quòd utriusq; eadem & indiuisibilis substantiæ ratio. accidentariã pertransseo, qua sexus cõcipitur. uel qui diceret ad Aethiopes, Gallos, Picardos, genus esse hominē: illi enim nõ differunt substantia, sed loco quem incolunt. Cõstruit uero ille idem, eo quòd si vnius indiuidui monstretur genus, & alterius eiusdem rationis erit genus. Nam omnium indiuiduorum est idem genus eiusdem rationis existentium: quare si vnius, & reliquorũ erit genus: & contra, si vnius non sit, neque reliquorum. Vt qui dixerit linearum infecabilium genus indiuisibile, hac ratione probabit oppositum: quòd indiuisibile non sit genus linearum secabilium, q̄ lineæ secabiles non sint indiuisibiles. Nam lineæ omnes siue diuisibiles siue infecabiles fuerint, eiusdem sunt speciei: igitur si aliquarum nõ fuerit indiuisibile genus, neq; reliquarum erit. Nam omnium indiuiduorum & eiusdē rationis est idem genus. Nec te fugiat nos uocare indiuidua, quæcumque sunt eiusdem naturæ & indiuiduæ seu infecabilis. quare manifestum est, hunc locum & constructiuum & destructiuum problematis generici esse.

Considerandum autem & si quod aliud genus est assignatæ speciei, quod neque continet assignatum genus, neque sub illo est: vt si iustitiæ scientiam ponat genus. est enim virtus genus: & neutrum generum, reliquum continet. quare non erit scientia genus iustitiæ. videtur

enim quando species vna sub duobus generibus est, alterum ab altero contineri. Habet autem dubitationem in quibusdam, quod huiusmodi est. nam videtur quibusdam prudentia & virtus & scientia esse, & neutrum genus à neutro contineri: non tamen ab omnibus conceditur, prudentiam esse scientiam. Si igitur quis admittat, quod dictum est verum esse, attamen subalterna vel sub eodem ambo fieri, quæ eiusdem sunt genera, necessarium videbitur esse: quemadmodum & in virtute, & in scientia accidit, vtraque enim sub eodem genere sunt: nam vtrunque eorum habitus & dispositio est. Considerandum igitur si neutrum in fit assignato generi. si enim neque subalterna sunt genera, neque sub eodem ambo, non erit quod assignatum est, genus.

II
A diuerso
genere.

Locus à diuerso prorsus genere destruit problema à genere statutum. Nam fieri non potest, ut eiusdem sint diuersa genera, quorum unum non contineat alterum. quare si alicuius speciei dicatur quippiam esse genus, cuius sit manifestum esse illius eiusdem aliud vel aliud quoddam genus, considerandum est an illa duo genera prorsus fuerint diuersa, sic quòd unum alterum non complectatur. ubi talia uisuntur, id quod ponitur illius genus, destruitur: eo quod illius speciei habeatur genus quoddam, quod prorsus est ab assignato diuersum. si tamen cõtingeret unum sub alio cõtineri, fieri potest ut eiusdem sint plura genera: ut hominis, animal, corpus, substantia: corui, auis, & animal, & superiora. si quis igitur posuerit iustitiæ genus esse scientiam, à distinctione generum argumentabimur, quòd iustitiæ sit aliud omnino genus, ut uirtus, igitur nõ est iustitiæ genus scientia. nã eiusdem non habentur duo genera inter se diuersa omnino: sed si habeantur plura, oportebit alterum ab altero contineri. Nisi quis occurrat de prudentia, cuius duo uidentur genera diuersa, uirtus & scientia, neutrum enim ab altero continetur. Neque enim uirtus scientiã ambit, quòd geometria sit scientia, sed non uirtus: neque scientia uirtutẽ, quod liberalitas & fortitudo sint uirtutes, non autem scientiæ. An omnes non confiteantur prudentiam esse scientiam, quòd prudentia sit contingentium, & eorum quæ sub actionem ueniunt, & deliberatione: quorum nulla scientia esse potest. Insuper si concedatur quippiam esse duorum generum

non subalternorum, quemadmodum si sapientia ponatur duorum generum non subalternorum, quæ sit uirtus & scientia, dicendum fuerit illa duo sub eodem contineri superiore, ut sub habitu uel dispositione: quod non erit incommodum. Si tamen eiusdem dentur duo genera, quorum neutrum ab alio continetur, neque ambo sub eodem supremo, destruetur constitutum genus per hunc locum, quod eiusdem non habentur duo genera omnino diuersa. Omnino diuersa intelligo, quorum nulla est habitudo superioris uel inferioris. Hoc loco monstratur quòd unita non sit substantia, quia sit quantitas, contra Pythagoreos. Sunt qui hac nostra tempestate (ne antiquos commemoremus) defendant prudentiã esse & uirtutẽ & scientiam, seu clarius, uirtutẽ moralem & habitum intellectus. Nam, inquit, subiecti ratione est ipse intellectus. sed quia auriga uirtutum & gubernatrix operationum moralium, etiam moralis dicitur. Vt qui ponunt quatuor principes uirtutes, quas quidam ab ostij cardine cardinales appellant, prudentiã annumerant. nam illo quaternario numero comprehendunt prudentiam, iustitiam, fortitudinem, & temperantiam. A quorum decisione, neque Cicero desciuit in primo officiorũ. Omitto Chrysippũ, qui cuiuslibet qualitati uirtutem tribuebat: simul Aristonem Chium, qui unam uirtutis naturam & substantiam faciebat accidentario usu differentem.

Considerandum autem & genus assignati generis, & sic semper superius genus: si omnia prædicantur de specie, & si in eo quod quid est prædicantur. Nã omne superius genus prædicari oportet de specie in eo quod quid est. si ergo alicubi dissonet, manifestum quoniam non est genus, quod assignatum est.

Locus à superioris generis prædicatione destruit generis problema, in quo quippiam esse alicuius genus dicitur, cui tamen superius genus, non in quid conuenit: ut qui dixerit corporis genus esse coloratum, demonstratur id esse falsum, quòd quale genus colorati non prædicetur in quid de corpore. Oportet enim de quo genus prædicatur, & superiora omnia genera de eodẽ in quid prædicari. quare si monstretur oppositum, euertendum est problema à genere instructum. Cauendum tamẽ est ne temere quis assentiat huic rationi, quòd si genus de aliquo in quid prædicetur, & superiora: igitur si superiora de aliquo in quid prædicentur, & inferiora genera. Nam habitus de uitio & uirtute in quid prædicatur, non tamen uirtus & uitium de alio.

r. iij.

I 2

A prædicatione generis superioris.

quo eorundem. superiora non colligunt inferiora, sed contra.

Rursum si genus participat speciem, vel ipsum, vel aliquod superiorum generum. Nam nullum superiorum participat quod inferius est. Destruenti igitur, quemadmodum dictum est vtendum.

13
A speciem
participans
tibus.

Locus à speciem participantibus destruit generis positionem. Quò genus habeat de speciebus prædicari & superiora omnia, fieri nõ poterit, ut genus speciem participet. superiora enim nõ participat inferiora, sed contra: at genus specie est superius, similiter quæ genere superiora sunt: igitur si species participetur ab eo quod genus positum est, uel quippiam superius, euertendum est id esse genus. quare qui fecerit uiuentis genus esse animal, male poni monstratur, quod animal participaretur à uiuente: quare & genus à specie, quod est impossibile. eodem modo si aliquid genere superius speciẽ participaret, euertendum esset id genus illius recte assignari.

Astruenti autem si confiteatur quidem inesse speciei quod dictum est genus, at quod vt genus inest dubitetur, sufficit ostendere aliquid superiorum generum in eo quod quid est de specie prædicari. Vno enim in eo quod quid est prædicato, omnia & superiora illius & inferiora, si prædicatur, de specie in eo quod quid est prædicabuntur: quare & assignatum genus in eo quod quid est prædicabitur. Quòd autem vno in eo quod quid est prædicato, omnia etiam reliqua, si prædicantur, in eo quod quid est prædicabuntur, per inductionem sumendum. Si autem simpliciter inesse dubitetur assignatum genus, non sufficit ostendere aliquid superiorum generum in eo quod quid est de specie prædicari. vt si quis ambulationis genus assignauit lationem, non sufficit ostendere quòd motus est ambulatio, ad ostendendum quòd latio est: eo quòd & alij motus sunt: sed ostendendum quòd nullum participat ambulatio eorum quæ sunt secundum eandem diuisionem, nisi lationem. nam necesse est quod genus participat, & specierum aliquam participare secundum primam diuisionem. si igitur ambulatio neque augmentationem, neque diminutionem, neque alios motus participet: manifestum

quoniam lationem participabit. quare erit genus latio ambulationis.

Locus constructiuus generis à generum prædicatione & diuisione. Quantum uirilis fuerat locorum traditio & abundans in destructionem problematis generici, tantum languida conspicitur methodus construendi generis. Si enim uoluerimus construere genus, in primis cogitandum est, si quod pro genere assignatur, speciei insit, & id confiteatur uel non: si admittatur inesse, id uanum esset monstrare. quare superest confirmare, id quod dubitatur uel negatur non prædicari ut genus, seu in eo quod quid: cuius uis quæretur à cæterorum generum prædicatione, quæ monstrantur de eodem prædicari de quo id quod uersum est in controuersiam generis prædicatur: quorum si unum siue superius fuerit siue inferius de eo primo in quid prædicatur & ut genus, & reliqua omnia in quid concludendum est prædicari. quare & assignatum genus de eo primo in quid prædicabitur, quòd & superiora illi & inferiora in quid prædicentur. Omnia autem superiora & inferiora genera de eo primo subiecto prædicari, colligentur per inductionem, singula diligenti examine perscrutando. Quòd si inesse negetur uel dubitetur subiecto seu speciei positu genus, non statim confugiendū ad superiora genera. quia nō oportet si superiora de aliquo prædicentur, & inferiora, sed contra. quare qui dixerit ambulationis lationē esse genus, nō sufficit monstrare motum ambulationis esse genus. non enim sequitur, motus est genus ambulationis, igitur latio. Ratio enim à genere ad speciem constructiua est infirma, opus igitur fuerit adminiculo diuisionis. Nam cum habeamus motus illi conuenire tãquam genus, oportebit & specierum aliquam de ambulatione prædicari, quòd ambulatio non sit primæ diuisionis ipsius motus. quare cum ambulatio speciem motus aliquam participet, & non augmentationem, neq; diminutionē, neque alterationem, neq; generationem, neq; corruptionem, necesse fuerit lationem participare, uel non esse motum. nam à quo remouentur partes, & totum.

14
A generis prædicatione.

Rursum de quibus species quæ posita est ut genus prædicatur, considerandum si & assignatum genus in eo quod quid est de ipsis eisdē prædicatur, de quibus & species. similiter autem & si omnia quæ supra genus sunt. Nā si alicubi dissonat, manifestū quoniā non est genus quod assignatum est: si enim esset genus, omnia & superiora il-

lius, & ipsum in eo quod quid est prædicarentur de ijs, de quibus & species in eo quod quid est prædicatur. De-
struenti igitur, vtile si non prædicetur genus in eo quod
quid est, de quibus & species prædicatur. Astruēti autem,
si prædicetur in eo quod quid est, vtile. Accidet enim ge-
nus & speciē de eodē in eo quod quid est prædicari. quare & idem sub duobus generibus fit. Neceffe est igitur
subalterna genera esse. si igitur ostendatur quod volu-
mus genus astruere nō esse sub specie, manifestum quo-
niam species sub hoc erit. quare ostensum erit, quoniam
genus hoc.

15
A specie
subalterna.

Locus à specie subalterna cōstructiuus & destructiuus generis. De-
struitur enim positū genus alicuius speciei, q̄ de quibus species præ-
dicatur, non prædicetur genus assignatū, neq; illi superiora. Nam oportet
genus omne & omnia superiora prædicari de ijs de quibus speci-
es. quare si monstretur disciplina nō prædicari in quid de quibus uir-
tus prædicatur, neq; uirtutis genus esse colligitur. similiter si superio-
ra ad disciplinam sumerētur, quæ non prædicarentur in quid de for-
titudine, tēperantia, liberalitate, illis probaretur disciplinam nō esse ge-
nus uirtutis, quare manifestus est locus ex speciei prædicatione. nam
si de aliquo prædicetur species & de eodē nō prædicetur genus positū
uel superiora, euertendum est illius esse genus. Cōstructioni uero fue-
rit utilis probatio, quæ ostēdit genus de ijs de quibus species prædica-
tur in eo quod quid est prædicari. nam accidit ut de eodem & species
& genus prædicetur in eo quod quid est. quare idē utrīq; supponitur
& speciei & generi, quæ genera duo referūt. nā & species illa sub-
alterna erat quæ prædicatur de eodem cū genere: q̄ si genera sint de
eodem prædicātia, necesse est subalterna esse, & unum alterum cōti-
nere: sed genus à specie subalterna non continetur, igitur eam conti-
nebit: de qua prædicabitur in quid, igitur illius erit genus. Nā fieri nō
potest, ut de eodem duo genera prædicentur, quorum alterum sit sub-
alterna species (nam & subalterna species genus etiam dicitur) quin
alterum alterius sit genus. Nam subalternatim illa collocabuntur, seu
unum alterum cōtinebit, & unū de altero in quid prædicabitur. quare
quidpiam speciei subalternæ mōstratur esse genus, eo q̄ illud quod
affertur, in quid de eodem prædicatur cum illa specie subalterna: nec
illi est suppositum, igitur duo genera eiusdem deducuntur: sed species

subalterna est inferior illo, quare si de ea prædicabitur in quid, & genus subalternæ speciei & omnium inferiorum. ut scissipennis genus monstrabimus autem esse, quod de quibuscumque scissipene species subalterna prædicatur, & de eisdem auis in quid. quare quum utrumque sit genus illorum, & unum alterius oportebit esse genus: at auis non continetur à scissipeni, sed hoc continet, igitur auis est ipsius scissipenis genus: unde habetur & genus esse omnium inferiorum.

Considerandæ autem & rationes generum si aptatur ad assignatam speciem, & ad participantia speciem. Necessesse est enim generum rationes prædicari de specie, & de ijs quæ participant speciem: si igitur in aliquo dissonet, dilucidum quoniam non est genus quod assignatum est.

Locus ab uniuoca prædicatione constructiuus & destructiuus generici problematis. Monstramus enim alicuius speciei subalternæ esse uerum genus, quod de illa uniuoce prædicetur, & de his quæ speciem participant, & in quid. Destruimus positum esse genus, quod non prædicetur de illa in quid uniuoce, neque de ijs quæ participant illam speciem subalternam. Quicquid enim prædicatur uniuocæ in quid de specie subalternam, illius est genus: & contra, quicquid non prædicatur uniuoce de illa in quid, non est illius genus. Ut animalis probatur genus esse animatum hoc loco, & eiusdem coloratum non esse genus. Si malueris locum à definitione generis designare, non refragabimur.

Rurfus si differentiã ut genus assignauit, ut si immortale genus dei. nam differentia est animalis immortale, eo quod animalium, alia mortalia, alia immortalia. manifestum igitur, quoniam peccant. nullius enim differentia est genus. Quod autem hoc uerum, manifestum. Nulla enim differentia significat quid est, sed magis quale quid. ut gressibile & bipes.

Locus à differentia prædicante destruit genus. Quicumque genus aliquid defenderit esse, quod monstratur & probatur esse differentia: necesse est positionem falsam esse. ut qui ponit dei genus esse immortale, ex eo quod immortale animalis differentia colligitur diuisiua & dei constitutiua, sugillatur. nulla enim differentia alicuius est genus, quod omnis differentia significat magis quale quid, quàm ipsum quid: genus autem ipsum quid dicit, ut gressibile & bipede differentijs colligescit.

Et si differentiam in genere posuit tanquam speciem,

16
Ab uniuoca
p̄dicatione.

17
A differen-
tia p̄dicatæ

vt imparem quidem numerum. Differentia enim numeri impar, & non species est, neque videtur participare differentia genus. Nam omne quod participat genus: vel species, vel indiuiduum est. Differentia autem, neque species, neque indiuiduum. manifestum igitur quoniam nō participat genus differentia. quare neq; impar species erit, sed differentia: quoniam non participat genus.

18
A differentia
subiecta.

Locus à differentia subiecta evertit genus. si constituatur aliquod genus quod de differentia prædicatur, illud est destruendū esse genus. nam generi subiiciuntur solū indiuidua & species. qui igitur subiecerit alicui generi differentiam, illud dicendum est non esse genus. ut qui imparē fecerit subiici per se numero generi, quod impar sit differentia per se, fieri nō potest ut de ea numerus prædicatur, & illius sit genus. omne enim de quo genus prædicatur, rationem generis suscipit, at differentia generis rationem non suscipit. diximus quod impar per se est differentia. Verum numerus impar totum sic acceptum pro specie desumitur, sed locus hoc uult quod omnis differentia, si constituatur alicuius species, sequitur generis euersio. Eodem loco possumus uti, quod si de aliquo prædicatur genus, id non esse differentiam.

Amplius si genus in specie posuit, vt contiguitatem id ipsum quod est continuitatē, aut mixturam id ipsum quod est temperamentum, aut (vt Plato definiuit) lationem secundum locum mutationem. Non enim necessarium, contiguitatem continuitatem esse: sed econuerso, continuitatem contiguitatem. nō enim omne contiguū continuatur: sed quod continuatur, contiguum est. Similiter autem & in alijs. Nam neque mixtura omnis temperamentum: nam siccorum mixtura non est temperamentum. neque secundum locum mutatio omnis, latio: nam ambulatio non videtur latio esse. penē enim in ijs quæ inuoluntarie locū ex loco permutat, dicitur latio: quæ admodum inanimatis accidit. Manifestum autem quoniam & de pluribus dicitur species quā genus in assignatis, cum oporteat econtrario fieri.

19
A gñe suble
cto speciei.

Locus à genere subiecto speciei reprobatur generis convenientē assignationē, quod genus ad plura se fundat quā species: quare ipsum

speciei non subijcietur, neque in specie collocabitur. qui igitur genus in specie collocabit, generis abutitur natura, eamque omnino labefactat. ut qui contiguitatis genus fecerit continuum, præpostera est usus lege in reddendis generibus & speciebus. nam continuum species est contiguitatis, non autem illius genus. quare quod genus fecisse debuerat, speciem constituit, & contra. quod autem contiguum non sit species continui, sed illius genus, ex eo manifestum congruatur, quod species omnis genus suum infert, at non omne contiguum est continuum, quod contigua sint quorum ultima sunt simul, siue uniantur, siue non: continua uero, quorum extrema coniunguntur & unum faciunt. quare non oportet omne contiguum esse continuum: sed contra, omne continuum esse contiguum, igitur non erit continuum genus contiguitatis: sed contra, continui genus erit contiguum. Similiter qui mixtionis genus fecerit temperamentum, speciem genus continere defendit. nam temperamentum species mixtionis, mixtio autem temperamenti genus. non enim omnis mixtio est temperamentum, sed contra, omne temperamentum mixtio: igitur mixtio plura ambit quam temperamentum: non itaque species erit, sed temperamenti genus. Commixtio enim siccorum adinvicem & similibus, est mixtio, non autem temperamentum: quod hoc sit dispositio conueniens quatuor qualitatum primarum. Eodem modo qui motus secundum locum genus ponit lationem, peccauit: quia genus in specie collocauit, & speciem genus constituit. quod incurrit incommodum Plato, quum definiuerit motum secundum locum esse lationem, quod non omnis motus secundum locum sit latio. ambulatio enim est motus secundum locum, non autem latio. Nam latio est ferme eorum quæ non uoluntarie & cum cognitione mouentur. ut inanimata quæcumque transferuntur de loco ad locum. quare exemplis manifestum est genus de paucioribus assignari, & speciem de pluribus, quod genus in specie constituitur: cuius oppositum est necessarium.

Rursus si differentiam in specie posuit, ut immortale id ipsum quod est, deum. Nam accidit de æqualibus aut pluribus quam speciem dici. Differentia enim semper de æqualibus aut de pluribus, quam species dicitur.

Locus à differentia speciei subiecta destruit differentiam. Quem admodum destruebatur generis constitutio, eo quod in specie collocaretur: sic & differentie improba monstratur assertio, quæ in specie resideat. Nam quæ superiora sunt, & quibus conuenit prædicari de

20
A differentia
speciei subie-
lecta.

aliquo, ea illi non subijciuntur. Differentiæ uero & genera habet prædicari de specie, & illi nunquam subijci, quod priora sint. ut qui constituerit immortale suppositum esse deo, speciem de differentiâ prædicari defendit. at immortale ad plura porrigitur, quam deus. nam à deo sunt & alia immortalia, ut intelligentiæ seu angeli & cælicolæ. Non tamen est necesse omnem differentiam de pluribus dici ipsa specie. ut rationale mortale differentia de homine tantum dicitur, & sensibile de animali. Insuper si species de differentiâ prædicaretur, & genus de specie, igitur & de differentiâ: at genus de specie & indiuiduis prædicatur solum.

Amplius, si in differentiâ genus posuit, ut colorem id ipsum quod est congregatiuum, aut numerum quod impar.

21
A genere
differentiæ
subiecto.

Locus à genere differentiæ subiecto explodit generis assertionem. Nam manifeste peccat qui genus differentiæ subiecerit, quod superius nunquam substernatur inferiori: at genus semper differentiâ diuisiua superius est. & ij duo loci sunt conuersiui ad duos superiores. Peccasse igitur monstrabitur, qui de colore congregatiuum uisus dixerit prædicari, eo quod color genus est & totum, congregatiuum uisus differentiâ diuisiua. nam color in congregatiuum uisus & disgregatiuum & medium horum disiungitur.

Et si genus ut differentiâ dixit. Possibile enim est aliquid talem suscipere positionem, ut temperaturæ, mixturam differentiâ: aut lationis, secundum locum mutationem. inspiciendum autem omnia quæ sunt huiusmodi per eadem. comunicant enim loci. De pluribus enim genus quod differentiâ oportet dici, & non participare differentiâ. sic autem assignato neutrum eorum quæ dicta sunt possibile est accidere. Nam de paucioribus dicetur & participabit genus differentiâ.

22
A genere.

Locus differentiæ malam assignationem indicans, quando quod genus alicuius est, differentiâ dicitur. in talem erroris labem demergitur, qui temperamenti mixtionem dicit differentiâ esse. nam temperamentum species, cuius genus est mixtio. quare genus differentiâ facit, qui defendit mixtionem esse differentiâ: quod est impossibile. Eodem modo, qui lationis differentiâ tradit motum secundum locum esse. dictum est enim superius lationem specie illius, ac motum secundum locum esse genus, igitur non erit differentiâ. quare turpissime peccauerit, qui oppo-

fitum dixerit. Nam genus in quid, differentia magis in quale quid dicitur. His igitur opus fuerit redarguere improbam generis & differentiae constitutionem locis, ut congruum fuerit uisum sollicita inspectione. Sunt enim loci adeo inter se conuenientes, ut parum referat unum an alterum quis ad redargutionem acceperit: ut sunt isti, De pluribus oportet genus quam differentiam dici, & genus non participare differentia. Similiter & Genus de pluribus quam differentia dicitur. & Genus non subicitur differentiae. His enim talibus principijs exhibantur omnium tales uanae assertiones praedictae tum generis tum differentiae. nam consistere non possunt in eodem improbae illae constitutiones cum talibus principijs, quod inter se pugnent.

Rursum si nulla differentia generis praedicatur de assignata specie, nec genus praedicabitur. ut de anima neque impar neque par praedicatur. quare nec numerus.

Locus à differentiarum praedicatione destruit alicuius speciei esse genus. Nam si nulla generis differentia de specie praedicatur, neque genus: at genus omne suae speciei inest, seu de sua specie praedicatur: igitur si de quo non praedicatur differentia, illius non erit genus. De quo enim genus praedicatur, oportet aliquam differentiarum illius de eodem praedicari, quod tota generis natura in differentias sit distributa quibus continetur. quare si nulla differentiarum generis de aliquo praedicatur, neque de eodem genus praedicabitur, monstrabitur itaque numerus non esse generis animae, quod nulla differentiarum numeri de anima praedicatur. nam neque impar, neque par de anima praedicatur: igitur neque numerus.

23
A differentiarum praedicatione.

Amplius si prius est natura species, & simul interimit genus: videtur enim contrarium, non igitur erit genus.

Locus à specie priore destruit genus alicuius. Nam genera priora sunt speciebus, & destruunt species, non contra. quare male assignabitur genus quod destructione speciei interimitur & specie posterior sit natura, eo quod genera uniuersaliora & communiora sint. Natura autem sunt priora uniuersaliora minus uniuersalibus, igitur genera quae speciebus sunt uniuersaliora, illis erunt priora. sed posteriora non destruunt priora. quare qui fecerit speciem priorem genere, & simul interimere genus, mala fuerit generis constitutio. Priorem naturam impossibile est esse speciem, quod proxima sensui & composita magis: sed nobis & notioerem & priorem esse notum est, tantum abest, ut sit impossibile: quae destruitur destructione generis. Quod si quis aduersetur Ari

24
A specie priore.

stotelis eloquio, qui habet in prædicamēto substantiæ, destructis primis substantijs nihil remanere, neq; secundas substantias, neq; accidentia: quòd omnia de illis dicantur, uel illis insint. An omnibus simul sumptis particularibus euersis, reliqua nõ consistant: sed aliquibus, non est necessarium. Hinc monstratur maior uis & amplior ipsius uniuersalis, quàm particularis: quoniam particulari quodam destructo non oportet uniuersale corrumpi, sed contrà accidit.

Amplius si contingit relinquere dictũ genus, vel differentiam (vt animã moueri, vel opinionem uerum & falsum) neutrum erit dictorum genus, neq; differentia. uide tur enim genus & differētia sequi, quãdiu fuerit species.

25
A separabili
li specie.

Locus à separabili specie euersius generis. Quoniã genus & differentia de substantia rei existunt, de qua prædicatur, unde & illius definitio utrisq; assurgit, fieri nõ est possibile, ut species relinquat suũ genus, uel differētiã. quare posita aliqua specie quæ monstratur genus assignatum relinquere, destruendum est illius genus esse. ut qui dixerit animæ genus esse moueri, quẽadmodũ Xenocrates à se moueri, pbatur non esse genus, quòd anima possit esse ut non moueatur. Similiter si opinionis ponatur uerum & falsum genus: cõstituatur quidem & demonstretur quòd quædam opinio possit esse, quæ neq; ueri, neque falsi scintillam habeat, cuiusmodi uidetur futurorum contingentium opinio, quæ neq; uera, neq; falsa agnoscitur: colligetur non esse opinionis genus uerum & falsum. Semper enim species infert genus & differentiam, neq; relinquere potest. quare si detur opinio aliqua quæ neque uera neque falsa concedatur, non erit genus uerum & falsum opinionis. Porro contingit interdum plerosq; (quibus nulla fugiendi decipuli commoda uidetur ratio) quod proponitur, neq; uerum, neq; falsum fateri. ut si proponatur à Chrysippo hoc tortuosum argumenti genus, si dicis te mentiri, uerũq; dicis, mētiris: dicit autē te mētiri uerũq; dicis, mētiris igitur. Interdum aliq; (ut aiunt) foro cedunt & certamē cane peius & angue reformidant, à quibus quippiam neq; uerũ, neq; falsum impetrabitur. Nemo enim ab Epicuro, qui totam dialecticã & contēnt & irridet, impetrabit ut uerum esse concēdat, quod ita effabimur, aut uiuet cras Hermachus, aut nõ uiuet: quum dialectici sic statuunt, omne quod ita disiunctum sit, quasi aut etiã aut non, non modo uerum esse, sed etiam necessariũ. Vide quã sit cautus is quẽ isti tardum putant. Si enim, inquit, alterutrũ concēssero necessariũ esse, ne-

cesse erit cras Hermachū aut uiuere, aut nō uiuere. nulla autē est in natura rerū talis necessitas: cū hoc igitur dialectici pugnet, id est Antiochus & stoici, totā enim euertit dialecticā. Hæc ex Cicer. Academicis.

Inspiciendum autem & si quod in genere positū est, participat aliud contrarium generi, aut si cōtingat participare. Nam idem cōtrariā simul participabit, eo quod ipsum, genus quidem nunquam relinquit, participat autem & contrarium, aut contingit participare.

Locus à contrario genere argumentum porrigit destructiuū generis assignati, quod impossibile sit eandem speciem contrarias rationes suscipere: at oportet omnem speciem suorum generum rationes accipere, quare species eadem non erit diuersorum & contrariorum generum. Conueniens itaque fuerit ad contrariū genus aduertentia, ex cuius inspectione & generis contrarij inuentione assignatum destruitur. ut qui posuerit nō entis genus esse possibile, eo quod nō ens etiam est impossibile, quod est alteri contrariū, sequitur nō entis genus non esse possibile. nam & opposita eidem inessent, nec non de eodem prædicarentur particulari, quod genera nunquam relinquuntur à speciebus, ut probatur loco superiore. quare si quid monstretur esse sub aliquo genere, destruitur esse sub altero priori contrario, & contra.

26
A contrario genere.

Amplius si quippiam communicat species quod impossibile est omnino inesse ijs quæ sunt sub genere. ut si anima vitæ communicat, numerorum autem nullū possibile est uiuere, non erit species numeri anima.

Locus à communicatione speciei prebet rationē in euerfionem generis assignati, eo quod quicquid cōmunicat species, & genus illud cōmunicat. nam continet genus species. quare si probetur species aliqua per se & pprie quippiā cōmunicare, quod impossibile sit speciebus generis cōuenire, nō erit genus illius quod statuebatur esse genus. ut qui dixerit animæ genus numerum esse, eo quod animæ inest uiuere pprie, nulli autem speciei numerorum conuenire potest uita, neque numero, igitur neque anima numeri est species.

27
A cōmunicatione speciei.

Considerandum autem & si æquiuoca sit species generi, elementis utenti ijs quæ dicta sunt ad æquiuocum. uniuocum enim genus, & species.

Locus ab æquiuatione destruit genus. nam genus omne uniuocū est, & nomine & ratione de speciebus prædicatur. quare si species

28
Ab æquiuatione.

f. i.

aliqua monstraretur alicuius quod sit multiplex, destruendum est esse genus, quod species rationem debeat generis suscipere: at illa nomen solum habet commune, non autem rationem eandem secundum nomen: igitur non est genus. Illa quidem quae proponuntur, deprehenduntur esse aequiuoca locis illis quibus monstrauimus quippiam esse multiplex primo libro, ubi commentabatur de instrumento ad abundantiam necessario. quare ad illos recurrendum fuerit, quibus negotium demandatur.

Quoniam autem omnis generis plures species, inspicendum si non contingit alteram speciem esse dicti generis. Nam si non est, manifestum quoniam non erit genus omnino quod dictum est.

29
Ab unitate
speciei.

Inquisitio.

Locus ab unitate speciei interimit assertum. si defendatur nomen aliquod genus, cui tantum una supponatur species, id euerendum est genus. nam ratio generis est, de specie differentibus praedicari in quid. Hoc loco monstratur, quod linea genus non sit longitudo, quod tamen faciunt illi, qui definiunt lineam longitudinem illatibilem: nam omnis linea est longitudo, et contra. quare si omnes lineae sint eiusdem speciei, et longitudo. Neque enim putare oportet superficiem esse longitudinem, sed habere longitudinem est dicendum: nisi et corpus uelint longitudinem esse. Sed inquireret aliquis, si genus adesse exigat specierum multitudinem, eritne opus ad speciem infimam pluribus indiuiduis? Respondet Boetius, specialissimae species, licet indiuiduis praependantur, tamen suppositi habitudo non habet, iccirco quoniam illa quae speciei ultimae supponuntur, talia sunt, ut quantum ad substantiam unum quiddam sint, non habentia substantialem differentiam, sed accidentalem. quare efficitur ut dici possint species pluribus praeesse, et quodammodo nulli sint praepositae, si ad substantiam quis uelit aspicere. Genus semper plurimas sub se species habet. de differentibus enim specie praedicatur: differentia uero nisi pluralitati non conuenit. at species etiam uni aliquando indiuiduo praeesse potest, ut solis species et phoenicis de uno tantum indiuiduo praedicatur: ita nullam multitudinem species per se continent, cum etiam si unum sit tantum indiuiduum, speciei non pereat intellectus. Et rursum idem, Dum species specialissima unum habeat indiuiduum, semper species permanebit: neque indiuiduorum diminutione, si quodlibet unum maneat, species consumitur, ut dictum est. Id tamen in genere dici non conuenit, quia ipsae praest quae substantiali a se genere differentia disgregata sunt: praest enim speciebus quae diuersis differentijs informantur. si igitur una earum pereat, et ad unitatem speciei

redacta fuerit ratio, genus esse non poterit, quia de differentibus specie prædicatur. hæc ille. Vnde sequitur si una tantum specie posita non permaneat genus, multo minus consistet nulla existente.

Considerandum autem etiam est, si, quod translatitè dictum est, ut genus assignauit: ut temperantiam, consonantiam. nam omne genus proprie de speciebus prædicatur, consonantia vero de temperantia non proprie, sed translatitè. omnis enim consonantia in sonis.

[Locus à metaphora genus perfringit. Quoniã ea est generi insita natura, ut in quid de specie prædicatur, & substantiã illius dicat, quod autem translatitè dicitur quid est non dicit, quare non erit assignandum genus per translationem. quod si quid assignetur metaphoricè pro genere, euertendum est. ut qui temperantiæ genus tradit esse consonantiã. nam consonantia metaphoricè dicitur de temperantia & non proprie, genus autem uult proprie prædicari. Translatio est tropus, quo nomen uel uerbum ex eo loco in quo proprium est, in eum in quo aut proprium deest, aut translatum proprio melius est, transfertur. Hæc ex Quintiliano & multo plura requiras. Consonantia proprie dicitur uocum & sonorum concordia, improprie uero sumitur pro moderata rationis diminutione in libidinẽ & illicæbras, quam temperantiam appellamus.]

30
A translati-
tione.

Amplius si sit contrarium speciei aliquid, considerandum. Est autem multipliciter consideratio. Primum quidem si in eodem genere & contraria, cum non sit contrarium generi: oportet enim contraria in eodem genere esse, si nihil sit contrarium generi.

[Locus à speciei contrario destruit alterius genus. Cũ multiplex sit locorum inuentione à contrariorum consideratione, hic primus statuatur, quo probamus uel reprobamus genus alicuius speciei habetis contrarium, quod oporteat contraria reponi in eodem genere non habente contrarium. quare si unius contrarij firmetur genus aliquod, illud idem & alterius erit: & contra, si illius non sit genus, neq; alterius. ut qui monstrauit albi genus esse coloratum, cui nihil contrarietur, & nigri relinquatur esse genus. Similiter quod dulcis non sit genus coloratum, neq; amari concluditur.]

31
A contratio
speciei.

Cum autem est contrarium generi, considerandum si contrarium in contrario. necesse enim est contrarium in

contrario esse, si sit contrarium quidem generi. Manifestum autem est vnumquodque eorum per inductionem.

32
A contraria specie generis habentis contrarium.

Locus à contraria specie habente contrarium genus, destruit genus. Nam oportet contrarias species esse in contrarijs generibus, quando generi est genus contrarium. quare qui monstrauit unam speciem esse in cōtrario genere, & reliquā in reliquo contrario esse fuerit necesse. Inde genus intemperatiæ colligimus esse uitium, quod temperantiæ genus sit uirtus. Si quis obijciat de intemperantia & insensibilitate, quæ sub uitio continetur, tamen ea contraria sunt. an dicendum quod ut uitia sunt, non cōtrariātur. & ita in cæteris similibus. sit igitur firmum, si contraria species contrarium genus habeat, & reliqua reliquum contrarium consequetur.

Rursum si omnino in nullo genere quod speciei est cōtrarium, sed sit ipsum genus, vt bonum. nam si hoc non in genere, nec contrariū huius in genere erit, sed ipsum genus. quemadmodum in bono & malo accidit: neutrum enim horum est in genere, sed vtrunq; eorum genus.

33
A genere contrario.

Locus à genere cōtrario destruit genus, quod oporteat contraria esse uel in eodē genere, uel contrarijs generibus, uel esse contraria genera: quare si alterum contrariorum fuerit genus, & reliquum. opposita enim sunt simul natura, neq; unū prius altero: at si alterū esset genus, reliquū species, non consisterēt simul natura. si igitur nullo modo in genere cōstituatur, quod cōtrariatur speciei, sed ipsum sit genus, & reliquū erit genus, & nō positū in genere. Hac ratione ostendimus bonū non esse in genere, quod illi contrarium malum non sit in genere, sed genus sit. igitur & bonum non erit in genere, sed genus: & contra, si bonum sit genus, & malum. quare neutrum in genere. Quod si quis calumnietur exēplum, quod bonum & malum æquiuoca sint, afferat de actione & passione exemplum, & quod requirit assequetur: uel illa sumat uniuoca.

Deinde si contrarium est alicui & genus & species, & horum quidem est aliquid medium, illorum autem non. Nam si generum est aliquid medium, & specierum: & si specierum, & generum. vt in virtute & vitio, & iustitia & iniustitia. Vtrorumq; enim est aliquid medium, Instantia huius, quoniam sanitatis & ægritudinis nihil est medium,

mali autem & boni aliquid medium.

Locus à medio contrariorū destructiuus generis. Quando tam species quàm genera cōsimiliter contrariētur, necessariū fuerit posito & monstrato medio inter species cōtrarias destrui genera illarū esse, quibus nullum medium intercessit. Nam oportet si species habeant medium, & genera recipere quoddam: & cōtra, si genera mediū amplectātur, & species illorum ambient mediū generum medio suppositum. ut quum iustitia & iniustitia sint species cōtrariæ habētes contraria genera uirtutē & uitium, colligetur ex mediū interuentu inter iustitiam & iniustitiam esse medium inferendum uirtuti & uitio. nam sicut dicimus medium specierū esse, quod neq; iustum neq; iniustum: sic generum, quod neq; studiosum neq; uitiosum. Quare si contigerit inter species monstrare medium, generibus autem illarum assignatis non interuenerit medium, destruetur esse genera illarum: q̄ oporteat si species contrariæ contrarijs generibus substernātur, & illarum mediū horū medio. proinde si dissonet mediū in speciebus uel in generibus, destrueda ueniēt genera. Instantia affertur de sanitate & ægritudine speciebus boni & mali habentium mediū illis non habentibus medium. nam inter sanum & ægrum nihil intercedit. an hæc multis sit probabilis, etsi nō sit uera. non enim pulchritudo, robur, turpitudine, cæcitas, proprie media sunt inter bonum & malum: nam falsum est illa non esse bona uel mala corporis. Non enim hic sumitur bonum uel malum p̄ habitu animæ, sed corporis qualitate & uniuocæ. quare tantum instantia sit apparens quibusdam. nam si species sint contraria mediata, & genera: & contra, alioqui destruuntur.

Amplius si est utrisq; quidem aliquid medium & speciebus & generibus, non similiter autem: sed horū quidem secundum negationem, illorum uero ut subiectum. Probabile enim similiter & in utrisque. ut in uirtute & in uitio, & iustitia & iniustitia. utrisque enim secundum negationem medium.

Locus à medijs dissimiliter enuntiatis in speciebus & generibus cōtrarijs. Contrariorū mediatorum quædam habentur media quæ affirmatione indicantur & eadem nomina habēt imposita: ut in coloribus & saporibus & huiusmodi contrarijs peruium sit. Quædā uero media destituūtur nominibus proprijs, sed in reddendis illis medijs utimur circumloquutione quæ per negationem utriusq; extremi contra-

34

A medio cōtrariotum.

35

A medijs varie circū loquitis.

rij fit. ut studiosi & uitiosi media nō sunt statuta. sed hæc circūloquimur cum neq; studiosum, neque uitiosum dicimus. Si igitur species contrariæ medium habent circūloquutum, non autē genera similiter, destruuntur esse genera, quæ illarum specierum traduntur. Nam probabile est, si specierum media circūloquamur, & generum: & contrariæ ex medijs esse genera specierum deprehendimus: ut iustitiæ & iniustitiæ specierum genera colligimus uirtutē & uitium, q̄ in utrisq; medium per negationē utriusq; efferatur. nam quod neq; iustum neq; iniustum, illarum: & horum, neq; bonum neq; malum medium dicitur. quare si dissimiliter enuntientur media, genus euertendum est. Subiectum dicit Aristoteles, quod sub affirmationē uenit, uti quinto Physicorum cum mutationum formas inquirat, λέγω ἡ δὲ ὑποκειμένου δὲ κατὰ φάσει δὲ ἡλθέμενον, id est, dico autem subiectum quod affirmatione manifestatur.

Amplius, quando non est contrarium generi, considerandum non solum si contrarium in eodem genere, sed & medium. In quo enim extrema, & medium: ut in albo & nigro. nam color genus & horum & mediolorum colorum omnium. Instantia quoniam defectus quidem & superabundantia in eodē genere, in malo enim ambo: mediocri autem, cum sit medium horum, non in malo, sed in bono est.

36
A medio contrariorū eiusdem generis.

Locus à medio contrariorum genere non habente contrarium destructius generis. Sicut dictum est retro ex contrarijs probari generis destructionē, eo quod si unius contrarij sit genus, & alterius: quare si non sit unius contrarij, neq; alterius ostenditur: quando tale genus contrario uacabat: sic & ex medio genus destruetur. Nam si monstratur medijs non esse genus, neq; contrariorū dicendum est genus esse. nam in quo genere extrema & contraria sunt, in eodem oportet esse medium. ut si fusci, rubri, mediolorum color nō esset genus, neq; albi & nigri diceretur genus. Instantia assertur in locum de duobus contrarijs sub uno genere in quo non est medium. nam excessus & defectus contraria sunt in eodem genere, ut uitiorū: tamen horum mediū uirtus & mediocritas non est in uitio, sed bono alio genere. Verū instantia non uidetur nisi apparēs, ob id quod supponatur, quando generi nihil est contrarium: at uitio contrariatur bonum. simul accedit uirtutibus non solum esse media, sed & extremis contraria. ad hæc proprie me-

dium participatione extremorum assurgit. an uirtus non sic medium extremorum sit. medium enim æquiuoce dicitur de centro circuli, de uirtute, & syllogismi argumento, & quantitate, & colore.

Considerandum etiam si genus est contrarium alicui, species autem nulli. nam si genus est cōtrarium alicui, & species. quemadmodum uirtus & uitium, & iustitia & iniustitia. similiter autem & in alijs consideranti manifestū uidetur esse tale. Instātia in sanitate & ægritudine. simpliciter enim sanitas ægritudini contraria, aliqua autē ægritudo, cum sit species ægritudinis, nulli contrarium. ut febris, & oculi morbus, & vnumquodque aliorum.

Locus à cōtrario genere infirmitatis generis problema, quòd oporteat si genus sit alicuius speciei habens contrariū, & species illius contrarium habere. si igitur detur & assignetur alicuius speciei non habentis contrariū genus alicui cōtrariū, destruendū est genus esse. in singulari enim manifestū est genere contrario existente, illius speciei contrariari. ut si uirtus & uitium genera sint contraria, & horum cōtrariabuntur species, iustitia & iniustitia. eodem modo in cæteris. Instantiā in locum deducit probabilem, quòd his generibus contrarijs sanitati & ægritudini species supponantur, quæ nō uidentur contrariari. nā febris & morbus oculi quæ ὀφθαλμία dicitur sub genere ægritudinis continentur, tamen non habent contrariū. An contrarium nō habeant impositum particulare sed circumlocutum: ut sanitas oculi & sanitas corporis. nam cum morbus sit quædam temperamenti corruptela, & eidem subiecto contribuatur cui sanitas cōcedi potest, necesse fuerit cui morbus inest, eidem & sanitas inesse possit. quare constat asserimus morbum omnem, cuiuscunq; sit, habere sanitatē cōtrariam.

37

A contrario genere.

Interimēti igitur tot modis inspiciendum. si enim nō insint quæ dicta sunt, manifestū est non esse genus, quod assignatum est. Construenti uero, tripliciter. Primū quidem, si contrarium speciei sit in dicto genere, cum non sit contrarium generi. Nam si contrarium in hoc, manifestum quoniam & quod propositū est. Amplius, si medium in dicto genere. Nam in quo medium, & extrema. Rursum si sit & contrarium quiddam generi, considerandum & si contrarium in contrario. Nam si sit, manifestū

quòd & propositum in proposito.

38

Prim^o à cō-
traria spe-
cie generis
nō cōtrarij.

Secundus à
medio spe-
cierum con-
trariatum.

Terti^o à cō-
traria spe-
cie generis
cōtrarij.

A contrarijs & medijs deflexæ sunt rationes in septuplici discrimine ad euerfionem tantū problematis generici. nam illæ tradebātur omnes ad positi generis euerfionē. Nunc autē ad constructionem tres modi constituūtur à contrarijs & medijs. Primus enim est à cōtraria specie, cuius genus non habet cōtrarium. Nam in quo genere monstrabitur altera specierū contrariarū, in eodem sanē reliqua habetur. quare si quid dicatur alicuius speciei cōtrariæ genus, & hoc idē dicens est esse genus alterius speciei cōtrariæ. ut si albi sit genus coloratū, colligetur genus idem nigri esse, q̄ oporteat idem constitui genus contrariorum, si idipsum non habuerit contrariū. nam si haberet, non esset opus. secundus est à medio constructiuus generis. Monstramus aliquorum cōtrariorū esse quidpiam genus, q̄ sit mediū genus. ut albi & nigri probatur coloratum esse genus, q̄ sit rubri & fusci mediorum. Nam idem est genus & contrariorum & mediū. Tertius à cōtraria specie habente genus alteri cōtrarium, construit genus. Oportet enim species contrarias in contrarijs generibus collocari. quare si una species alicuius generis dicatur habētis cōtrarium, & cōtraria illi speciei dicitur esse species contrarij generis. quare si monstretur iustitia species uirtutis, & iniustitia species uitij cōcludetur, & cōtra. quocirca ex habitudine contrariorum & mediorū septem accipimus destructiuos generis modos, tres autem constructiuos.

Rursum in casibus & coniugatis, si similiter sequūtur & interimēti & construenti Simul enim vni & omnibus insunt vel nō insunt: vt si iustitia scientia quædam, & iuste scienter, & iustus sciens: si autem horum aliquid non inest, nec reliquorum vllum.

39
A casibus &
coniugatis.

Locus à casibus & cōiugatis constructiuus & destructiuus generis. Si quid unius cōiugati sit genus coniugatum, & reliquorum omnium cōiugato modo erit genus: similiter si unius non sit genus, neq; reliquorum. ut si genus iustitiæ non sit scientia, neq; ipsius iuste agere erit scienter agere genus, neq; iusti genus erit sciens. Si uero iustitiæ genus sit studium, id est uirtus, & iusti genus studiosum, & ipsius iuste agere genus studiose agere & contra à casibus ad coniugata ualet ad utrunq; differendi lex: ut si iuste habeat genus scienter, & iustitia scientiam, & contra.

Rursum in ijs quæ similiter se habent adinuicem. vt

delectabile similiter se habet ad voluptatē, & vtile ad bonū: vtrunq; enim vtriusq; effectiuum. si igitur voluptas quiddā bonū, & delectabile quiddam vtile erit: manifestū enim quoniā boni erit effectiuū, eo q̄ voluptas bonum.

Locus à proportionē & cōstruit & destruit genus. Nam quæ eandem proportionem consequuntur inter se, & consimilem generum rationem sortiūtur. quare quum delectabile se habeat ad uoluptatem similiter ut vtile ad bonū, si genus uoluptatis constituatur bonū, & delectabilis afferetur genus vtile: quodd si non hoc, neq; illud, & cōtra. nū delectabile se habet ad uoluptatem, quodd illius sit effectiuū, sicut vtile ad bonum, q̄ boni sit effectiuū, & utilitatis. ut enim se habet delectabile ad delectationem, ita vtile ad utilitatem: quoniam utrunq; effectiuum utriusq;. quare quæcumq; denominatio generis uni tribuetur, & alteri correspondens impartietur. Nam proportio est distinctorum consimilis habitudo. Quod Aristoteles dixit ὅτι ἐπὶ ἀγαθῶν & ὄντων ὡφέλιμος, interpretatum reliquimus quiddam bonum, quiddam vtile: q̄ super hac uocula quædā præmonuerimus tertio loco superioris libri. hoc tantum habeas, particulam, cui adiungitur, proprie dici & ut genus de subiecto.

40

A. proportioe

Similiter autem & in generationibus & corruptionibus. Vt si ædificari est operari, ædificasse operatum esse: & si discere est reminisci, & didicisse recordatum esse: & si dissolui est corrumpi, & dissolutum esse corruptum esse, & dissolutio corruptio quædam.

Locus à generationibus & corruptionibus ad constructionē & destructionem generis. nam si generatio fuerit alicuius generationis species, & factum illius alterius facti erit species. nam ut se habebit generatio ad generationē, ita factum ad factum: ut si ædificatio sit species operationis & operatio illius genus dicatur, & operatum esse est genus ipsius ædificasse: & si disciplinæ sit genus reminiscētia, & ipsius discere recordari. nam si disciplina ponatur species & eiusdem reminiscētia genus, connectitur discere speciem ipsius recordari esse, & contra. Eodem modo in corruptionibus. nam si dissolutionis genus sit corruptio, & ipsius dissoluti corruptum erit genus: & cōtra, si dissoluti genus sit corruptum esse, & dissolutionis corruptio erit: & uidentur exempla accommodari coniugatis, ut ædificari ædificasse coniugata.

41

A. generationibus & corruptionibus.

Et in generatiuis vero, & in corruptiuis, similiter & in

potentijs, & vsibus, & omnino secundum quamlibet similitudinem, & interimenti & cōstruenti incipiendum. quemadmodum in generatione & corruptione diximus. Nam si corruptiuum dissolutiuum, & corrumpi dissolui: & si generatiuum est effectiuum, & generari fieri, & generatio factio. Similiter & in potentijs & vsibus. & omnino si potentia dispositio, & posse disponi: & si alicuius vsus est actus, & uti agere, & vsum esse egisse.

42
A causis effici-
entibus.

Locus à causis efficientibus & effectis construit & destruit genus. Quemadmodū dictū est à generationibus & corruptionibus rationem deduci, sic à generatiuis & corruptiuis trahemus. Nā si generationis genus sit effectio, & generatiui genus effectiuū, & generati effectum. Similiter si corruptionis genus sit dissolutio, & corruptiui dissolutiuū, & corrupti dissolutū. & contra à corruptiuis ad corruptionē. Eodem modo in potentijs, si potentiae genus sit dispositio, & ipsius posse, genus disponi: & ab vsibus, si vsus genus sit actus, & utētis genus agere. destructiuus autē modus ab eisdem omnibus haurietur clarissimus.

Si autem sit priuatio id quod opponitur speciei, duobus modus est interimere. Primum quidem si in assignato genere est oppositum. Aut enim simpliciter in nullo genere eodem priuatio, aut non in vltimo: vt si visus in vltimo genere est sensu, cæcitas non erit sensus. Secundo autem, si & generi & speciei opponitur priuatio, non est autem oppositum in opposito, nec quod assignatum est in assignato erit. Interimenti igitur quemadmodum dictum est vtendum. Construenti autem vno modo. Nam si oppositum in opposito, & propositum in proposito erit. Vt si cæcitas insensibilitas quædam, & visus sensus.

43
Ab opposi-
tis secundū
priuationē
& habitum

Locus ab oppositis secundum priuationem & habitum dupliciter destruit genus, unice cōstruit. Retro diximus quot locis & quibus à cōtrarijs destrueretur & cōstrueretur genus. Nūc superest, locos persequamur ab aliorū oppositionibus, quibus generis potest haberi uel cōstructio uel destructio. A priuantibus igitur duo sunt loci destructiui generis. Prior est destructiuus generis alterius oppositi secundum priuationem & habitum, quod sit alterius oppositi genus. Nam non feret ipsa priuantium oppositio, ut idem propinquum & continens habeat

genus priuatiue opposita. Oportet enim simpliciter & uniuersaliter ut non sint in eodem genere priuatiue opposita, aut in eodem propinquo. ut si uisus sit in propinquo & ultimo genere, ut in sensu, concludetur cæcitatē non habere idē genus, ut sensum, ob id ipsum quod in quo sit habitus, in eodē non sit priuatio, at uisus & cæcitas sunt priuatiue opposita. Similiter si cæcitatē genus sit insensibilitas, nō erit uisus genus insensibilitas. Eo loco monstratur q̄ ignoratiæ genus non sit habitus: nā est sciētiae genus. Posterior locus ad destructionē est, quando & speciei species est opposita priuatiue, & generi genus oppositum similiter. si priuationis oppositæ habitui priuatio opposita habitui non sit genus, neq; ipsius habitus oppositi priuationi habitus oppositus erit genus: & contra ab habitu ad priuationem. ut uisus monstramus non esse genus scientiam, quod oppositæ cæcitatē genus non sit ignorantia opposita: & contra, ab habitu his modis contingit destruere genus inferendo priuationē. nam si auditus genus non sit potentia, neq; surditatis impotentia. hæc enim ratio deducitur ab habitibus ad priuationes. quare si habitus alicuius non sit genus habitus, neq; priuationis priuatio. Cōstruetur uno modo, quod oportet si oppositi priuatiue sit genus oppositum, & alterius reliquum oppositum erit genus asserendum: ut si uisionis genus sit sensus, & cæcitatē dicitur genus insensibilitas. Et si surditatis genus sit insensibilitas, & auditionis genus colligetur sensus: & ita in similibus, quibus manifeste conspicitur ab habitibus ad priuationes, & contra, genus colligi.

Rursum in negationibus considerandum econuerso, quemadmodum in accidente dicebatur: vt si delectabile quod bonum, quod non bonum non delectabile. Nam si non ita se habet, erit contra, non bonum delectabile. impossibile enim est, si bonū genus est delectabilis, esse quicquam non bonum delectabile. Nam de quibus genus nō prædicatur, neque specierum vlla. Construenti etiam similiter inspiciendum. Nam si non bonum non delectabile, delectabile bonum. quare genus bonū delectabilis.

Locus ab oppositis secundum affirmationem & negationē constructius & destructius generis, sed ratio seruanda est præpostera, quæ ab affirmatione ad affirmationē, & à negatione ad negationē deuenimus, quæadmodū dicebatur in loco à contradictione, ad cōstructionē vel destructionem problematis accidentis secundo libro. ut si delecta-

44
Ab oppositis
contradictorie.

bilis genus sit bonum, & non bonum genus non erit non delectabilis, sed e conuerso facta constitutione non delectabile genus erit non boni: sic q̄ si affirmationis sit affirmatio genus, negatio illius quæ erat genus, fiet species alterius negatæ, quæ prius affirmata erat species. Nã fieri nõ potest, si delectabilis bonum sit genus, ut nõ bonum dicatur non delectabilis genus. etenim quanto affirmatio maior fuerit & fusior, eò negata minor fiet & angustior: ut Socrates unius rei est nota, non Socrates signum omnium à Socrate differentiũ, & multo plura significans, q̄ non animal, q̄ non substantia. quare si bonũ sit genus delectabilis, non bonũ non erit non delectabilis, neq; etiam erit delectabilis: quia de quibus non prædicatur genus, neq; species aliqua. at nõ bonum non potest prædicari de delectabili, ex eo quòd oppositũ bonum de eo prædicetur, superest igitur sit non delectabile non boni genus, præpostero ordine ad affirmationes. Eodem modo ex negationibus construemus affirmationis genus affirmatum. nam si non delectabile sit genus non boni, & bonum genus erit delectabilis. modus est firmissimus in omnibus, tam ab affirmatione quàm negatione, si seruetur præposterus modus inter affirmationes & negationes, siue constructiuus siue destructiuus. Neq; hic obnixè contenderim, an negatio possit esse genus, qui solum uelim cõmonstrare usum differendi in generis problema, quale fateor esse & haberi inter negationes: etsi non sit genus negatio, potest tamen esse genericã, id est generi annectenda.

Si autem sit ad aliquid species, considerandum si & genus ad aliquid. Nam si species ad aliquid, & genus. vt in duplici, & multiplici. Vtrunq; enim ad aliquid. Si autem genus ad aliquid, non necessario & species. Nam disciplina ad aliquid, grammatica autem non. An nec quod prius dictum est verũ videbitur? nam virtus ipsum quod bonum, & ipsum quod honestum: & virtus quidem ad aliquid, bonũ vero & honestum non ad aliquid, sed qualia.

45
A relatiue
oppositis.

Locus à relatiue oppositis destructiuus generis. Quoniã diuersorũ prædicamentorũ sunt diuersæ species & differentiæ, necesse fuerit si species sint ad aliquid, & genera: ut patet de multiplici & duplici. Quare qui probauerit genus nõ esse ad aliquid, si species relatiue dicatur, manifestum facit non esse illius genus. ut patris monstramus genus non esse animal, quòd animal per se dicatur, species autem pater, non. An quod dicitur in omnibus non uideatur uerum? quòd uirtus pro genere

bonum habeat & honestum, quæ prædicamēti qualitatis sunt genera subalterna, uirtus autem illorum species sit prædicamenti relationis. Sed id sit sumpto nomine uirtutis multipliciter. nam uirtus ut qualitas est perficiens ipsam animam eamq; denominans, est prædicamēti qualitatis: ut uero pro habitudine ad habentem de sumitur, relationem significat. si tamen genus dicatur ad aliquid, uidetur non necessariū esse speciē ad aliquid referri: quoniam disciplina genus ad aliquid est, grammatica uero, musica, arithmetica, illius species non sunt ad aliquid. Dicendum est hæc nomina habituum & relationē posse indicare, & qualitatem simpliciter & absolute denominantē subiectū quare sic sumptis æquiuoce accidit ut grammatica absolute dicatur, disciplina ad aliquid: sed non ut est species illius sumpta simpliciter. quia oportet uel utrunq; absolute intelligere, uel utrunq; relationē manifestare, aliàs neq; erunt genera, neq; species. Quare tenendum uniuersaliter, si in quodam prædicamento sit genus, & species: quemadmodum in quo species, & genus erit. nam aliàs haberetur species duorum prædicamētorum uniuoca, quod abhorret à specierum natura, quæ uniuoca sunt. nam datur genus illud ad aliquid, cuius species non sit ad aliquid, erit igitur alterius prædicamenti. quare genus summū participabit, & participabat aliud genus prædicamēti relationis, igitur eadem species erit duorum generum non continentium se inuicem, quod proloquio testatissimo relictaretur huic, Naturæ prædicamentorum sunt impermixtæ.

Rursum si non ad idem dicitur species & secundum se & secundum genus. ut si duplum dimidij dicitur duplū, & multiplum dimidij oportet dici: si autem non, non erit multiplum genus dupli.

Locus ab unitate relationis destructius generis, quod oporteat genus referri ad id ad quod species refertur. quare si species ad quippiā referatur, genus autem positū ad id non referri possit, destruendum est esse genus: ut uisio ostenditur nō esse species potentiæ uel habitus, quod uisio ad uisibile referatur, non autem potētia, neq; habitus: igitur neutrum illius est genus. desideratur enim unitas relationis ipsius generis cum specie relata, quemadmodum contingit de duplici ad dimidiū. nam duplex dimidij dicitur. ad dimidium referri potest etiā duplicis genus multiplex. si igitur ad idem ad quod refertur species secundum se & proprie, nō possit referri genus, destruenda erit generis positio.

Amplius si nō ad idē & secundū genus dicitur & secun

46
Ab unitate
relationis.

dum omnia genera. nā si duplum dimidij multiplum est, & abundans dimidij dicitur: & simpliciter secundum omnia superiora genera ad dimidium dicitur. Instantia, quòd non necesse est secundum se & secundum genus ad idem dici. nam scientia scibilis dicitur, habitus autem & dispositio non scibilis, sed animæ.

47

A relatione superiorum generum.

A diiungitur prædicto locus à relatione non tantū secundum genus propinquum, sed omnia genera speciei eadem. Oportet enim non tantū genus mutua relatione ad idem cum specie referre, sed & omnia generis genera & superiora. ut si duplex ad dimidiū uicaria professione dicatur, & duplicis genus multiplex ad idē referri potest, & abundans, & quæcumq; sunt superiora genera ad dimidiū referri possunt. Instantia tamen huius habetur, quòd scientia ipsius scibilis dicitur, genus autem sciētiae, ut habitus & dispositio, non ad scibile referuntur, sed ad animam. non enim habitus scibilis est, sed animæ. uerū sæpe dictum est, scientiam & nomina habituum posse dupliciter dici: per se ut qualitates sunt, & ad aliquid. quare qui scientiā relatiue sumit, & habitum & dispositionem ut sunt prædicamenti qualitatis species, non recte dicit esse scientiæ genera, nisi sumptis nominibus multipliciter.

Rursum si similiter dicitur genus & species secundū casus: ut si alicui, aut alicuius, aut quolibet modo aliter dicitur. nam ut species, & genus: velut in duplo, & in superioribus. alicuius enim & duplum & multiplum. similiter autem & in scientia, alicuius enim & hæc, & genera, ut dispositio & habitus. Instantia autem, quòd aliquoties non sic. Nam differens, & contrarium alicui: diuersum autem cum sit genus horum, nō alicui, sed ab aliquo. diuersum enim dicitur ab aliquo.

48

A relatiuis penes casus similes.

Locus à relatiuis penes casuum similitudinē destructiuus generis. Conueniēs fuerit diuisione relatiuorum in lucem educare, si prius quid relatio dixerimus, quæ est rerū inter se collateralū unius ad alterā habitudo. pertranso ab Aristotele traditam omnibus peruiā definitionē. Duo relatiuorum genera constituuntur, simplex, & compositum. Simplex in tribus prædicamentis conspicitur, seu in tres formas diuiditur, quarum prima est substantiæ: ut idem diuersum, corporeum incorporeum, diuinū humanū, terrenum cæleste. secundā quantitatis: ut æquale

inæquale, æqualitas inæqualitas, proportio seu duarū magnitudinū habitudo, maius minus, par impar, duplum triplum, multū paucū, magnū parū. Tertia qualitatis: simile dissimile, curiū rectū, durū molle, asperū leue, bonū malum, sanū ægrū, dominus seruus, & omnia magistratum nomina, & cognationum, & officiorum, & similis significationis, & quæ ex præpositione con sunt cõtexta: ut collega, cõtubernalis, conuictor. Mixta, sex generibus constat. Oritur enim uel ex substantia & qualitate: sed bifariam, siquidem ea aut in mouendo, & agendo cõsistit, sic actio dicitur: aut in patiēdo, sic passio, ut legere, legi. huc pertinet causa uel signū, & effectus, quoniam nihil causa uel signum, nisi effectus alicuius sit causa uel signum. Vel ratio oritur è substantia & quantitate: hoc item bifariam, aut in comprehendenda re, sic locus efficitur: aut metienda, sic tempus. locus refertur ad id cuius est locus. Vel ex substātia & relatione: & hoc in occupanda quātitate, sic positus oritur, quem positum uel situm esse uocant: uel in qualitate accipiēda inducēdāq; sic habitus procreatur. habitus est corporis & eorum quæ circa corpus sunt applicatio, per quam illa habere dicitur. Sunt itaq; mixtæ relationis species sex, actio, passio, ubi, quando, situs, & demum habitus. Relationes breuius hunc in modum per casus distinguemus: Relatiua omnia sunt aut alicuius, qualia sunt imperator, pater, filius, rex, prætor, maritus, uxor, frater: hæc casu gignendi referuntur. Aut alicui, ut æqualis, par, uicinus, similis: hæc datiuū requirūt. Aut ad aliquid, ut magnum, paruum, longum, breue, mons, uallis, altū, humile: hæc casu accusandi interuētū præpositionis ad conuincuntur. item primus, secundus, tertius, simplex, duplex, triplex, simplum, duplum. Vel cum ablatiuo, ut maius, minus, leuius, grauius. Vel uarijs casibus conuertuntur, ut scibile scientia, sensibile sensus. nam uno casu alia referuntur, alia diuerso: & hæc omnis distinctio ex casuū habitudine habetur manifesta. Si igitur species referatur sub habitudine alicuius casus, quæcūq; illa fuerit, genus autē non talem receperit grammatices mutuam relationem, euertendum est genus esse illius speciei: q̄ oporteat genus omne eandem secundum casus & grammaticas inflexiones habitudinem sortiri cum specie, ut facile deprehenditur in duplici, quæ species est multiplicis: nempe utrunq; cum habitudine casus gignēdi dicitur, & omnia superiora similiter: & sciētia cõsimilem retinet inflexionem, qualem genera, ut dispositio & habitus. Verū si species dicatur cū casu dandi, uel accusandi, uel auferēdi, & tali oportebit habitudine genus referri, aliās destruetur speciei esse genus. Instantia

non unquam offenditur: ut de cōtrario, & differente. nam contrariū species est differentis, non tamen eadem grammatices obliquitate referretur contrarium cum differente suo genere. Nam contrarium cū casu dandi enuntiatur, nimirum contrarium alicui contrarium dicitur: at genus illius differens non amplius cum tali casu, sed auferendi obliquitate enuntiatur. nam diuersum, seu differens dicitur, quod ab aliquo differt. quare manifestus poterit esse locus, q̄ si species cū aliquo casu grāmatices efferatur, genus uero nō eodem, euertendum est esse genus quod ponitur pro genere. Non ignoramus aliud cōstitui regimen græcis literis expressum, sed minus latino sermoni congruum. Nam Aristoteles habet ἡ μὲν γὰρ Διαφύρα καὶ ἡ ἐναντίον, τινὲς, ἡ δ' ἕτερον γένος ὂν τῶτων, ὂν τινὲς. ἀλλὰ τινος: ἕτερον γὰρ τινος λέγεται, quibus uerbis intuitu patere potest, uariam consistere casuum relationem. Diuersum seu alterum esse genus differētis (q̄ contrarij sit, nulli non clarū existit) ex definitione illorū manifestatur. nā illa (uti relictū est quarto metaphysicorum, uel, ut uulgares circumferunt, quinto) dicuntur altera, quorū uel species plures, uel materia, uel ratio substantiæ. & uniuersaliter alterum dicitur, quod opponitur eidem. Differentia uero dicuntur quæcūque diuersa sunt & idem quid existentia, modo non sint eadem numero, sed aut specie, aut genere, aut analogia.

Rursum si quæ similiter ad aliquid secundum casus dicuntur, non similiter conuertuntur. Quemadmodū in duplo & multiplo. utrunque enim horum alicuius, & idem etiam secundum conuersionem dicitur. alicuius enim & dimidium & submultipulum. Similiter autem & in disciplina & opinione. Nam & hæ alicuius & conuertuntur similiter. Nam & disciplinatum & opinabile, aliquo. si igitur in aliquo non similiter conuertuntur, manifestum est non esse genus alterum alterius.

49
A relatiuis
secundū casu
suū conuert
sionem.

Locus à relatiuis secundum conuersionem casuum similem destruit genus, quod oporteat relatiua omnia adinuicem referri secundum casus grāmatices. nam alia cum casu genitiuo uicaria relatione dicuntur, quædam cū datiuo, quædam cum accusatiuo præpositione adiecta, quædam cum ablatiuo casu. si igitur alia habitudine referatur genus constitutum quàm sua species, destruetur genus esse. Nam si species ad suum correlatiuum dicatur sub habitudine casus gignendi, & genus illius dicetur ad suum correlatiuum cū tali relatione: quemadmodum li-

et uidere in duplici & multiplici. nam duplex species illius cum casu gignēdi ad suū correlatiuum dicitur, quod duplex sit alicuius dimidiū duplex, sic & multiplex genus ad suū correlatiuū submultiplex cum genitiuo refertur. nam dicitur multiplex alicuius submultiplicis. Idem cōspicitur in disciplina & opinione. Nam utrunq; ad suū correlatiuum cū genitiuo refertur. disciplina quæ pro specie ponitur opinionis ad disciplinatū refertur cū genitiuo, nam disciplina disciplinati dicitur: sic & genus opinio, opinabilis. quare & species & genus secundum eundem casum. Similiter si disciplinatum sit species opinabilis, non aliter refertur ad suū correlatiuum, q̄ genus. nam utrunq; cū casu auferendi citra omnem præpositionis accessionē dicitur. ut disciplinatum seu si mauius scibile, scientia scibile dicitur, & opinatum seu opinabile, opinione opinabile dicitur. Neq; enim oportet arbitrari relatiuum & correlatiuum eadem habitudine utrunque dici. neq; enim scientia & scibile eodē modo dicuntur, neq; opinio & opinabile: sed id solum desideratur, ut qua habitudine dicitur species ad suū correlatiuum, & simili eiusdem genus referatur ad suū correlatiuū. Si autem contigerit speciem ad correlatiuum dici cum aliquo casu, cum simili autem genus positū non dicatur, destruitur genus. hac ratione maioris probatur non esse genus continēs, quod maius cum ablatiuo dicitur (nam maius aliquo maius dicitur) continens autem cum genitiuo (nam alicuius est cōtīmens) & non cum ablatiuo. Quod ῥε ἴσ' ὑπολαβῶν ὁρ' ἡσ' ἔπιστητὸν τινί Aristoteles dixit, nos cōuertimus, nam & opinabile & disciplinatum aliquo. habent tamen hæ uoces regimen casus datiuī. sed tale non ferunt latinæ.

Rursum si non ad æqualia species & genus dicitur. Similiter enim & æqualiter vtrunq; videtur dici: quemadmodū in dono & datione. nam & donū alicuius & alicui dicitur, & datio alicuius & alicui dicitur. Est autem datio genus doni. Nam donum datio est irredibilis. In aliquibus autem non accidit ad æqualia dici. Nam duplum alicuius duplum: abundans autem & maius, alicuius & aliquo. Omne enim abundans & maius, aliquo abundat, & alicuius abundat. quare nō sunt genera quæ dicta sunt dupli, eo quod non ad æqualia dicuntur speciei, aut non vniuersaliter verū est ad æqualia speciem & genus dici.

Locus à relationum eodem numero generis & speciei destruitur g.
t.i.

50
A numero
æquali rela
tionum.

nus positum. Relatiua quædam uno grāmaticæ modo ad correlatiua dicuntur, quædam pluribus casuum modis. Si igitur species uno modo tantū possit referri, genus autem pluribus modis dicatur: uel cōtra, genus uno modo, species autem pluribus: destruendū est genus impositum. ut qui iræ dixerit genus appetitū, quod appetitus sit alicuius tantum, cūmq; genitiuo solu referatur, ira uero pluribus modis dicitur, cū genitiuo & cum datiuo (nam ira dicitur alicuius ira, & alicui) infrmandum est genus, quod oporteat ut nō pluribus modis referatur species, quā genus: neq; genus, quā species. nempe congruū est rationi ut æqualibus modis dicantur & species & genera, ut in dono & datione exploratum habetur. nam utrunq; eisdem & æqualibus referatur modis. Nam donū species duobus modis refertur, cum genitiuo, & datiuo: eisdem uero & tot genus illius datio dicitur. Definitur enim donū datio irreddibilis, seu elargitio alicuius quod iure repeti nō potest. Neq; enim omnis datio donum est. nam depositio, uenditio, emptio, mutuatio, uadimonii, locatio, à doni nomine excipiuntur. Hic autē locus non uerus est uniuersaliter, sed solum est probabilis, eo quod quæ manifeste genera cognoscuntur, hoc loco reuiceretur. nam duplicis & multiplicis genus est, abundans: hoc tamen pluribus modis refertur, quā species duplex & multiplex: quoniā species cū genitiuo tantum referuntur, abundans uero cum genitiuo & ablatiuo: q̄ alicuius abundantis dicatur, similiter & aliquo abundans. Idem ostenditur de maiore eorundem genere, quod pluribus modis refertur quā species.

Videndum autem & si oppositi est oppositum genus, ut si dupli multiplum, & dimidij submultiplum: oportet enim oppositum oppositi genus esse. si igitur ponat aliquis scientiam idipsum quod est sensum, oportebit & scibile, id quod est sensibile esse, sed non est: non enim omnne scibile sensibile. nam intelligibilium quædam scibilia, quare non est genus sensibile scibilis. si autē hoc non, neque sensus scientiæ.

§ I
A specie relatiua.

Locus ab opposita specie constructiuus & destructiuus generis relatiui. si constituatur genus aliquod relatiuum alicuius speciei, oportet inspicere quod est cōtrarium speciei relatiuæ: quod si cōtrarium in eodem uideatur esse, euertendum est genus. nam oppositarū specierum idem non est genus relatiuum, sed oppositæ speciei genus oppositū. ut duplicis genus multiplex monstratur, quod subduplicis, seu dimidij ge-

nus submultiplex sit. qui igitur constituerit scientiæ genus sensum, & scibilis genus confingetur sensibile: sed id falsum esse colligitur, q̄ sensibile de omni scibili non prædicatur. siquidē intelligibilia scibilia sunt, quæ sensu nullo comprehenduntur, at genus habet prædicari de omni specie: igitur si sensibile non sit genus scibilis, neque scientiæ sensus erit genus: quodd relatiuæ speciei oppositū sit genus relatiuum. Quod interpretatu reliquimus, id ipsum quod est sensum, & id quod est sensibile, Aristoteles habet ὅπερ αἰσθητόν, ὅπερ αἰσθητόν: nos dicemus, proprie sensum, proprie sensibile: sic ut genus intelligas.

Quoniam autem eorum quæ ad aliquid dicuntur, alia quidem ex necessitate in eis, aut circa ea sunt ad quæ dicuntur: vt dispositio & habitus, & commensuratio: in alio enim nullo possibile est esse quæ dicta sunt, q̄ in eis ad quæ dicuntur. Alia autem non necesse est quidem in eis esse ad quæ dicuntur, contingit autem: quemadmodum si scibile est anima, nihil prohibet sui scientiam habere animam: non necessarium autem, possibile est enim & in alio esse hanc eandem. Alia vero simpliciter non contingit in eis esse ad quæ dicuntur: vt contrarium in contrario, neq; scientiam in scibili, nisi sit scibile anima vel homo. considerare igitur oportet, si quis in genere ponat quod tale est in non tali. vt si memoriam immanfionem scientiæ dicat. Nam omnis immansio in manente, & circa illud: quare & scientiæ immansio in scientia, memoria igitur in scientia, eo q̄ immansio scientiæ est, hoc autem non contingit. memoria enim omnis in anima. Est autē qui dictus est locus, & ad accidens communis. Nihil enim refert memoriæ genus immanfionem dicere, aut accidere dicere illi hoc. nā si quouis modo est memoria immansio scientiæ, eadem adaptabitur de ipsa ratio.

Locus à diuisione relatiuorum destructiuus generis relatiui. Relatiua quædam insunt illis ad quæ referuntur, uel circa illa sunt ex necessitate: alia autem insunt quidem, sed non ex necessitate: alia uero nullo modo inesse possunt ijs ad quæ referuntur. si igitur species quædam insint ex necessitate ijs ad quæ referuntur, & genus oportebit illarū similiter inesse. quare si non insit ex necessitate, destruendū est genus

52
A diuisione
relatiuorū.

illarū impositum. ut quoniam dispositio, & habitus, & cōmensuratio, insunt ex necessitate ijs ad quæ referuntur, neque circa alia inueniuntur quàm ea ad quæ dicuntur, fieri non potest ut genus aliter se habeat ad id cui confertur: quòd si aliter contingeret, statim colligendum est non genus esse. dispositio enim habitus genus & uirtutis, ex necessitate animæ inest, sicut species. Similiter cōmensuratio & mixtum ex necessitate insunt ijs ad quæ dicuntur. Quare si quid dissonet uel in genere uel specie, euertendū genus. Ex secundo ordine est scientia, quæ ad scibile refertur, cui potest inesse, potest etiā eidem scibili non inesse. nam scientia ipsi animæ soli inest. quare si habeat anima sui ipsius scientiam, scibili inerit scientia: nā scientia inest animæ quæ scitur, igitur scibili. id tamen non est necessariū ut scientia insit scibili, q̄ possibile sit ut alterius ab anima habeatur sciētia. nempe scibilia sunt mathematica, quibus tamen non inest scientia nam illa non tantum sciuntur, sed & sciunt, si illis scientia inesset. Et quod Aristoteles scribit, Possibile est enim & in alio esse hanc eandem, id pro eo, possibile est & alterius eandē scientiā esse, intelligendū: ut (in alio) idē sonet, quod, alterius. cum igitur sciētia insit scibili nō ex necessitate, oportet & genus talē habere conditionis legem, & species sciētiae: quare existimatio genus illius non inerit ex necessitate ijs quæ existimātur, neque grammatica, musica similiter. nam si habeantur animæ, inerunt illi: si aliorū, non amplius nisi hominis: nam & homo grāmaticus, & anima grammatica. In postremo ordine continentur relatiua quæ ad opposita referuntur, & contraria quibus impossibile est inesse ijs ad quæ referuntur, quòd aliàs cōtraria seu opposita eidem inessent: ut duplex dimidio nequit inesse, neq; contra: neq; multiplex illius genus submultiplici potest inesse, neq; contra: neq; abundans similiter. quare si species nō possit inesse ijs ad quæ refertur, neq; genus: q̄ si diuersum monstretur, & genus exproditur. Et uniuersaliter, ex illa diuisione facile fuerit destruere genus. Nam si species fuerit primi ordinis, & genus: aliàs euertendū quodcunque instituat. similiter si secundi ordinis sit species, & genus. si tertij membri fuerit species, & genus oportebit esse. quare perspicere oportet si quis posuerit genus aliquod alicuius ordinis, in quo species nō ponatur. nā si species in eodem nō fuerit, nō erit genus: q̄ qualis est species, & genus tale cōstituendū. quare qui posuerit genus memoriæ mansionē, & dicat mansionē sciētiae esse memoriā, male positū ostendetur per hunc locum, q̄ mansio insit ex necessitate illi cuius est mansio: nam mansio in manente ex necessitate existit. At memoria non

inest illi ex necessitate ad quod dicitur, & cuius est memoria. Nam memoria omnis est in anima, non tamen omnis memoria est animæ, sed scientiæ & cognitionis acceptæ. igitur inesset memoria scientiæ, si omnis memoria inesset illi ex necessitate ad quod dicitur: at est absurdum dicere memoriam inesse scientiæ. Hic locus cõmunis est & ad accidēs. nam si non dicatur genus immansio ipsius memoriæ ob incommodum ostensum, sed illi accidens, aliud sequetur absurdũ. nã accideret scientiæ memoria. quare tunc esset in scientia memoria ex necessitate: quod multo superiore incredibilius est, quã in anima semper sit õnis memoria.

Rursum si habitum in actu posuit, aut actum in habitu, non est genus quod tale est: vt si sensum motum per corpus. nam sensus habitus, motus autem actus. Similiter autem, & si memoriam habitum contentiuũ opinionis dixerit. nam nulla memoria habitus, sed magis actus. Peccant autem & qui habitum in consequentem potentiam ordinant: vt mansuetudinem, continentiam iræ: & fortitudinẽ & iustitiam, timorum & lucrorum continentiam. Nam fortis & mansuetus perturbatione vacans dicitur, continēs autem qui perturbatur, sed non ducitur. fortasse igitur talis potentia sequitur vtrũq;, vt si perturbetur, non ducatur. verũ cõtinere non hoc est, hunc quidem fortẽ, illum autem mansuetũ esse: sed omnino perturbari ab huiusmodi nihil.

Locus ab habitu uel actu destruit genus, quod oportet ut habituum habitus sit genus, & actuum actus. quare qui actum reposuerit in habitu, uel habitum in actu, permutauit rectum ordinem, neq; probe assignauerit genus. in hunc errorem labitur qui sensus genus dixerit motum, quod ipsius habitus actum genus fecerit: nam sensus habitus est, motus uero actus. Rursum qui memoriam habitum contentiuũ opinionis, actum in habitus genere assignat. memoria enim actus, non habitus est. Peccant insuper qui habitus in potentijs, ut in generibus collocant, quæ consequuntur ipsos habitus non necessaria consequutione, sed secundum suppositionem quandam: q; tales potentiæ non de natura habituum sint. ut qui mansuetudinẽ habitum ponit in potẽtia, quæ illam sequitur ex suppositione, quæ est, posse continere iram uehementem (nam mansuetudo est uirtus moderatiua iræ) ex suppositione quidem

53
Ab habitu
& actu.

talis potentia sequitur mansuetudinem, quod si irascatur mansuetus, continet iram & insurgere non sinat. quare qui definit mansuetudinem iræ continentiā, non recte genus assignat: quod continere iram, sit potentia sequens dum irascitur, at genus omne est inseparabile à specie semper, continentia uero iræ non semper cōuenit mansueto qui passione caret, sed quando irascitur. similiter peccat qui fortitudinē finit, continentiam timorum, & iustitiam continentiam lucrorum. Fortis enim proprie est intrepidus, sicut mansuetus iniracundus, & utriq; sine passionibus existunt: at continens non passione uacat, qui passiones habeat retrahentes à ratione, quibus tamen non succumbit. Iustitia insuper magis est in abdicatione & carentia lucrorum quam in continentia & conseruatione. iustus enim magis bonum commune contemplatur, quam proprium: quare qui fecerit in potentijs talibus habitum consistere, ut in generibus, peccauit: quod non semper conueniret speciei, sed ex hypothesi genus effectum. quare peruersa omnis huiusmodi generis assignatio.

Aliquoties autem & quod sequitur quouis modo, ut genus ponunt: ut tristitiam iræ, & opinionem fidei. utraque enim prædicta sequuntur quidem quodam modo assignatas species, neutrum autem eorum genus est. nam qui irascitur, cōtristatur: priore in eo tristitia facta. non enim ira tristitiæ, sed tristitia iræ causa est. quare simpliciter ira non est tristitia: secundū autē hæc, neque fides opinio. contingit enim eandem opinionē etiam non credentem habere: non contingeret autem hoc, si fides esset species opinionis. non enim contingit idem amplius permanere, si ex specie omnino permutatum sit. quemadmodum nec idem animal quandoque hominē esse, & quandoque nō. si quis autē dicat, ex necessitate opinātem etiam fidē habere, de æqualibus opinio & fides dicetur. quare neque sic erit genus. de pluribus enim oportet dici genus.

54
A consequē
tibus.

Locus à consequētib; destructiuus generis. Et si genera nunquam relinquunt species, sed illas semper sequantur, non tamē quicquid quouis modo sequitur alterum, credendum est leuiter genus esse: quod & accidentia ipsa, & quæ non sunt de ratione rerum nonnunquam committentur. ut qui genus iræ fecerit tristitiam, hac ratione, quod sequatur, plurimū abusus est. non enim ira est tristitia, sed in tristitia est ira.

prior nanq; sit tristitia quàm ira. nam qui tristatur, ut iniuriã passus, irascitur: at quod tẽpore prius est specie, id non erit genus. Non enim primum animal sit, deinde ex hoc homo: sed homo simul & animal est, & animal homini inest, ut homo est. Ira uero non est tristitia, seu de ratione iræ non est tristitia, quòd prior sit tempore & effectiua illius. de causis iræ in secundo rhetoriæ Aristoteles agit. Eodem modo fidei genus monstratur non esse opinio, quæ sequitur illam. nam si fides est, & opinio: q; impossibile sine opinione fidem fieri. Qui enim opinatur, aliquando credit, aliquando non, eadem opinione. id autem generi conuenire non potest: non enim idem animal interdum est homo, & interdum non: neq; idem color interdum albus, interdum non. q; si transferretur homo, & animal. quare neq; eadem opinio aliquando erit fides, aliquando nõ. at prius facta opinione sine fide, aliquando fides inducitur: & contra, aliquando destructa fide, opinio manet, quæ fides erat. Nihil enim prohibet quempiam de re aliqua habere quandam opinionem, qua aliquando credit, aliquando non. Vt qui opinionem habet de anima, q; sit immortalis, prius potuit eadem opinione credere, propter rationes aliquas: uel cõtra, qui aliqua credit, eadẽ opinetur posterior. quare si opinio illa possit & fides esse, & nõ esse: notum est non esse genus. similiter si tristitia possit esse & cum ira, & etiam abesse, neq; illa iræ erit genus. si quis tamen noluerit fateri eandem opinionem habentem interdum credere interdum non, & dicat quòd omnis qui opinatur credit: sequitur non esse genus opinionem fidei, quòd omnis fides sit opinio, & contra, & æqualiter dicatur. sed genus nunquam reuertitur cum sua specie, quòd ea sit superius. definiunt nonnulli opinionem assensum formidolosum, & fidem assensum firmũ libere causatum, seu ut alij uolunt, cum pia affectione. qui facile darẽt, eandem opinionẽ posse nunc fidem nunc errorẽ esse. super ijs si multa etiam diuersa legere pereupis, requiras ab illis insignibus antiquis Occham, Holcot, & Cameracensi.

Videndum autem & si in aliquo eodem nata sint utraq; fieri. In quo enim species, & genus: ut in quo album, & color: & in quo grammatica, & disciplina. si igitur uerecundiam timorem dixit, aut iram tristitiam, non accidet in eodem speciem & genus esse. Nam uerecundia quidem in rationali, timor in irascibili: at tristitia in concupiscibili (nam in hoc & voluptas) ira autem in irascibili. qua-

re nō sunt genera quæ assignata sunt: eo quòd non in eodem cum speciebus nata sunt fieri. Similiter autem, & si amicitia in concupiscibili, non erit voluntas quædam: omnis enim voluntas in rationali. Vtilis autem hic locus, & ad accidens, & id cui accidit. in eodem enim accidens & cui accidit. quare nisi in eodem videatur, manifestum quoniam non accidit.

55
A subiecto.

Locus à subiecto destruit genus. Desideratur non mediocriter ut in quo species sit, & genus in eodē residere possit. quare qui monstrauerit genus nō esse illius subiecti cuius est species, tollēdū est genus. nam in quo species, & genus: ut in quo est album, & eius genus color in eodem consistit, ut corpore, seu superficie. similiter in quo grāmatica residet, & genus disciplina in eodem subiecto, ut homine, uel anima. qui igitur assignauerit genus alicuius, quod nequeat in eodē fieri cum specie, destruetur per hunc locum genus defensum. ut qui uerecundia assignauerit genus esse timorē, uel iræ tristitiam, reprobatur, quòd non in eodem sit genus assignatum cum specie. uerecundia enim est in rationali potentia, timor uero genus constitutum illius, in irascibili. similiter tristitia in concupiscibili. nam tristitia uoluptati aduersatur, quæ in concupiscibili retinetur: at ira genus positum tristitiæ, est in irascibili: quare neutrum neutrius genus. Eodem argumēto ostenditur quòd amicitia non possit genus esse uoluntas, quòd uoluntas sit in rationali, amicitia uero in concupiscibili. Si quis dubitet qui fieri possit, ut uerecundia (quæ passio est qua quis timet dedecus.) dicatur in rationali esse potentia, cum passiones in passibili, non autem rationali collocentur: Dicendum est accipi nomen uerecundia pro pudore illo ingenuo cū obseruantia quadam producto, cuiusmodi est pudor ille honestus filiorum erga parentes non ob scelus patrum, uerum propter obseruantiam. ἀσχυρὸν proprie dicitur pudor ob scelera perpetrata uerum ἀιδὸς est metus infamiae, seu ut stoici definiūt, φόβος ἢ ἀιδὸς ἐπί τῶν. Hic locus est utilis insuper ad accidēs. uidetur enim quod accidens, & id cui accidit, natum quidem in alio fieri, in eodem disponi possint. nam de subiectis substantialibus non intelligitur. fieri enim nequit, ut color & corpus in subiecto eodem ordinentur. sed accidentia comprehenduntur, quorum si unum alteri dicatur inesse, eidem possunt subiecto inesse: quod si idem subiectum non inhabitent, neque inter se conuenient. ut in quo nata est fieri superficies, & color & uisio: quòd hæc

omnia recipiatur à corpore. quare locus nō tantum de passionibus & habitibus intelligitur, sed uniuersalis est. Super istis qualitatibus reuoluas Ciceronem tertio Tusculan. quæst. & Arist. secundo rhetoricæ.

Rursum si secundum quid species dictum genus participat. non enim videtur secundum quid participari genus. Nam non est homo secundum quid animal, neque grammatica secundum quid disciplina, similiter autem & in alijs. considerandum igitur si in aliquibus secundū quid participatur genus: ut si animal, quod sensibile vel visibile dicitur. nam secundum quid sensibile vel visibile animal: secundum corpus enim sensibile & visibile, secundum animā autem non. quare nō erit genus corpus visibile & sensibile animalis. Latent autem quandoq; & totū in parte ponentes, ut animal corpus animatū. nullo enim modo pars de toto prædicatur. quare non erit genus corpus animalis, eo quòd pars est.

Locus à specie genus participante secundum quid infirmat genus constitutum, quod omne genus participatur à specie simpliciter, nō secundum quid. quare qui fixerit genus aliquod quod participat species secundum quid & partē, destruendum est. homo enim species suum genus animal simpliciter participat & totam illius rationem: similiter grammatica disciplinam simpliciter. & in alijs omnibus conspicitur genus participari absolute. Qui itaq; animalis genus fecerit sensibile uel uisibile, euertendum est. quod animal quoddam sit compositum & totum, cuius alteram partem & naturam dicit sensibile, nec non uisibile. nam hæc tantum corpus enuntiant alteram animalis partem. Nam animal tanquam duabus naturis præditū, materia & forma subintelligimus, utraq; uerò non reddunt sensibile & uisibile. nam quod sensibile dicitur animal, ratione est corporis, non animæ: similiter uisibile ratione corporis colorati. quare tota ratio animalis non his continetur, neq; natura præsumitur, sed solum altera pars. quare illa participat secundum partem. Peccant insuper qui totius partem genus defendunt, quòd pars de toto nō prædicatur. quare qui posuerit animalis genus esse corpus, destruendum: quòd corpus sit pars animalis. Hic animal pro integro seu composito ex anima & corpore desumitur. quare corpus non accipiendum pro corpore tradito à Porphyrio, quod animalis fecerat genus & substantiæ speciem. Nam pro materia & altera parte compo-

56

A specege
nus partici
pante secū
dum quid.

siti non sumebat, ut idem corpus esset ac materia, sed pro parte definitionis. qui autem definiunt animal corpus animatum, seu corpus habens animam, compositum conantur referre, cuius partem faciunt genus. quemadmodum qui definirēt domum esse parietes, quibus adiunguntur tigna & tectum.

Videndum autem si quid vituperādorū, aut fugiendorū in potestate, aut potente posuit. Ut sophistam, potentem ab apparenti sapiētia ditari: vel calumniatorē, potentē decipere & inimicos facere amicos: vel furem, potentē aliena clandestine surripere. Nemo enim prædictorum in eo quòd possit aliquid horū, talis dicitur. Potest enim & deus & studiosus praua agere, non sunt autē huiusmodi. Nam omnes prauī secundum electionē dicuntur. Amplius, omnes potestates sunt eligendorū. nam prauorū potestates sunt eligendæ: eo quòd deum, & studiosum dicimus habere eas. Potentes enim dicimus eos esse praua agere. quare nullius vituperabilis erit genus potestas. Si autē non, accidet vituperandorum quiddam eligēdum esse. Nam erit quædam potestas vituperabilis.

57
Ab eligēdo

Locus ab eligendo & bono destructiuus generis fugiendorū & vituperandorum. Quoniam bonorū genus est bonum & eligendum, & malorum ipsum malum & fugiēdum, fieri non poterit, ut fugiendorū & vituperandorum genus sit potentia, quòd omnis potentia sit bonū. qui igitur definiunt sophistam eum esse, qui potest ab apparenti sapiētia locupletari, sophistæ & uilitigatoris fugiendi genus potentia faciūt. quare & mali bonum. omnis enim potentia & posse, bonū. facultas sophistica à Platone traditur ars quæ in cōciliando comparandōq; uersatur, animaliumq; gressibilem, & terrenorū, domesticorūq; uenatio: & priuata captura ob nūmorū mercedem, & iuuenum atque senum opinione uirtutis disciplinæq; irretitio. Sophistes uero iuuenum & diuitum mercenarius uenator. & ibidem, Sophistes est acquisite, commutator, emptor, uenditor, mercator animi disciplinarum ad sermones & instituta uirtutum præcipue pertinētium. rursus, sophistes caupo circa disciplinas. & aliās, Sophista nil aliud est, q̄ artifex gratia quæstus, contentiosus, contradictionibus ambigens, in pugnando nimium litigator, lucri præ cæteris studiosus. Reliquas proprietates ex

eodem disce: quibus pulcherrime depingit sophistam. Eodem uitio laborat definiens calumniatorem (quem appellat δ' ἰαβόλορ Aristoteles) qui potest & eligit latenti uasframēto fallere, alteri crimen falsum impingere, & illusionibus & præstigijs animū traducere conatur. Nec mireris si plura adiunxerimus contextui, quā habeant uulgares. Nā habet Aristoteles οἶορ ὄφισηρ τὸρ δ' ὑνάμενορ ἀπὸ φαινομένης σοφίας χηματίξειδαι, ἢ δ' ἰαβόλορ τὸρ δ' ὑνάμενορ δ' ἰαβάλλαρ & εὐχθρὰς ποιῆρ τῶς φίλως, ἢ κλέψηρ τὸρ δ' ὑνάμενορ τὰ ἀλλότρια λάτρεα κλέψειρ. Similiter qui furem describit, potentem aliena clandestine congerere, fugiendum in potente tanquā in genere collocat. quare destruendum tale genus. nam potēs esse est bonum, igitur de malo non prædicatur, sed de bono. non enim solum potens bonū, uerum & potens malum, bonum est: ut de deo & studioso potens mala facere dicitur. Nam posse opposita perfectionem dicit, et si non faciat opposita. Vtrum deo potentia male agendi repugnet, ille est sōlus qui melius nouit quā theologi omnes omnipotens. Insuper manifestu est potentias non esse genera malorum & fugiendorum, quōd omnes potestates etiam malorum sunt eligendæ: atqui eligendum genus non est fugiendi, igitur neq; potentia. Nam dato opposito, accideret uituperandorum genus esse eligendum, quōd potestas omnis est eligenda, & potestas sit uituperandorum, quōd falsum est. nam ob potentiam non est quispiā malus, sed ex eo q̄ agat male, & cum proposito seu electione.

Et si quid propter se honorabilem, vel eligibilem, in potestate, vel potēte, vel effectiuo posuit. Nam omnis potestas & omne potēs aut effectiuū, propter aliud eligēdū.

Locus à bono propter se destruit potentiam esse bonorum honorabilem & eligibilem genus. Quemadmodum potentia dicebatur non esse genus uituperandorum, quōd bonum esset: sic neq; honorabilem, neq; propter se eligibilem potētia est genus. quōd bonū hæc sint propter alterum, at bonorum propter se genus est bonum propter se, non autem potētia. quare potentia uel bonum omne ad alterum, ut effectiuum, uel potens, non erit statuendum bonorū propter se genus. quare hac ratione quōd uoluptas non sit bonum propter se, sed ad alterum, nequit genus esse boni propter se. si quis dicat quōd uirtutis propter se eligibilis genus sit habitus, qui tamen simpliciter non est eligibilis, nā uitium quidam habitus. Dicitur quōd habitus qui uirtutis est per se eligitur, sed in potētia quicquid est, ad alterum dirigitur, quare nihil tale propter se bonum uisitur.

58

A bono propter se.

Aut si quid eorum quæ sunt in duobus generibus vel pluribus, in altero posuit. Quædam enim non est in vno genere ponere, vt fraudulētum, aut calumniatorem. neque enim qui eligit, impotens autem, neque qui potest, at non eligens, calumniator aut fraudulentus: sed qui vtraque hæc habet. quare non ponenda sunt in vno genere, sed in vtroque eorum quæ dicta sunt.

59
A generum
cōmuniōne

Locus à generum cōmuniōne deijcit generis assignationem. si quædam proponantur quæ duo genera participāt ex æquo, uel plura, qui talia in uno generu reposuerit, destruēdum est genus. Neq; enim sana fuerit assignatio per alterum, quod pluribus communicatur. quare aut utriusq; aut neutrius faciēda est species. ut qui fraudulentus, uel calumniatoris genus fecerit, uel potentem tantum, uel eligentem, male reddiderit genus. nempe æquali amore utrunq; prosequitur, neq; unum magis relinquere potest q̄ reliquum. non enim qui potest tantum decipere, est calumniator, sed qui eligit: neq; qui eligit tantum, sed & qui potest. quare utrunq; complectitur indissolubili quodam uinculo. sed inquireret aliquis fieri ne possit, ut idem sub duobus generibus non continentibus se inuicē reponatur. nam potentia nō continetur ab electione, nec cōtra. An dicendū sit uel utrunq; sub qualitate, uel sub uno composito non nominato. quemadmodum dicunt de cœnante, quod est & agentis & temporis per complexionem. nam ut rationes sunt compositæ, ita & genera.

Amplius aliquoties econuerso, genus quidem vt differentiam, differentiam autē vt genus assignant: vt stuporē superabundantiam admirationis, & fidem vehementiam opinionis. Nam neque superabundantia neq; vehementia, genus, sed differentia. Videtur enim stupor admiratio esse superabundans, & fides opinio vehemens. quare genus admiratio & opinio est, superabundantia autem & vehementia differentia. Amplius si quis superabundantiam, & vehementiam vt genera assignet, inanimata fidem facient & stupefacient. Nam cuiusq; vehementia & superabundantia illi adest, cuius est superabundantia & vehementia. si ergo stupor superabundantia est admirationis, aderit admirationi stupor. quare admiratio stu-

pefaciet. similiter & fides aderit opinioni, si vehementia quidem opinionis est, quare opinio fidē faciet. Amplius, accidet sic assignanti vehemētiā vehementem dicere, & superabundantiā superabundantē: est enim quēdam fides vehemens. si ergo fides vehementia est, vehementia erit vehemēs. similiter autem & stupor quidam & superabundans: si ergo stupor est superabundantia, superabundantia erit superabundans. videtur autem neutrum horum, quemadmodum nec disciplina disciplinatum, nec motus motum.

Locus à differentia destruit genus positum. Contingit nonnunquā in assignando genere confundi genus & differentiam. Nam id quod differentia est, genus assignatur: & quod genus, differentia suscipitur. quod accidit ijs qui definiunt stuporem superabundantiā admirationis, & fidem uehementiam opinionis. ij enim stuporis superabundantiā genus faciunt, & admirationē differentia. sed nō recte, q̄ præpositum habeant ordinem. admiratio enim genus est stuporis, non autē differentia. Nam eorum qui admirantur, quidam secundum excessum, ut qui stupefcunt: quidam uero mediocriter, ut philosophi disciplinas. admirari nimirum cum excessu, est stupefcere. quare nō genus est superabundantia stuporis, sed differentia. Eadem ratione reijciuntur, qui fidei genus uehementiam astruunt, & opinionē differentiam: quōd ordinem omnem peruertant. Nam opinio est genus fidei, quōd opinio- num quēdam sint uehementes, quēdam mediocres. Opinio autem uehemens, est fides. quare uehemens differentia, non genus fidei. Sed rursum quōd neq; superabundantia stuporis, neq; uehementia fidei genera sint, monstratur. sequeretur enim ex positione inanimata fidem habere & stupefcere. Nam omnis superabundantia & uehementia in illis sunt, quorum dicitur superabundantia & uehementia. Omnis autem uehementia in eo est, cuius est uehementia. ut spiritus uehementia in spiritu, & motus in motu. Sic & superabundantia albedinis in albedine, & dulcedinis in dulcedine: igitur & superabundantia admirationis erit in admiratione, & uehementia opinionis in opinione. quare per definitionem positam & stupor in admiratione erit, & fides in opinione. Nam bene sequitur, superabundantia admirationis est in admiratione, igitur & stupor, per definitionem traditam: & uehementia opinionis est in opinione, igitur & fides. at cui stupor inest, id stupefcit:

60
A differena
tia.

cui autem fides, fidem habet & credit. admirationi quidē inest stupor, & opinioni fides: igitur quorum est admiratio & opinio, illa stupeſcūt & credunt: ſed ſic in animatorum habebitur ſupor, & fides, & inanimata ſtupeſcent & fidem recipient. Amplius ſic aſſignantibus genera, accidit uehementiam uehemētē, & ſuperabundantiam ſuperabundantem, ſeu quod idem eſt uehementiæ uehementiā, & ſuperabundantiæ ſuperabundantiā eſſe. Nam eſt quædam fides uehemēs, igitur ad genus aſſignatum & uehementia uehemens. nam ſi fides eſt uehementia, & fides eſt uehemens, ſequitur quod uehementia eſt uehemēs per tertiam figuram à ſpecie ad genus. nam quicquid ſpeciei inest, & generi. ſimiliter ſi ſupor quidam ſit ſuperabundans, ſequitur à ſpecie ad genus quòd ſuperabundantia ſit ſuperabūdans: ſed horum neutrum uidetur concedendum, nam ſcientia non eſt ſciens, ſed eſt ſciētis: neq; motus eſt ipſum mobile, ſed eſt ipſius mobilis: neq; ſcientia ſciētis, neq; motus ipſius motus: omnia enim hæc aliorū ſunt, & in alijs: igitur & uehementia non eſt uehementiæ, neq; uehemens, ſed uehemētis: neque ſuperabundantia ſuperabundantiæ, neque ſuperabundans, ſed ſuperabundantis. ſimiliter ſi uehementiæ eſſet uehementia & alterius, & alterius, ſic in infinitum res ipſa abiret.

Quandoque autem peccant & paſſionem in genere eius quod paſſum eſt ponentes, ut immortalitatem uitæ ſempiternam dicentes eſſe. Paſſio enim uitæ vel accidens immortalitas uidetur eſſe. quòd autem verum ſit quod dicitur, manifeſtum fiet ſi quis admittat aliquem ex mortali fieri immortalem. Nullus enim dicit aliam uitā eum ſumere, ſed accidens aliquod vel paſſionem huic eidem aduenire. quare non eſt genus uita immortalitatis.

61
A ſubiecto
paſſionis.

Locus à ſubiecto & paſſo eliminat genus poſitum. Peccant interdum ob ignorantiam qui paſſionis & accidentis ſubiectum conſtituūt genus. ut qui dixerit coloris genus eſſe corpus, quòd color ſit accidēs corpori, & corpus ſubiectum, unum non eſt dicendum genus alterius. eadem ratione neq; ſcientiæ, neq; opinionis, neque uirtutis, genus erit anima: quòd horum ſit ſubiectum & hæc illi accidāt. Qui igitur definiūt immortalitatē uitam eſſe ſempiternā, hi immortalitatis genus faciunt uitā: ſed eſt paſſio uitæ immortalitas & accidens, & uita ſubiectum: igitur non erit ſpecies uitæ immortalitas. Nam ſi quis admittere non dedignetur aliquem mortalem fieri immortalem, quod de Chriſto

certū est, fortasse tamen aliam uitā eū sumere dicet nullus, sed accidēs aliquod huic aduenire, cum maneat homo, neq; perfectionē perdidit, & anima uiuat, quam semper eandem habet. quare uita non est genus immortalitatis, quod sit subiectum illius, & immortalitas accidens & passio. In exemplo nihil moror. locus uerus est, siue immortalitas cōstituitur passio uitæ, siue non.

Rursum si passionem cuius est passio illius genus dicit esse. Vt spiritum aerē motum, magis enim motus aeris, spiritus. nam aer idem permanet, & quando mouetur & quando stat. quare non est omnino aer spiritus, esset enim & non moto aere spiritus: si quidem idem aer permanet, qui quidem erat spiritus. similiter autem & in alijs huiusmodi. si igitur & in hoc, oportet admittere q̄ aer motus est spiritus: non tamē de omnibus huiusmodi est assignandum, de quibus non verificatur tale genus, sed de quibuscunq; vere prædicatur assignatum genus. nam in quibusdā nō uidetur verificari: ut in luto & niue. nam niuē dicūt esse aquam coagulatā, lutū autē terram humido tēperatam: est autē neq; nix aqua, neq; lutū terra: quare neutrū assignatorū generum erit genus. oportet enim genus verificari semper de omnibus speciebus. similiter autem neq; vinum est aqua putrefacta, sicut Empedocles dicit, In ligno putruit vnda. nā simpliciter non est aqua.

Locus à passione destruit genus constitutum. Sicut qui subiectū & passum passionis faciebant genus redarguebantur, sic qui passionis genus subiecti defenderint, sugillabuntur. nam utriusq; eadem est ratio & consimilis & conuersua. qui igitur spiritū aerem motum definit, ipsum quod patitur, ut aerē, passionis genus facit. Nam spiritus passio est aeris, patitur enim aer eo q̄ moueatur: sed aeri spiritus accidēs cognoscitur, q̄ aer idem numero manet siue moueatur siue non: at non manet spiritus, nisi aer moueatur, manente tamē illo aere qui spiritus erat. quare nō erit ipsius spiritus aer genus. & à Possidonio nulla mō stratur definitio illa tradita quæ ab Anaximandro dicitur profluxisse, qua spiritū seu uentum aerē motū descripsit. Est enim uerius spiritus aëria mutatio seu affectus aeris & qualitas. Sicuti uox non est aer ab ore animalis exhalatus, sed quædam affectio aëri adueniēs ex illi siue

62
A passione.

ad arteriã uocalem proueniens rei significandæ gratia. nam manet ille idem aer numero, qui uox erat, non manente uocæ: at non potest genus idem numero manere corrupta specie, q̄ genus nõ sibiſtat niſi in ſpeciebus, de quibus habet prædicari, & quæ illius tanquã partes habentur. Similiter ſi aer genus eſſet uocis, eo manente aere qui uox erat, adhuc de uoce prædicaretur ea non exiſtente: q̄ genus ſpeciem non relinquat, at ille aer qui dicebatur uox, ſpecies erat aeris. Et ſi detur q̄ ſpiritus ſit aer motus, & genus ſubiectũ de paſſione prædicetur, nõ tamẽ in omnibus id admittetur, ſed in ijs ſolũ in quibus poteſt ſimpliciter genus assignatũ uerificari ſecundũ ſe acceptũ, & de ſubiecta ſpecie. nã genus ſemper de ſpecie habet prædicari & in eo quod quid eſt. ſi igitur quippiam cum differentijs acceptum tanquã definitio de ſpecie assignata uerificetur, quod uero in ea ſumitur pro genere ſepoſitũ à differentijs non amplius uerificatur de ea, id dicendum eſt non eſſe genus. hac ratione monſtratur niuis non eſſe genus aqua, aduerſus eos qui eam definiunt aquã eſſe coagulata, q̄ aqua de niue nõ prædicetur. ſic & malam definitionẽ luti oſtendetur à nonnullis tradita, terrã eſſe humido temperatam, q̄ deſtituatur genere: nam terra non eſt genus, quoniam non prædicatur de luto. Plato tamẽ de ſcientia habet hæc, Abſurda eſt reſponſio, quæ, cum liceat ſimpliciter ac breuiter reſpondere, per imẽſum circumagatur: quemadmodum in quæſtione de luto leue quiddam & ſimplex poteſt inferri, quòd terra humori commixta eſt lutũ. ſic reprobat Empedoclis dictũ de uino, quo dicit uinum eſſe putridã in ligno aquam. Nam aqua non uerificatur de uino, igitur nõ eſt genus uini aqua. Hippocrates ſpiritus in corporibus, ſtatus uocauit: extra uero, aerem: & uentum, ipſius aeris fluctum & undam.

Amplius ſi omnino quod assignatum eſt, nullius eſt genus. manifeſtũ enim quoniã neq; eius quod dictũ eſt. Conſiderandum autem ex eo q̄ nihil eorũ differt ſpecie, quæ participant assignatum genus, ut alba. nihil enim differũt ſpecie hæc à ſeiuicem. omnis autem generis ſunt ſpecies differentes, quare nullius erit album genus.

63
A toto. Locus à toto abiicit omni theatro generis compositionẽ. quod enim nullius eſt genus, neq; assignatæ ſpeciei admittẽdum eſt genus. nam genus alicuius ſpeciei eſt genus: quare quod nullius, neq; iſtius erit genus. Deprehendemus autem nullius eſſe genus quod assignatur, ex conſideratione eorũ quæ genus inſtitutũ dicuntur participare: q̄ ſi illa nullo

modo ratione & specie discrepēt, colligendū est nullius esse genus. nā quæ participāt genera, uisuntur disiungi ratione & specie: ut quæ animal uel brutū participāt, ratione & definitione discriminantur. similiter in cæteris. si igitur quis albū dixerit genus ad niuem albā, & equū album & papyrū & cygnū, reprehendetur: quod albedines omnes specie non differunt, & omnia alba eandem inter se rationem habent albedinis. quare neque album neque albedo genus est, sed species: quod si nullius sit genus, neque equi albi dicitur genus.

Rursum si quod omnia sequitur, genus vel differentiā dixit. Plura enim sunt quæ omnia sequuntur: ut ens & vnū eorū sunt quæ omnia sequuntur: si igitur ens genus assignauerit, manifestū quoniā omnium erit genus: eo quod prædicatur de eis. de nullo enim genus quod de speciebus prædicatur. quare & vnum species erit entis. accidit ergo de omnibus de quibus genus prædicatur, & speciem prædicari, eo quod ens & vnū de omnibus simpliciter prædicatur. oportet autē de paucioribus specie prædicari. Si autem quod omnia sequitur, differentiā dixit, perspicuum quoniam de æqualibus vel de pluribus differentiā quod genus dicitur. Nam si & genus omnia sequitur, de æqualibus: sin vero non omnia sequitur genus, de pluribus differentiā dicitur quàm ipsum genus.

Locus à transcendente dissipat generis constructionē uel differentiæ. Nam contingeret genus de æqualibus prædicari, si quod transcendens est & omnia sequitur, genus statuatur. genus enim habet prædicari de speciebus & illis contentis: at quod omnia exuperat & ab omni infertur, de pluribus prædicabitur quæ equalia erūt, ut de transcendētibus, nā de omnibus prædicatur: at inter illa omnia sunt quædam conuertibilia & omnia significantia: quare genus de æquis prædicaretur speciebus. Ut si ens ponatur genus, quod omnia sequatur, de uno prædicabitur: quare uel unum erit species, uel indiuiduum: non indiuiduum, igitur species. nam oportet genus prædicari de speciebus & indiuiduis, at ens & unum recurrunt, quum sint omnia comprehendentia: igitur haberetur species generi equalis. Eodem modo destruetur differentia, quæ omnia sequi dicitur. Nam uel illa esset superior genere, uel illi æqua: quorum utrumque fieri non potest, quod differentia sit per quam genus diuidatur. si enim ponatur genus transcen-

dens, & differentia similiter dicatur transcendens, æquabuntur inter se, quod impossibile est. si uero genus non sit omnia continens, & differentia sequitur omnia, habebitur copiosior differentia genere: igitur non potest neq; genus, neq; differentia constitui ex eorū numero, quæ omnia sequuntur: quod species æqualis proponeretur generi. quare Porphyrius ens transcendens multiplex hac ratione asseruit.

Amplius si in subiecta specie est, quod assignatū genus dicitur: ut album in niue. quare manifestum quoniā non erit genus. de subiecta enim specie solū genus dicitur.

65
A cōtinēte
subiecto.

Locus quod insit subiecto eneruat genus cōflatum. Nam genus non inest subiecto tanq̄ in eo contineatur, ut accidens, sed de subiecto dicitur. Est siquidem accidentis subiecto inesse & adherere: generis autem dici de subiecto. Nam eorū quæ prædicantur quædam dicuntur de subiecto, quædam insunt subiecto, quædam sunt in subiecto & dicuntur, quædam neq; dicuntur neq; insunt. Vniuersalia quidē substantiæ dicuntur de subiecto tantū, singularia accidentiū insunt tantū, cōmunia accidentium insunt & dicuntur ratione ad diuersa, singularia substantiæ neq; dicuntur neq; insunt subiecto. si igitur quippiam insit subiecto, nō erit genus ad illud subiectū. quare niuis non est genus album, quod illi accidat, & insit illi tanq̄ suo subiecto. genera enim tantum dicuntur de speciebus & indiuiduis, non autem simul inesse possunt.

Cōsiderandū autē etiā est si nō uniuocū sit genus speciei. nā de omnibus speciebus uniuoce genus prædicatur.

66
A non uniuo-
uoco.

Locus nō ab uniuoco propulsat genus defensum, q̄ oporteat genus uniuoce prædicari de speciebus. quare si æquiuoce prædicetur de specie ut ens, uel denominatiue ut album uel coloratū de niue, euertendū est genus. Neq; idem est nō uniuocum & æquiuocum, ut in secundo patet tanus satis ample admonuisse.

Amplius quando existente & speciei & generi cōtrario, si quod melius contrariorum est, in peiori genere ponit. Nam accidet reliquū in reliquo esse, eo q̄ contraria in cōtrarijs generibus. quare quod deterius est in meliori erit, at videtur melioris & genus melius esse.

67
A transsum-
ptione.

Locus à transsumptione speciei cōtrariæ abdicat problema generis habentis contrariū. si aliquando proponatur genus habens contrariū cuius & species contrariā non refugiat: si speciei melioris afferatur genus peius uel maius, destruendum. nam & peioris melius esset genus.

¶ *Contrariū in cōtrario genere reponatur, ut dicebatur retro. qui igitur dixerit uoluptatē esse felicitatem, & uirtutis genus erit malū. nam uoluptas & uirtus cōtrariantur, quemadmodū ingeniose cōmemorauit Prodicus, & narratur in secundo Xenophontis cōmentarioru: quæ dicuntur Herculi aduentasse ornatu distinctæ, ut par erat, quæ contraria pollicerentur. at uirtutis genus est bonū & non malum, igitur neq; fortunæ est genus bonum, sed malum. nam sicut se habet contrarium ad contrarium, ita reliquum ad reliquum.*

Et si eodem similiter ad utraq; se habente, in peiore & non in meliore genere ponit: ut animam ipsum quod est agitationē aut agitatum. nam pari modo eadem statua & agitatiua esse uidetur. quare si melius statio, in hoc oportet genere ponere.

Locus à pari demonstrat generis expugnationē. si quædam ad duo genera similiter se habeāt, quorū alterū melius, alterum peius, & possit in utroq; poni ut in genere, cōuenientius fuerit reponere in genere melioris, q̄ peioris. ut medicina si se habeat ad morbi productionē efficiendā, sicut sanitatis: qui reposuerit in genere peiore seu in effectiuo morbi, peccauit, q̄ oportuit in effectiuo sanitatis. nā cæteris paribus in meliore constituenda species. Hac ratione & potētias in genere boni reponimus. qui igitur animā collocauit in genere motus seu mobilis, aberrauit: q̄ anima sit & motus & quietis principii, & parens effectrix similiter, at stare & quiescere melius est quàm moueri: nam mouētur singula ut quiescāt corruptibilia, tanquam quies sit finis motus: igitur quies & status melior motu. quare oportuit & in meliore genere reponere animā, ut in statione, non autem in motu. quemadmodum illi suspicantur falso animam definientes, seipsam mouentem.

Amplius ex magis & minus. Destruenti quidem si genus suscipit magis, species autem non suscipit, neq; ipsa, neq; quod ab ipsa dicitur: ut si uirtus suscipit magis, & iustitia, & iustus. Dicitur enim iustus magis alter altero, si igitur assignatū quidem genus magis suscipit, species autem nō suscipit, neq; ipsa, neque quod ab ipsa dicitur: non erit quidem assignatum genus.

Locus ab ipso magis & minus dirimens genus. Nam oportet si genus suscipiat magis & minus, & speciem & quæ denominatur. quare qui assignauerit alicuius speciei genus, quod suscipit magis & mi-

68
A parti.

69
Ab ipso magis & minus.

nus, non autem species, destruetur positum genus. ut qui niuis genus posuerit coloratum, quòd nix non suscipiat magis neq; minus: at coloratū altero datur coloratius, ut albius uel nigrius: quare euertendū genus. similiter numerus maior est & minor, anima autem non: quare neq; genus est animæ numerus. Similiter & cōtra, si species suscipiat magis & minus, non autē genus, destruendum. ut dubiæ opinionis destruetur genus esse æqualitas rationum, quòd dubitatio sit maior & minor, non autē æqualitas: igitur si neq; ipsa denominatiua neq; denominantia genera dicantur cū aduerbijs magis & minus, neq; species: & contra. quare qui oppositum monstrauit, destruxit genus.

Rursum quod magis videtur vel similiter, non est genus, manifestum quoniā nec quod assignatum est. Vtilis autē hic locus in talibus maxime, in quibus plura videntur de specie in eo quod quid est prædicata: cū non determinatū est, neq; promptū nobis est dicere, quodnam corū sit genus: vt de ira, tristitia & opinio paruipendentia in eo quod quid est prædicari videntur: contristatur enim iratus, & opinatur paruipendi. Eadem autem consideratio & in specie ad aliud aliquid comparanti. Nam si quod magis aut similiter videtur esse in assignato genere, non est in genere, manifestum q̄ neq; assignata omnino species erit in genere. Interimēti igitur quemadmodū dictum est vtendū. A struēti vero, si quidem suscipit magis quod assignatum est genus, & species, nō utilis locus: nihil enim prohibet vtrorūq; suscipientium nō esse alterū alterius genus. Nam bonum, & album suscipit magis, & neutrū neutrius genus. Generū autem & specierum ad seinuicem comparatio utilis. vt si similiter hoc & hoc genus, si alterum genus, & alterum. Similiter autē & si quod minus & quod magis: vt si cōtinentiæ magis potestas q̄ virtus genus, virtus autem genus, & potestas. Eadem autē & de specie conuenit dici. Nam si similiter hoc & hoc propositi species, si alterum species, & reliquū: & si quod minus videtur species est, & quod magis.

70
Ab ipso magis & minus & paribus.

Locus ab ipso magis & à paribus destructiuus generis. si enim quid uidetur magis genus esse quam alterum, & quod magis uidetur, nō est

genus, neq; quod minus. Si uero similiter utrunq; uideatur esse genus, si unum tollatur, & reliquum destruatur oportet: ut de ira prædicatur tristitia & opinio in eo quod quid est. nã dicitur aliquãdo ira tristitia, aliquando & ira dicitur opinio contemptus. quum igitur utraq; de ira prædicentur, & immanifestũ sit utrum illorum sit genus, sumendum id quod magis uidetur esse genus: q̄ si comprobetur id non esse genus, neq; quod minus uidetur esse, erit: ut si tristitia dicatur nõ esse genus, ut monstratum est retro, quæ magis uidetur, neque existimatio erit genus. Quod si utrunq; similiter uideretur genus, & unũ remoueatur, & reliquũ. nam parium est idem axioma. Eadem consideratio est in specie. si quid enim uideatur magis esse species assignati generis, uel similiter, non sit autẽ species eius generis cuius uidetur magis esse species, neq; alterius minoris. ut si continentia uideatur magis species uirtutis quã mansuetudo, non sit autem continentia species uirtutis, neq; mansuetudo erit. A simili uero sic, si continentia sit similiter species uirtutis ac constantia, non est autem continentia species uirtutis, igitur à paribus neq; constantia est uirtus. Locis igitur duobus ab ipso magis & minus, & similiter, ad destructionem generis sic utendum. Ad constructionem uero prior non ualet ab ipso magis ad minus, non enim oportet si pulchrũ & album magis & minus suscipiant, esse genera albi & pulchri. Posterior autem secundum comparationẽ eam generum & specierum adinuicem ad destructionẽ ualet & ad constructionẽ. nam si quid minus uidetur esse genus alicuius q̄ alterũ, & id cõstituat genus quod minus est, & reliquũ. à minore ad maius ratio est efficax. Quod si similiter utrunq; alicuius uideatur genus, & unũ monstretur, & reliquum. Eadem ratio constructiua seruabitur in specie. nam si magis continẽtiæ uideatur potentia genus quã uirtus, potest autem continentia uirtutis species, igitur & continentia potestatis species: ut potestas, quæ cupiditates refrænât. A simili uero, si temperantia similiter uideatur species uirtutis ac fortitudo, sed temperantia est species uirtutis, igitur & fortitudo.

Amplius ad construendum perspiciendum, si de quibus assignatum est genus in eo quod quid est prædicatur, cum non sit vna assignata species, sed plures & differentes. nam manifestum quoniam erit genus. Si autẽ in assignato species est, considerandum & si de alijs speciebus genus in eo quod quid est prædicatur. Nam rursus acci

det de pluribus & differentibus idem prædicari, & genus confiteri. Quoniam autem videtur in quibusdam & differentia in eo quod quid est de speciebus prædicari, separandum est genus a differentia utenti ijs quæ dicentur elementis. Primum quidem, quoniam genus de pluribus dicitur quam differentia. Deinde quoniam secundum eius quod quid est assignationem magis conuenit genus quam differentiam dicere. Nam qui animal dicit hominem, magis indicat quid est homo, quam qui gressibile. Et quoniam differentia quidem qualitatem generis semper significat, genus autem differentiam non. Nam qui dicit gressibile, quale quid animal dicit: qui vero animal dicit, non dicit quale quiddam gressibile. differentia igitur a genere sic separanda.

71
A prædicatione
i quid.

Locus generis constructiuus a prædicatione in quid de differentibus. Construebatur genus a minore & a paribus, nunc a prædicandi modo in quid, supposito quod de pluribus specie dissidentibus prædicetur. ut animal constructitur genus quod de homine, & equo, & cane, differentibus specie prædicetur & in quid. quod si de una specie prædicatur, conspiciendum & si prædicetur de alijs in quid, & statuendum erit genus. ex opposito destruetur, uel quod de una specie tantum prædicari possit, uel quod non in quid prædicatur. Verum quoniam differentiam in quid uidentur prædicari de speciebus differentibus, conandum est intelligere quibus locis & rationibus poterimus discrimen consequi utriusque: nam differentiam non sunt genera, neque species, neque indiuidua, quæ substantiam non sint, ut habetur in prædicamento substantiam. Verum quod prædicentur de speciebus ut genera, deducenda est ratio quæ omnem ambiguitatem adimat, quum dictum sit in primo libro, differentiam ordinandam cum genere, & eisdem locis problemata differentiam conspicienda, nec non prædicari de differentibus specie, & quæ uideatur in quid prædicari. Poterimus his tribus elementis & locis genus a differentia seiuungere. Primum quod genus de pluribus dicitur quam differentia. nam differentia est pars altera generis per quam diuiditur. secundum etsi differentia de specie in eo quod quid est uideatur prædicari, quod definitio in eo quod quid est prædicatur, differentia autem pars est definitionis, quare & differentiam. tamen magis conuenit interrogatis per quid est, respondere per genus, quam per differentiam. magis enim homo est animal, quam rationale. Postremum autem quoniam diffe-

Tribus argu-
mentis sepa-
ratur a ge-
nere differ-
rentia.

rentia qualitatem generis, cuius est, indicat: nam rationale animalis est qualitas, & gressibile. Genus autem qualitatem differentie non significat: nam animal nullius differentie est qualitas. qui enim dicit animal, non quale rationale dicit: sed qui rationale dicit, quale animal manifestat. Differentia enim denominat ipsum animal, sed animal non denominat differentiam. sicut à forma specifica accipitur denominatio rerum, & non à materia: sic differentia qualitas est substantialis denominans speciem ipsam.

Quoniam autem videtur musicum quàm musicum est sciens esse, & musica scientia quædam est: & si ambulans eo quod ambulat mouetur, ambulatio motus quidam est: considerandum in quo genere vult quippiam construere secundum dictum modum: vt si scientiam ipsum quod est fidem, si sciens quatenus scit, fidit. manifestum enim quoniam scientia fides quædam erit. eodem autem modo & in alijs huiusmodi.

Locus à denominatiuis construit genus & destruit. si enim quod denominatur, ut tale est in aliquo genere denominato & secundum habitum, & denominans in denominante erit. nam si primigenium in primigenio, & deflexum in deflexo: & cõtra. quare musica esse scientiam construemus, quod musicus ut musicus est sciens & in genere scientis: & ambulationem esse motum, quod ambulans quatenus ambulans mouetur: & scientiam esse fidem, si sciens quàm sciens, credat seu fidat: & in omnibus si habens in habente, & habitus in habitu erit, & contra: nam ad utrunque est conueniens.

72
A denomi-
natiuis.

Amplius quoniam quod sequitur aliquid semper & nõ conuertitur, difficile est separare quod non sit genus, si hoc quidem illud sequitur omne, illud vero hoc non omne: vt tranquillitatem quies, & numerum diuisibile, econuerso autem non: nam diuisibile non omne numerus, neque quies omnis tranquillitas: ipso quidem est vtendum vt genere, quod est semper consequens, cum non conuertatur alterum: cum autem alterum se extendit non in omnibus, obsequendum. Instantia autem huius, quoniam non ens sequitur omne quod fit. nam quod fit, nõ est, & non conuertitur: nõ enim omne quod non est, fit:

attamen non est genus non ens eius quod fit simpliciter enim nō sunt non entis species. De genere igitur quem admodum dictum est transeundum.

73
Asequentibus.

Locus à sequentibus generis constructiuus. Nam eo quod sequitur genus speciem, & non insert, difficile est separare à generis numero id quod sequentium ordinem habet, quoniam alterum sit genus, & alterum species. Nam ob id quod tranquillitatem quies sequatur, dicimus esse illius genus, & non econuerso. Similiter & numeri genus diuisibile contendimus construere, quod sequatur numerum semper, & non contra. nam omnis numerus est diuisibilis, sed non omne diuisibile numerus; neque omnis quies tranquillitas, licet bene contra, omnis tranquillitas sit quies. In hūc locū prompta habetur instantia de non ente, quod non est genus eius quod fit, tamen sequitur non ens id quod fit. nam omne quod fit, est non ens perfectum & absolutum, neque cōuertitur: nam nō omne quod non est ens generatur, ut chymera, sphinx, hircoceruus, non sunt, tamen non fiunt. Quod non sit genus non ens, eius quod fit, manifestum à toto. nam quod nullius est genus, non erit genus ipsius quod fit: at non ens nullius est genus, etenim omne genus in eo quod quid est prædicatur, at negationes & priuationes non in eo quod quid est prædicari possunt. His igitur locis in problema generis congregiendum.

In catalogum hunc disponuntur loci ad problema generis.

Primus, à cognatis	38	à contrarijs & medijs
2 ab accidentis prædicatione	39	à casibus & coniugatis
3 à definitione accidentis	40	à proportionem
4 à prædicamenti distinctione	41	à generationibus & corrup.
5 à speciei participatione	42	à causis efficientibus
6 à speciei uerificatione	43	ab oppositis priuatiue
7 à specierû participatione	44	à contradictorijs
8 à speciei maiori prædicatione	45	à relatiuis
9 ab æquali specie	46	ab unitate relationis
10 ab indiuiduis	47	à superiorum relatione
11 à diuerso genere	48	à casuum similitudine
12 à superioris prædicatione	49	à conuersione casuum simili
13 à speciem participantibus	50	à numero relationû eodem
14 à generum prædicatione	51	ab opposita specie
15 à specie subalterna	52	à relatiuorum diuisione
16 ab uniuoca prædicatione	53	ab habitu & actu
17 à differentia prædicante	54	à consequentibus
18 à differentia subiecta	55	à subiecto
19 à genere speciei subiecto	56	à specie
20 à differentia speciei subiecta	57	ab eligendo
21 à genere differentia subiecto	58	à bono per se
22 à genere pro differentia	59	à generum communione
23 à differentiarû prædicatione	60	à differentia
24 à specie priore	61	à subiecto & passo
25 à specie inseparabili	62	à passione
26 à contrario genere	63	à toto
27 à speciei communicatione	64	à transcendente
28 ab æquiuocatione	65	quod subiecto inst.
29 ab unitate speciei	66	non ab uniuoco
30 à metaphora	67	à transsumptione
31 à speciei contrario	68	à paribus
32 à contraria specie	69	ab ipso magis & minus
33 à genere contrario	70	ab ipso magis & paribus
34 à medio contrariorum	71	à prædicatione in quid
35 à medijs uariae eloquutis	72	à denominatiuis
36 à medio cōtrariorû generis	73	à consequentibus.
37 à contrario genere		

ANTONII DEMOCHARIS
 RESSONEI IN QVINTVM LIBRVM
 TOPICORVM ARISTOTELIS,
 HYPOMNEMA.



Trum autem propriū an non proprium est quod dictum est, per hæc quidem considerandum.

Primum quod penetrātibz spatiosos ad proprium locos determinatione dignum putauimus, fuit ordinis ratio huius libri locos ad problema propriū proferentis cū sequentibus & superioribus præscribenda, ne quis

Genus præponēdū fuit propriū.

duce fortuna ipsum autumarit possedisse has partes. Iure nimirū optimo problemata generis priores sedes ante propriū problemata præocuparunt, proprijsq; ueniunt præferenda. Honorabiliore enim sunt substantiæ ipsi, ut sic dicam, subsustantijs, genera autem substantiam specierum monstrāt, & problemata generica sunt substantialia: propria uero subsustantialia. Adhæc proprium genus requirit primum ad sui constitutionem, genus autem propriū ope non indiget. quare ualida ratione genus fuit præponēdum, quod esset necessarium, ut proprium existeret. Insuper proprium est compositius & pluribus inseruiens, genus autem simplicius, liberius, & pluribus cōmunius, & demū constructione facilius. Verum q̄ apposite definitionē præcesserit propriū, ex eo facile liquebit, ut retro diximus, quoniā genus & propriū sunt ad definitionē & construendā & destruendā elemēta. nempe definitionē pro prima suæ compositionis particula genus desiderare necessitas coegit, & à proprio coniūctionem illam arctissimam & uicariā quasi precario eadem uidetur accipere. Qui enim imbibit omnes à genere locos & constructiuos & destructiuos, facile eosdem adaptabit primæ definitionis portioni uel in totius definitionis perniciem, uel tutelam. similiter q̄ uendicauit eadem proprietatem à proprio, & nomen propriū interdum indueret (eo q̄ cōuerteretur) expatiari oportuit per propriū locos ad constituendam definitionē propriam. Ad hoc facit coniūctio locorum propriū cum locis definitionis, quorum habetur aliquot omnino ijdem. Insuper propriū natura assequitione faci-

Propriū ante recessit definitionem.

lior & paratior existit, quàm definitionis. Destructio nãq; proprii dirimit definitionē, at constructione proprii nō protinus cōstabit definitio. Pluribus nãq; astringitur definitio: quam orationē esse & quid indicare oporteat. Propriū uero non semper oratio, sed simplex & compositum integre desumitur, neq; ipso substantia rei suggeritur, uerū tantū remeare id cum sua specie tenacissime gaudet. De quo & eiusdem problematibus, nunc protrahendus est sermo. Discutientur quidem & proponentur loci & elementa hoc libro per quæ expenduntur utrum sint problemata à proprio quæ constituētur, an non. Neq; cōniendum est quòd in codice quodam offendimus huius principium sub hoc contextu, τὸς πρὸς τὸ ἰδίον ἐπιχαρῆν δ' ἄ, καὶ ποτὶ χαρῆς δ' ἰδίον, ὅτι τετραχῶς, & τί ἐκαστοῦ, & τίς ἢ πρὸς ἄλληλα τοῦ τῶν διαφορᾶ. id est, quomodo ad proprium argumentari oportet, & quotupliciter proprium, quoniam quadrupliciter, & quid unumquodque, & quæ sit ad inuicem horum differentia, dicendum.

Huius libri
determinas
tio.

Assignatur autem proprium aut per se, & semper, aut ad aliud, & aliquando. Per se quidem, ut hominis animal mansuetum natura. ad aliud autem, ut animæ ad corpus: quoniam illa quidem imperare nata est, hoc autem parère. semper autem, ut dei, animal immortale. aliquando uero, ut alicuius hominis ambulare in gymnasio.

Cum uaria sit & multiplex proprii notio, quoniã quadruplex, quid sit unumquodque & quæ horum differentia explicare fuerit utilissimum, ut cognoscatur de quo proprio differendū sit. Nam præscribendi loci, quibus cōstruetur uel destruetur propriū positum, nō conferēt nisi ijs qui notam acceperint proprii discutiendi, quum de omni proprio in hac methodo ad proprii problematis examen nō agatur. Querenda est itaq; proprii diuisio, ex cuius distributione in partes, claritas infundatur: ad hoc enim munus obeundū diuisio uocatur. In quatuor scernitur mēbra propriū: in proprium per se, & propriū semper, ad alterum, & aliquando. quæ in primis exemplis perspicua sient, demū definitionibus illustriora conspicientur. Per se proprium assignatur, ut hominis animal mansuetum natura. Nam animalia mansueta uidentur quædam irrationalia, sed non natura, uerū consuetudine & industria: ut aues aliquæ. Ad aliud, ut animo imperare corpori, si ad corpus cōferatur: & corporis erit parère & inseruire animæ. sēper autē, ut dei animal immortale. Aliquando uero, ut alicuius hominis ambulare in

Proprium
quadrifariã
diuiditur.

Porphyrus
conferit
Aristoteli.

gymnasio est propriū. His quatuor subscripsit Porphyrus. nam quod per se propriū est, propriū dicit quod omni soli & semper, & id quartum fecit. Proprium uero aliquando, tertium statuit: ad aliud uero, primum numerauit, quod huius alterū soli alicui speciei inest, etsi non omni: alterum uero omni & semper. Semper autem, secundum assignauit, quod omni etsi non soli insit. In plura igitur se porrigit proprium semper, quā proprium secundum se: quod omne proprium per se sit proprium semper, sicut proprium quarto modo est propriū secundo, non tamen recurrit: quoniam non omne proprium semper, etiam est per se: propriū enim per se ab omnibus separat, quod soli speciei insit, atqui multa sunt quæ semper conueniunt, non tamen solis insunt. Sicut non omne proprium secundo modo dictum à Porphyrio est quarto, sed contra. Non dissimili ratione uidetur disiungi propriū ad aliud à proprio aliquando, quod illud uel omnibus & semper, uel plurimis: quapropter & proprium semper proprium ad aliud est. Proprium ad aliud differt à proprio per se, quod non ab omni separat. Neq; arbitrandum est dici proprium semper, q̄ soli conueniat, uel quod disiungat ab aliquo, sed quia omni tempore insit: ut dei animal immortale proprium semper est: quod non recurrit cum deo, si insectenur antiquorum placita & Aristotelis, qui animas sine corporibus non admittent. Magnus Basilius etiam nō dæmonibus modo, sed & puris angelis corpora tribuit, ueluti spiritus quosdam tenues, & aereos. Cui & David astipulari uidetur, qui dicat, Qui facit angelos suos spiritus, ac ministros suos flammeos. Et Augustinus in ciuitate dei ait, Qui facit angelos suos spiritus, id est eos qui spiritus sunt natura, facit esse angelos. Eandem fuisse Pauli sententiam Vellus asserit, quoniam sic commodius locum permittent, quiescant, insuper sine fallacia sensibus se offerant. Augustinus astruere uidetur angelos omnes ante confirmationem uel lapsum corpora aerea habuisse ex priore superiorēq; aeris parte conseruata, sed ad faciendum idonea non item ad patiendum: taliaq; etiā bonis angelis conseruata, quæ uisum tamen non patientur, ni crassius quippiam fuerit inductum. Malis uero angelis in lapsu demutata fuisse corpora in aeris spissioris qualitatem, ut igne possent torqueri. Super Genesim idem sic ferme prodit, Dæmones aerea dicuntur animalia, qui corporum aereorum natura uigent, neque per mortem dissoluantur, quoniam præuolet in eis elementū ad faciendum aptius q̄ ad patiendum. Patientiæ quidem humor terrāq; congruunt maxime: ad faciendum uero, aer & ignis. Verum (ne quid dissimulem in secūdo senten-

Uidetur ani
malia ratio:
malia imor:
talia esse
quædam.

tiarum adnotatum aduerti hæc de aliorum sententia fuisse Augustino conscripta, quoniam Christianæ ueritatis sectatores complures conspiratu consono prodiderunt angelos esse incorporeos, assumerèque corpora aliquando ut exequantur ab optimo maximo deo iniuncta, quibus mox exuantur. Beatus Thomas quæstionis propriæ articulo primo Augustinum scribit Platonicorum opinionem explicuisse, Origenem quoq; (ut in alijs) similiter esse deceptum in libro de principijs. Quod si Gregorius angelum uocat animal rationale, id esse per metaphoram dictum exponit, ex rationis similitudine. Vbi Bernardus ait, Spiritus creatos indigere instrumento corporeo, intelligendum (inquit) non naturaliter adglutinato, sed ad aliquid assumpto. denique in diuinis nominibus Dionysius incorporeos esse angelos constanter affirmat. sed responderent affectu prioris partis, quod incorporei uocantur ob id quod sit moris corpora crassiora, corporea nominare: quæ autem tenuia et quæ aspectum et tactum fugiunt, incorporea dicere. Neque enim idem est angelicum et dæmonicum corpus: illud enim radiat et nequit oculis sustineri, dæmonicum aliquando uidetur. angelicum corpus expers est materiæ, dæmonicum est subiectum materiæ et passioni, nunc certe obscurum et tenebricosum: quod Augustinus innuit super ueritatis sententia, Disceditis à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis eius, inquirens spirituum discrutiationem. sed sunt (inquit) sua etiã dæmonibus corpora, sicut doctis hominibus uisum est, ex hoc aere crasso et humecto. Prætermitto id quod habet de doctr. ecclesi. Angelos et omnes substantias intellectuales naturas corporeas dicimus: simul quid respondeat Durādus secundo sententiarum. Hæc copiosius exquisiimus ut mostrarem ex doctorum fide et sententijs animal rationale mortale uideri conuenire nõ tantum homini. Rationale definiuit Ammonius id esse quod mentis iudicio ducitur ac ratione, ut homo et dæmon. Scio quosdam futuros, quibus hæc protinus displicebunt, qui existiment idem esse proprium per se, et semper. huius nimirum sententiæ extant doctissimorum authorum chirographa, qui simul astruunt idem esse proprium per se et semper, quod bona accommodatãq; descriptio. Cæterum cum uideam Aristotelem quadruplicem effinxisse proprii acceptionem, grauiorem nõ requiro iudicem, qui inquit, ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἢ ἐξ ἰδίου ἢ κατὰ αὐτὸ, καὶ αἰεὶ, ἢ πρὸς ἑαυτὸν, καὶ πάντοτε. id est, assignatur autem proprium uel secundum se, et semper, uel ad alterum, et aliquando. quod exemplis docet manifeste, qui quatuor affert exempla, unicuique suum contribuens et ab

alijs diuersum. non enim idem facit exemplum propriū per se, & propriū semper. Verum industrie uidetur immiscuisse (ut utriusq; indicaret discrimen apertius) utriq; in reddendis exemplis proprium ad aliud. Quod idem obseruauit dum horum definitione naturam perquireret, quibus diuersas nemo non intelligit construere. his haudquaquā segniter excitatus non hæsitaui asserere quadruplex esse propriū, cui astipulatur & Porphyrii censura, qui se (ut in ipso pollicetur Isagoges capite) aperiēdæ Aristotelis sententiæ totum consecrarat. Ineptus profecto uidebitur is, qui diceret dari seorsim diuersa longe exempla ad elucidationē horum disiuētum, si eadem sint. nam si eadem sunt, quare diuiduntur abinuicem? quare diuersa accommodātur exempla? quare distinctæ proferuntur definitiones? Occasione horum subit in mentem scrupus ille, qui bonam iuuenum mentem torquere potest: sitne proprium per se idem cum proprio quod Porphyrius quartum enumerauit. Nam audio populariter circumferri non esse idem: quōd Porphyriū proprium sit incomplexum omne, Aristotelis proprium per se complexum, & in omni complexione genus collocatur. Insuper illud cum specie infima conuertitur tantum, hoc uero cum specie infima & genere imo. Verum ut ad primam rationem deueniam, quis genius illapsus fuerit horum mentibus non satis capio, qui amuntiauerit illis Porphyriū citra complexionē propriū tenuisse: cum dicat tractatu de differentiā, quod natū est nauigare, seu (ne dicas quod græce simplex protulerat, latine fuisse circuloquutū) & περιήγουσι πάλαι, nō esse differentiā, sed hominis propriū: quod esse dictū cū cōplexione nemo nescit. Nec, puto, te iuuabit dicere ipsum accepisse quod cōiunctū erat pro simplici. Nam idem diceretur de proprio Arist. cōposito pro simplice fuisse acceptū. Dices, propriū per se cōstat genere & quodā alio, nō autem proprium Porphyrii. Vides te redire ad id de quo habetur controuersia. non enim magis dixit componi q̄ non, neq; contra Porphyrius, qui super illius structura nullam fecerit memoriā. Adhæc falsum est omne proprium per se esse complexum, cum habeatur septimo Topicorū, proprium ut plurimum in complexione assignatur. Præterea si proprium omne componatur genere & alio quodam uel alijs, quæ nam sint illa à genere? non enim differentiæ, quoniam generi copulatæ definitionē redderent: non species, quōd species de seipsa non prædicatur, neque alia. Nemo enim animal hominem hominis propriū diceret. Neq; erūt accidentia. nam oportet omne proprium reuerti, at nulla accidentia retroaguntur cum specie, siue separabilia, siue inseparabilia dicantur.

nam hoc ipso uidetur maxime à proprio differre accidens, quòd nulla accidentia, quantumuis commisceantur, conuertantur cum specie, neq; ex illis cum genere remeatio assurgat. Oportet enim quæcunq; conspiciant, partem habere reciprocã, quæ coarctet ad plura decurrentia. Non aliter q̄ in definitione, quæ tot membris consuitur, donec differētiarum congestione una inueniatur cū specie cōuertibilis. superest igitur ut uel nō sit omnino propriū per se cōuertibile, uel oporteat inducere propriū per se quoddã simplex. Nam ad proprii cōpositionem si præter genus nō afferatur differētia, neque species, neq; definitio, neq; accidens, neq; genus, nihil restat quod afferri possit quàm propriū: quare simplex aliquod dabitur, uel ipsa cōpositio prolaberetur in infinitum. Deniq; hanc rationē non effugient, risibile de homine prædicatur non ut genus, aut accidens, quia adinuicem reflectuntur: neque ut definitio, quum non sit oratio: neq; ut differentia, quia generi iunctum speciem efficeret: quare per diuisionem Arist. erit proprium, & non complexum: igitur. sed iam ad secundum pergo, quo dicitur proprium per se conuenire speciei infimæ & generi ultimo, non autē proprium quarto modo Porphyrij. Quorū enim sunt consentientes rationes, illa sunt coniuncta: at proprium per se, est quod ad omnia assignatur, & ab omni separat: propriū uero quarto modo Porph. quod omni, & soli inest & semper, definitur: quæ definitiones concordēs conspiciuntur. Insuper omnis definitio, & proprium per se, conuertuntur: at definitio tantū est solius speciei. nam sola est species quæ genus habeat & differētias, quibus est operæpretium ad definitionē: sit igitur ut propriū per se sit solius speciei. Rursus proprium per se, uel est plurium, uel solius speciei: si pluriū, nō erit propriū, q̄ ab omni nō separet: at si plurium nequeat esse, relinquitur unius & solius extet. Postremum propriū per se, id omne quod nō indicat quid esse rei, & conuersim prædicatur de re, definitur: at si per rem nihil aliud uelint q̄ nomen, uel speciem, siue subiectum, ut appellat Aristoteles, cuius solius & nō alterius sit proprium oportet, & Porphyrius dicat proprium omni & soli & semper cōuenire, quid dissidiū inter utriusq; propria cōstituēt? Proinde Rodol. Agricola, uir sane multæ eruditionis, nō pertinuit idē dicere esse propriū Aristote. & Porph. ut ex ipsius uerbis colligitur. nam ferme ita habet, Mihi placet dici propriū in præsentia, quo pacto Arist. uoluit, quicquid de eo cui id propriū esse uolumus cōuersim dicitur. & paulo post idē, Ergo (ut dicimus) nobis propriū cui hūc locū triuimus sit illud quod quarta huius nominis significationē Porph. posuit.

Sunt autē proprij quod ad alterū assignatum est, aut duo problemata, aut quatuor. Nam si de hoc quidem assignatū quippiā fuerit, de illo vero negatū id ipsum, duo dūtaxat problemata sūt. quēadmodum hominis ad equum propriū est quod bipes est. nam & quod homo nō bipes est argumentabitur quispiā, & quod equus bipes: vtrinque autē remouetur propriū. Si autē de vtroque vtrunque assignatū fuerit, & de vtroque negatum, quatuor problemata erunt. vt hominis proprium ad equum: quod ille quidem bipes, hic autem quadrupes est. nam & quod homo non bipes est, & quod esse quadrupes natus est, argumentari est: & quod equus bipes, & quod nō quadrupes, possibile est argumentari. quolibet igitur modo ostenso, interimitur quod propositū est.

Proprij ad alterū duo aut quatuor problemata

Proprij ad aliud uocati, describuntur problematum modi: quos aut duos esse, aut quatuor, manifestum fiet. Nam proprium ad alterū, semper habet aliud sibi proprium connexum eius cui comparatur. quare si id quod propriū est alicui de eo affirmetur, & negetur de altero ad quod referebatur, duo problematū genera assurgunt: ut si de homine bipes propriū ad equū affirmetur, de equo autē negetur. si quis enim conetur ostendere quod equus est bipes, unum fit problema: si uero quod homo non est bipes, alterum: utroque modo sane esse tale hominis proprium destruit, & qui hominem contendit monstrare quadrupedem, & qui equum bipedem. Ceterū exemplum intelligas sumptum, ut monstrantur duo fieri problemata à proprio ad alterum dicto, non quod eo demonstratur homo quadrupes, uel equus bipes, seu demonstrari possit: quia fieri non potest. Quatuor uero componentur problemata à tali proprio ad alterū, si de utroque subiecto & homine & equo utrunque propriū prædicari dicatur. In primis de homine bipes dicatur, & de equo quadrupes similiter. Insuper si utrunque de utroque negetur, ut homo non est bipes, & equus non est quadrupes. Nam qui dicit hominem esse quadrupedem, siue nō bipedem, destruit problema quod homo sit bipes. Eodem modo qui dixerit quod equus non est quadrupes, uel quod est bipes, interimit equum esse quadrupedem. Vnde manifestum est fieri octo pronuntiata, si de utroque utrunque enūtiatur. nam quatuor in quibus utrunque de utroque affirmatur, & quatuor his opposita. ut bipes si de homine & equo affirmetur, duo effata constituuntur: homo est bipes, equus est bipes. si uero quadrupes de eisdem dicatur, duo alia: ho-

mo est quadrupes, equus est quadrupes, quibus è regione ordinentur negatiua. Verù ijs octo quatuor conficiuntur sese interimentes. Nã homo est bipes, & homo non est quadrupes consentiunt, & problema destruant hoc, homo est quadrupes. Similiter equus est bipes, & equus non est quadrupes parium uirium, euertunt problema hoc, equus est quadrupes. At equus est quadrupes, & equus nõ est bipes, infringunt hoc, equus est bipes. Sic homo est quadrupes, & homo nõ est bipes, istud propulsant, homo est bipes: quæ quatuor esse tantum constat. In figuram hæc omnia facile dispones.

Est autem per se quidem proprium, quod ad omnia assignatur, & ab omni separat (quemadmodum hominis, animal mortale & disciplinæ susceptiuū) Ad aliud autē, quod non ab omni, sed ab aliquo statuto determinat (vt virtutis ad disciplinam: quoniã illa quidem in pluribus, hæc in rationali solo, & in habentibus rationem nata est fieri) Semper autē, quod secundum omne tempus verificatur & nunquã relinquitur (quemadmodum animalis, ex anima & corpore compositum esse) Aliquando vero, quod secundum aliquod tēpus verificatur, & non ex necessitate semper consequitur. vt alicuius hominis, ambulare in foro.

Supere est aggrediamur quatuor prædictorū definitiones ad discrimen illorū planè cognoscendum. Propriū igitur per se definitur, quod assignatur ad omnia sub specie contenta: quod aliter dicebatur à Porphyrio, quod omni soli & semper conuenit. ut hominis propriū per se, animal mortale disciplinæ susceptiuum: nam omnibus hominibus adhibetur, & solis, quod ab omnibus separat animalibus hominem. Et id inter omnia priorum genera proprie uenit dicendum. quare & iure primum fuit definiendum. Cætera autem propria nõ sunt simpliciter, sed uel cõmunia alijs uel ex hypothesi constituta. ad aliud propriū describitur, quod non ab omni separat, sed ab aliquo statuto determinat. neq; enim ab omnibus alijs diuidit speciem unam, ut per se proprium: sed ab aliquibus certis & determinatis, inter quæ seruetur habitudo: ut bipes proprium est hominis ad equum. quare ab omnibus quadrupedibus homo seiungitur, non tamen ab auibus: quum bipes & homini & aui quadret. Quare quod omni cõuenit, et si non soli, dicatur ad aliud propriū. Vt uirtutis ad disciplinã. Nam uirtus in pluribus con-

Proprium
per se.

Proprium
ad aliud.

spicitur, q̄ disciplina: utpote quæ in naturalibus, & artificialibus, & nõ determinatis suscipiatur: ut hominis uirtus dicitur intelligere, equi currere, domus defendere ab imbrum & uentorum iniurijs, cubiculi seruare cõteta. Disciplina uero, in determinatis est: ut in homine, & anima rationali solis. Neq; produxit uirtutem & disciplinam, ut propria, sed ut monstraret qualia essent, quæ in determinatis & statutis cõspiceretur, & qualia non, uel quod uirtus in rationali & irrationali, & pluribus consideretur, disciplina solum in rationali. Propriũ semper, quod omni tempore uerificatur, & nõ quod aliquando insit, & aliquando nõ: ut animalis, ex anima & corpore cõponi. Nam si sit animal, cõponitur anima & corpore. neq; enim soli animali inest habere animã & corpus, sed & plantis. Proprium aliquando, quod non semper, sed aliquo tẽpore uerificatur. Vt si quis solus abulet in foro aliquo tẽpore.

Propriũ
semper.

Propriũ ali
quando.

Est autẽ ad alterum proprium assignare, differentiam dicere, aut in omnibus & semper, aut vt multũ & in plurimis. Vt in omnibus quidem & semper, quemadmodum hominis proprium ad equum, quoniam bipes. nam homo quidem & omnis & semper est bipes: equus autem nullus est bipes, & nõquam. Vt multum autem & in plurimis: quemadmodum rationalis proprium imperare ad concupiscibile, & irascibile: eo quod illud quidem imperat, hæc autem parent. nam neque rationale semper imperat, sed quandoque & illi imperatur. neque cõcupiscibili & irascibili semper imperatur: sed & imperant quandoque, cum fuerit hominis anima flagitiosa.

Propriũ ad
alterum du
plex.

Diuiditur ad alterum proprium in duas partes differentes. nam quoddam dicitur quod in omnibus & semper conspicitur: Alterum quod frequenter & in plurimis illis conuenit. bipes enim propriũ est hominis ad equũ priore modo, quod omnis homo sit bipes & semper, uerum equus nullus est bipes, nec aliquando contingit, quoniam semper est omnis equus quadrupes. Propriũ uero ad alterũ, quod ut multum & in plurimis assignatur. ut dominari est propriũ rationalis animæ ad concupiscibilem & irascibilem, non quod semper insit & in omnibus, sed frequenter & in plurimis. nam in bonis hominibus præest ratio cupiditati & iræ, & utriq; imperat & frequẽter. Veru nõ semper, neque in omnibus id sit, quod regatur aliquando & succumbat ratio cupiditati & iræ: ut in incontinentibus, & passiones suas

sequentibus, quorum uita & anima uitij conſpurcatur ſordidiſſimis. Non enim ſimplex eſt, nec unius modi humanus animus, ſed alterum habet intelligentiam atq; rationem, quam præſtare naturaliter & inperare homini eſt conueniens. Alterum uero habet turbulentiam affectuum, & impotem rationis, erroribus reſertū, & ſua uī ſuāq; ſponte inordinatū. quo ruruſus bipartito altera pars cum corpore uerſari, & ipſum colere ſuapte natura deſiderat, & dicitur concupiſcentia. Altera autem pars, interdum ipſi ſe dedit appetentiæ, quandoq; rationi uim robūq; ſuppeditat, & dicitur irascentia. Neq; ſanè admirabitur quomodo parere rationi poſſit id quod rationem non habet, quiſquis complectetur mente quantæ ſint rationis uires, & quo penetrent occupando, & ducendo, nõ duris quidem nec renitentibus modis, ſed inſormantibus & ad cedendum parendūque diſponētib; quæ res eſt omni neceſſitate, ac uiolentia ad tranſigendum efficacior. quandoquidem ſpiritus, neruū, ac oſſa, & deniq; reliquæ corporis partes, quæ ratione carent, cum animi motus oritur, quatientēque quaſi habenas ratione, omnes intenduntur & expediuntur & parent. Pedes ad curſum parati, manus ad iaciēdum, ad capiendū, id animo cogitāte ſunt præſto. Præterea ſi canes, equi, aues domeſticæ, uideātur cōſuetudine quadam & educatione, ac præceptione uoces prudentes reddere, & rationi obtemperantes motus & habitus, actionēſq; moderationē quadam & utilitatem noſtrā continentem, non eſt admirandū quod irascentur in nobis, uel cupit, aut dolet, aut triſtatur, prudētiae obedire, cū incola ſit, nec abſciſſum, nec extrinſecum, neq; ulla neceſſitate, uel plagis formatum, ſed à natura dependeat, & ſemper uerſetur, educetur, & conſuetudine compleatur ac more. Vnde & recte ſunt appellatæ morales qualitates animæ uacantis ratione, quoniam qualitatem hanc & differētiam à more animus irrationalis à ratione conformatus capit. Cui quidem non eſt conſilium commotiones animi & affectus omnino euellere, neq; enim poſſet, nec opus eſt, nec expedit: ſed terminū quendam & ordinem præſcribere, moralesque uirtutes conſtituere. quæ ſane non ſunt ſine affectione & motu, ſed ſymmetriæ ipſorum & mediocritates. Imprimis enim ipſa prudentia & informat uim commotarum affectionum, & habitum conſtituit urbanum.

Potētia irrationalis rationali obedire poteſt.

Propriorum autem ea maxime logica ſunt, quæ per ſe, & ſemper, & quæ ad aliud. Nam eius quod ad aliud eſt proprium, plura problemata ſunt, quemadmodum dixi.

mus & prius. nã aut duo, aut quatuor ex necessitate fiunt problemata. plures autem orationes fiunt ad hæc. Quod autem per se est & semper, ad multa est argumētari, vel ad plura tēpora obseruare. quod per se quidem ad multa. nam ad vnumquodque eorum quæ sunt: vtpote cui oportet inesse proprium. quare si non ab omni separat, non erit bene assignatum proprium. Quod autem semper, ad plura tempora est obseruare: & siue non inest, siue non infuerit, siue non inerit, non erit propriū. Quod vero aliquando, non in alijs vel ad illud, quod nunc dicitur, tempus, consideramus. non igitur sunt rationes ad ipsum plures. Logicum autem est problema, ad quod rationes fiunt, & crebræ quidem & bonæ.

Quot logi-
ca pblema-
ta à proprio
& quæ.

His discussis adiūgere incūbit quæ problemata sint logica, & quot sint ad disputationes maxime conducētia. Ea in triplici sunt differentia. nam proprium per se, proprium semper, & proprium ad aliud, logicum est maxime. Proprium quidem aliquando, reijcitur, q̄ ad illud nō habeantur rationes multæ & bonæ. Nam ea propria sunt logica, quæ faciunt problemata. nam definitur logicum problema id esse, ad quod fiunt frequentes & cōuenientes rationes & argumentationes. Verum ad problema proprij ad aliud, sunt multæ argumentationes, ut prius monstrabatur, q̄ aut duo, aut quatuor assurgerēt problemata: ad quæ plures fiant concertationes & disputationes, q̄ unumquodq; problema duabus rationibus dirimatur, & contradictoria propositione, & altera de proprio alterius speciei affirmato: ut hæc, homo est bipes, destruitur his quibus colligētur hæc, homo nō est bipes, & homo est quadrupes. similiter & cæteræ similes: quare problema proprij ad alterum est logicum. similiter proprium per se, & propriū semper erunt logica, quōd ad multa liceat congrēdi, & ad plura tempora differere. Nam in problema proprij per se q̄ multa desiderantur, ad multa conatum & certamen inire conueniet. Nimirum ut construatursibile hominis proprium per se, oportet omni, soli, & semper conuenire, & ab alijs omnibus separare. quare in tale problema proprij facile erit multis argumentis agere. nam quanto difficilius quid construitur, tanto facilius destruitur. uerum oportet ut ad multa oculum intendat, qui constituit proprium: quorum unumquodque si destruat, proprium labascit. similiter proprium semperprehenditur logicum, quōd pro-

blemata illius multis rationibus euertere possunt propter temporū multas differentias, quæ obseruandæ sunt in constructione, ut temporis præsentis, præteriti, & futuri: quibus conuenire id ipsum debet subiecto. quare si ostendatur tale proprium assignatum non inesse, uel non conuenisse, uel quoddam non ineri subiecto, destruetur esse proprium semper. nam quod semper inest, & tempore præterito, & præsentis, & futuro conuenit. Proprium aliquando, non est logicum, quoddam ad problema illius non multæ rationes erui possint: in quo solum considerare oportet tempus præsens, secundum quod assignatur. Non enim id quod alicui conuenit, uel conueniet, & modo non insit illi, dicitur proprium aliquando: quare neque illis temporibus conueniet differere, neque tallium fuerit habenda consideratio, sola superest temporis præsentis cura, ad quam destruendam non possunt esse rationes multæ, & probabiles. de garrulis & ineptis tacemus. quocirca non immerito logicum refugit problema, neque illius faciendæ est memoria, nec traditio.

Ad aliud igitur proprium dictum, ex ijs quæ sunt de accidente locis inspiciendum, si huic quidem accidit, illi vero non. De ijs autem quæ semper, & quæ per se, per hæc considerandum.

Relicta fecimus tria priorum genera, quæ promerebantur logici nomen, à quibus & problemata rationalia denominantur, differentia triplicis. Nunc determinandum est, an loci & rationes instituantur ad omnia hæc problematum genera, ut quiuis intelligat in quid certandum sit, quum sine delectu in omne congregiendum non sit temere. Cæterum quoniam propria ad aliquid, sæpe accidentia sunt (ut in primo dicebatur) & problemata priorum ad aliquid relegabuntur ad accidentis problemata: atque locis, quibus disputatum est in problema accidentis secundum inesse uel non inesse alteri, & in problema proprii ad alterum tentando ueritatem uel falsitatem eisdem licebit uti. proprium aliquando, quia logicum non erat, prorsus reijcitur, uel ad accidens mittetur: duo reliqua propria & per se, & semper, huius libri locis expendentur.

Dispositio
priorum.

Primum quidem an bene assignatum est proprium, an non bene. Eius autem quod est bene aut non bene, est unum quidem, si non per notiora, aut per notiora positum est proprium. destruenti quidem, si non per notiora: at constructuenti, si per notiora. Eius autem quod non per notio-

ra est, hoc quidem si omnino ignotius positum est proprium quod assignauit, illo cuius proprium dixit. Non enim erit bene positum proprium. nam propter notitiã proprium facimus. discendi enim causa, & proprium & diffinitiones facimus. per notiora igitur accipiendum sic enim magis erit sufficiẽter cognoscere. ut puta qui ponit ignis propriũ esse simillimũ animæ, ignotiore quam ignis utitur, anima. magis enim scimus quid est ignis, quã quid anima. non igitur erit bene positum propriũ ignis, simillimum animæ.

Huius libri
scopus.
Primus lo-
cus ab igno-
tiore.

Prælua illa quæ cognitioni problematũ propriũ per se, & semper, inferuirent, ad hunc usq; locũ extendimus, quod his prætermis- sissimum specimen legitimæ disceptationis exhiberi possit ad propriũ problema. Decuit profecto ut multiplex propriũ illa notio euolueretur, & uniuscuiusq; subrogaretur definitio, & quæ sint logica, uocaretur: deniq; ad propriũ per se & semper, cognitionem hæc præfens institutio traderetur. hoc enim caput causæ existit, utrum bene assignetur proprium, an non, quod discutietur locis sequentibus. Primus quidem omnium quod non bene assignetur proprium destructiuus, est ab ignotiore. Est enim differentis problema assertum profligare, quod destruet sanè argumẽto quo concludet propriũ esse assignatum ignotius eo cuius est proprium. Nempe ea est propriũ uis, ut refulgeat & clarius sese exhibeat eo, cuius dicitur proprium. Cõstruere igitur is elaborabit, cui negotium iniunctũ est, opposita ratione, quæ illustrius & manifestius persuadet proprium assignari eo, cuius assertur proprium. Nam quod proprium rebus obscuris faueat, quibus & lumen infundit, sicut definitio, speciosa uidebitur ratione colligere probam ipsius propriũ constructionem, quando notius esse monstrat specie, cuius est: quemadmodum destructionem ipsius persequitur, quod ignotius sit. Verum quoniam ratio per ignotiora duplex est, duplicẽ progignit locũ ab ignotiore propriũ euersiuum. Ignotius enim alterum dicitur, quod simpliciter & omnino est ignotius: alterum uero, quod ignotius sit cui adsit. Priore modo destruitur ignis esse proprium, simillimũ animæ. nam subiectũ cui assignatur propriũ, est clarius ipso proprio. nam ignis etiam sensu nobis est manifestus. at proprium clarius esse debet ipsa specie: quare quod ignotius sit subuertitur. Simillimum animæ, quo utitur proprio Democritus quãtum augurari possum ex primo de anima, ignotius est

igne. quanta uero sit obscuritas in peruestiganda animæ substantia tot tamque diuersæ & multiplicæ de anima sententiæ, quas habet primus de anima liber, testimonium ferunt amplissimum. Plato enim animam esse essentiam se mouentem defendit, Xenocrates numerum, Aristoteles entelechiam, Pythagoras & Philaus harmoniã, Possidonius ideã, Asclepiades quinque sensuum exercitium sibi consonum, Hippocrates spiritum tenuem per corpus omne dispersum, Heraclitus Ponticus lucem, Heraclitus Physicus scintillam stellaris essentiæ, Zenon concretum corpori spiritum, Democritus spiritum insertum atomis, Critolaus Peripateticus constare ex quinta essentia. Neq; reluctatur id quod in principio traditur eiusdem, quod honorabilis est animæ scientia ob ea duo, quibus scientia honorabilior dicitur.

Aliud autem, si non notius est hoc huic inesse. Oportet enim non solum notius esse re, sed & huic inesse, notius esse. nam qui nõ scit si huic inest, neq; si illi soli inest cognoscit. quare cum quoduis horum acciderit, obscurum fit proprium. ut quia qui ponit ignis proprium in quo primo anima nata est esse, ignotiore utitur quam sit ignis. eo quod ignotius est, si in hoc est anima, & si in hoc primo est. non erit itaq; bene positum proprium ignis, in quo primo anima nata est esse. Construenti autem, si per notiora positum est proprium, & si per notiora secundum utrunq; modum. Erit enim bene secundum hoc positum proprium. nam constructiuorum locorum eius quod bene, alij, quidem secundum hoc solum, alij autem simpliciter monstrabunt quod bene. ut quia qui dixit animalis proprium sensum habere, per notiora, & notius assignauit proprium secundum utrumque modum: quare erit bene assignatum secundum hoc animalis proprium, sensum habere.

Alius locus ab ignotiore destruit proprii assertionem. si enim proprium assignetur, oportet tum notius esse simpliciter ipsa re cuius est proprium, tum notius sit illi inesse proprium, secundum utrunq; modum notioris: ut animalis proprium secundum hoc bene dicitur constitui sensum habere, q; utroq; modo notius sit. Destruetur itaq; ignis esse proprium in quo primo nata sit esse anima, q; ignotum sit cuius

Ab ignotios
re conuans
entia.

dicat esse proprium, & similiter quòd ignotum sit, in quo primo anima collocetur. quare cuius proprium afferatur, incertum. Plurima quidem est suborta inter philosophorù principes contentio, in quo sit anima. nam alij in innato calido, alij in spiritu, alij in corde, alij in cerebro. Nā Galenus & Platonici sedem animæ rationalis in cerebro statuūt, & uim principem animæ in cerebro, uirilem ac irascibilem in corde, cōcupiscibilem in iecore. nam inquit Galenus, Et uulgo iactari sic nouimus, cum fatuum audimus cerebrum non habere, timido & pusillanimi cor deesse. Bedæ sentētia super Marcum, Animæ locus (inquit) principalis non iuxta Platonem in cerebro, sed iuxta Christum in corde. Nota est Aristotelis sententia in corde eam collocantis. Notandum autem admodum diligenter quosdam locos constructiuos proprii bene assignati secundum quid, & determinatione locorum constructiuorum facta ad destructiuos: ut quando destruitur ratione aliqua proprium, per oppositam construi contenditur. Quosdam uero constructiuos esse proprii simpliciter & proprie, qui uniuersaliter proprii demonstrāt astrui. Prioris modi constructiuos proprii sequentibus præceptis persequemur. Reliqui uero copiose suo ordine sequentur, quibus firmā ab infirma compositionem discernemus. sint igitur loci in hunc modum duplicem distributi.

Deinde destruenti quidem, si quod nominum quæ in proprio sunt assignata, multipliciter dicitur, vel etiā tota oratio plura significat. Non enim erit bene positum proprium. ut quoniā sentire multa significat, vnum quidem sensum habere, alterum autem sensu utri: non erit animalis proprium bene positum, quod natum est sentire. quapropter non utendum est, neq; nomine quod multipliciter dicitur, neq; oratione quæ plura significet. quia quod multipliciter dicitur, obscurum facit quod dictum est, dubitante eo qui debet argumentari, quodnam dicit eorum quæ multipliciter dicuntur. nam proprii discendi gratiā assignatur. Amplius autem ad hoc necessarium est redargutionem aliquam fieri cum sic assignant proprium, quando in dissidente quispiam conficiet syllogismum, de eo quod multipliciter dicitur. Construenti autem, si non plura significat neque nominum quippiam,

In quo sit anima.

Locis quidā construunt secundū quid propriū, quidam simpliciter

neq; tota oratio. Erit enim secundum hoc bene positum proprium. vt quia neq; corpus plura significat, neq; mobilissimum in superiorem locum, neq; totum quod ex his compositum est: erit bene positum secundum hoc ignis proprium, corpus mobilissimum in superiorem locum.

Tertius locus ab æquiuocatione proprii ad destruendā proprii cōpositionē producitur. nā qui partes æquiuocas & multiplices in proprio assignato consistere comprobatur, uel nomen si simplex fuerit, uel totam orationem uariā indicat, eadem ratione problema proprii dissipat: ut qui defenderet animalis proprium esse natum sentire, eo quod sentiendi multæ sunt notiones, una quidem sensum habere, altera sensu uti, destruitur esse animalis proprium. Discendi nanq; studio suscipitur proprium, sed quod multipliciter dicitur, perplexitatem multā rei declarandæ adfert. quare proprium multiplex subiectum clarius non redderet, sed obscurius. Neq; minorem differentibus ambiguitatē positio proprii multiplicis ingerit ei, qui non planè intellexerit ad quod assignetur ob æquiuocationē. insuper fieri elenchum & redargutionis materiā ministrari necesse est ijs, qui ad proprium æquiuocu, uel amphibolum differunt. quoniam dissentientibus animis disceptabūt interrogans & respondens ob indiscretam proprii assertionē, nec non omnis ratio & syllogismus ad diuersa cōuertetur. Quare secundum hūc modum destructiuum rationem constructiuam secundum quid proprii eripies: ut qui intrepide proprium sustinebit, quod simplicem rerū notam, uel orationis unum significatum habet. Hac ratione ignis proprium, corpus in superiorem locum mobilissimum est fatendum. Neq; enim pars aliqua, neq; tota oratio, multorum est signum, ut diximus retro. Semper adnotare debemus quod in cōstructiuis istis adiungitur secundum hoc, non autem simpliciter. quia non oportet si est simplex quod assignatur propriū, esse propriū: sed opus est & omni & soli & semper: sicut prius nō sequebatur, est clarius quod assignatur propriū, igitur est propriū. nam super sunt & pleraq; alia necessaria. non enim oportet si ratione aliqua interimatur, & opposita simpliciter cōstruatur. pluribus enim est opus ad constructionem q̄ destructionem.

Deinde destruēti quidem, si multipliciter dicitur illud cuius proprium assignatur, non determinatur autē cuius eorum ponatur proprium. Non enim bene erit assignatum proprium. ob quas autem causas, non immani-

3
Ab æquiuo-
catione pro-
prii.

festum est ex ijs quæ prius dicta sunt . nam eadem acci-
dere necessariū est . vt quia scire hoc plura significat (vnū
enim scientiam habere hoc, alterū autem sciētia vtī hoc,
aliud vero scientiam esse huius, aliud autem sciētia vtī
huius) non erit eius quod est scire hoc, bene assignatum
propriū vllum, non determinato, cuius horū ponitur
propriū. Construenti vero, si non dicitur multipliciter
hoc cuius propriū ponitur: sed est vnum, & simplex.
Erit enim bene positum secundum hoc propriū . vt quia
homo simpliciter dicitur, erit bene positū secundum hoc
hominis propriū, animal mansuetum natura.

4
Ab æquiuo-
co subiecto

Quartum ordinē tenebit locus ab æquiuocatione subiecti, destruens
propriū indeterminatū. Oportet enim simplicium afferre propria.
quod si temere subiectum multiplex proprio donetur, neq; multiplicis
certæ parti contribuatur propriū, destruendum: q; omne multiplex
obscurum sit, at discēdi præsidio subiecti propriū affertur. propriū
sanè multiplicis non clarius ipsum reddit indeterminatū. simul redar-
gutionem profluere inde manifestū fiet: quibus etiā duabus rationibus
seu incommodis destruebatur propriū multiplex assignatū. nam eis-
dem & subiecti multiplicis propriū positum ablegabitur. quare quis
ipsius scire hoc propriū inique constituerit, quod scire hoc sit multi-
plex, nisi adhibita fuerit lex quæ cuius significati assignetur propriū
monstret. significatio enim huius τὸ ἐπισκεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον, seu huius ora-
tionis, scire hoc, tam multiplex est, ut in quatuor distrabi possit. Nam
scire hoc, est ipsum habere scientiam, seu q; illud habet scientiam: in su-
per scire hoc dicitur, q; id scientia utatur. neq; enim idem cum priore,
quod illud habitū, hoc actum insinuet. Adhæc scire hoc, est huius scien-
tiam habere, seu quod id scibile sit. Deniq; quod illius utamur sciētia. ut
scire hoc duobus modis, secundum habitū & actum actiue, & duobus
passiue illis respondentibus dicatur, etsi uerbū scire latinis id non si-
gnificet. Nam quodcumq; dicatur ipsius propriū, ignotum fuerit cui-
us significati dicatur propriū. uerum id naturæ propriū dissentit,
quæ germanam quandam subiecto perspicuitatem accumulat. Ex op-
posito itaq; plurimum auxiliū uendicabit ad probam propriū assigna-
tionem, qui subiectum cuius propriū assignatur unū & simplex esse
monstrat: ut hominis non frigide assignabitur propriū, animal man-
suetum natura, quod homo cuius propriū datur, simplex sit uox. Ne-

que tamen omnino oportebit proprium intelligi hac ratione, sed solum
 q̄ si cætera alia insint necessaria ad constructionem proprii, & secun-
 dum illud quod etiam desiderandum erat solum, constructur. De signi-
 ficatione sciētiae seu huius scientiam habere, in Theæteto Plato differit.

Deinde destruenti quidem, si frequenter dictum est
 idem in proprio (sæpe enim latent hoc faciētes & in pro-
 prijs, quemadmodum & in terminis non erit bene po-
 situm quod hoc sustinet, proprium. Conturbat enim au-
 dientem, quod frequenter dicitur. Obscūrum igitur ne-
 cessariū est fieri, & præter id nugari videntur. Eueniet au-
 tem frequenter idem dicere duodus modis. vno quidem
 quando nominauerit frequenter idem. vt si quis propriū
 assignet ignis, corpus tenuissimū corporum. hic enim fre-
 quenter dixit corpus. secundo autē si quis assumat ora-
 tiones pro nominibus. vt si quis reddat terrę proprium,
 substantiam quæ maxime corporum secundum naturam
 fertur in inferiorem locum: deinde assumat pro corpo-
 ribus, huiusmodi substātiās. vnum enim & idem est cor-
 pus, & huiusmodi substātia. erit ergo hoc modo substan-
 tia frequenter dicta. quare neutrum erit bene positū pro-
 priū. Construenti vero, si nullo vitur frequēter nomine
 eodem. Erit enim secundum hoc bene assignatum pro-
 priū. vt quia qui dixit hominis propriū, animal discipli-
 næ susceptiuum, non vsus est frequēter eodem nomine:
 erit utiq; secundū hoc bene assignatū hominis propriū.

Locus à frequenter eodem dicto interimit propriū, quòd omnis nu-
 gatio & repetitio eiusdem vitiosa & obscura sit. qui igitur propriū
 defendunt, interdum contingit, ut eadem frequenter admisceant com-
 positioni. in quod vitium incurrunt qui definitiones non unquā eisdem
 consarciant: nam in utrisq; componendis ob complexionem multorum
 idem sæpe cōsarcināt. quare utrunq; eadem ratione impugnabitur. nā
 conuincuntur illi, quòd proprium clarum & notum esse debet, atqui
 proprium id in quo frequenter, ut bis uel pluries idem inculcatur, au-
 dientium ob oculos tenebras offundit, & auditorum aures grauissime
 onerat. Insuper eos nugari nemo hæsitabit, qui in morē cuculi eadem
 pluries occinunt, q̄ nugatio sit inanis eorundem repetitio sine deco-

5
 A frequen-
 ter dicto.

Frequēs res
petitio duo
6^o modis fit

re, quam probus omnis summpere fugere studebit. Frequens autem eiusdem repetitio modis duobus committi potest in proprio deligendo. Priore quidem & manifesto, quando nomen idem bis uel sæpius inseritur constructioni: ut qui defenderet ignis proprium, corpus tenuissimum corporum, redargueretur facile, quod nomen corporis frequenter & bis dictum sit in proprii structura, quod æclarissime dignoscitur, nempe continentur in proposito corpus & corporu, nomina eiusdem notæ. Posteriore uero & latente magis, quando nomen semel & eiusdẽ rursus nominis definitio adiungitur proprio construẽdo: ut qui terræ proprium, substantiam quæ maxime corporum secundum naturã mobilis in inferiorem locum defenderit, damnabitur positio, quod nomen substantiæ pluries afferatur. nam si in locum corporu substituẽs definitionẽ corporis quæ est substantia corporea, hæc assurgit proprii cõpositio, substantia quæ maxime substantiarum corporearum secundũ naturam in locum inferiorem fertur. in qua clarissime cõspicis nomen substantiæ collocari sæpius. nam substantia semel ponebatur in principio & in locum corporu definitio ponitur, quæ corpori est eadem hæc substantia talis, id est corporea uel (ut quidam uocant) tribus dimensionibus assurgens. in qua definitione semel substantia, & iterum collocatur. quare bis collocari debes habere manifestum substantiæ nomen in statuto proprio. Maxime terrã descendere dictum est, propter aquã & aerem, quæ neq; grauias, neq; leuia sunt, neq; ascendunt, neq; descendunt simpliciter & maxime. Per oppositũ constructionẽ sperabit proprii, qui nullo eodem nomine bis utitur, neq; definitiones pro nominibus ad illius structurã assumit: ut qui tuetur hominis proprium animal disciplinæ susceptiuu, secundum hũc modum alteri superiori oppositum conuenienter astruit, quod non admittat frequenter idem nomen dici, neque pro definito definitiones repeti sinit, neq; ullis precibus permiserit in proprio reddendo.

Deinde destruenti quidem, si tale aliquid assignauit in proprio nomen, quod omnibus insit. Inutile enim erit, quod non separatur ab aliquo. quod autem in propriis dicitur, separare oportet, quemadmodum & quæ in terminis. non igitur erit bene positum proprium. ut quia qui posuit sciẽtiæ proprium opinionem indissuasibilem à ratione vnum existens, tali aliquo vsus est in proprio (vno inquam) quod omnibus inest, non erit utique bene posi-

tum scientiæ propriū. A struenti autē, si nullo vsus est cōmuni, sed quod ab aliquo separat: nam erit bene positum secundum hoc propriū. Vt quia qui dixit animalis proprium animā habere, nullo vsus est cōmuni: erit secundum hoc bene positum propriū animalis, animā habere.

Locus à communi omnibus nomine impedit ueram propriū assignationem. Quemadmodum enim in definitionibus struendis genus differentiam sociam non admittet omnibus communem, sed quæ distinctionem speciei definiendæ à cæteris præcipiat: sic in proprijs assignandis proprium si simplex fuerit non debet esse omnibus cōmune. Si uero compositū, partes adiungendæ speciei distractionem, cuius propriū quæritur, à reliquis procurent, fiântq; notæ ad separandā speciem ab alijs, alioqui irritū producet. Hinc perperā scientiæ propriū dignoscitur suscipi ab aliquo, qui ponit esse opinionē unā existentē indissuabilem à ratione: quòd usus sit nomine unius, quod est omnibus commune & transcendens. nam unū cum ente cōspirat. Omne enim proprium munitum nomine uago, & nullam speciem determinante, congressu facile dissoluitur. at natura est proprii, ut dissepescat suo modo speciei quā amplectitur à speciebus. Facile itaq; concipitur, quā ualidus possit esse conatus ad proprii defensionē, qui omne cōmune nomen & omnibus cōueniēs à proprio arceat. nullo modo enim reformidabit teli id genus quo iugulabatur nuper assignatū propriū, sed immune fuerit ab huiusmodi iniurijs. quare animalis proprium securo certamine tuebitur, qui sustinet esse animam habere, quoniam nullo usus est cōmuni omnibus. proinde labem illam quæ alterum superius positū persequeretur, nō pertimescit. Neq; moueatur quispiam animam habere, non simpliciter esse proprium, quia (ut sæpe dictum est) propriū afferatur secundum quid.

Deinde destruenti quidem, si plura propria assignat eiusdem, non determinans quòd plura ponit. Non enim erit bene positū proprium. nam, quemadmodum nec in terminis oportet præter eam, quæ indicat substantiam, orationē adiungere quippiam plusculum: sic nec in proprijs præter eam, quæ facit proprium quod dictum est, orationem quicquā coassignandum. inutile enim fit eiusmodi. ut quia qui dixit proprium ignis, tenuissimū & leuissimum, plura assignauit propria (vtrunq; enim de so-

6
A communi nomine.

Io igne verum est dicere) non erit bene positū proprium ignis, corpus subtilissimum & leuissimum. A struenti vero, si non plura eiusdem propria assignauit. sed vnū. Erit enim secundum hoc bene positum propriū. vt quia qui dixit humidi proprium, corpus quod in omnem figurā ducitur, vnum assignauit proprium & non plura: erit secundum hoc bene positum humidi proprium.

7
Ab otioso. Locus ab otioso rationem admodum uirilem ad diruendum problema à proprio ministrat, quod pluribus priorum agminibus consistatur nullo plurium signo dato. Nam ut in definitionibus nihil admittendum finitores obseruant, præter orationem eam quæ substantiā omnem & ipsum quid est indicat, ne plus ipsa quam par sit acciperit: ut hæc statim consterneretur definitio hominis temerarie posita, animal rationale mortale, risibile, latos habens humeros, recte ambulans, duos habens pedes: quod præter orationem in substantiam abunde perficientem plura habeat otiose & futiliter dicta. Ita in proprijs conseruandis timendum erit à uanis & otiosis priorū coniunctionibus, quæ infirmam proprii positionem faciūt: cui nisi succurratur, occyssi-
me beneficio unius nominis simplex propriū significantis, uel orationis unum tantū proprium continentis, de medio tollitur. Proinde tanquam stricto ense iugulatur ignis proprium, tenuissimum & leuissimū, quod unum duorum otiosum sit & inutile. quare uel uanus diiudicabitur assertor illius, uel rudis & ignarus: quorum utrunq; abhorrebit quiuis studiosus proprii assertor. Qui enim certaret pro defensione taliū priorum plura profitetium, uel uani & contentiosi homines uidebuntur, uel ignorātes se plura adiunxisse propria, quibus prodāt suā infirmitatem necessarium est. nam plura in unum cogunt, quod ignari sint multitudinis collocatæ. Quare is tutior sustinebit certamen superiori dissentiens, qui unius rei unicum contendit proprium, uel qui signū daret plurium assignatorū, siue nomine, siue oratione enuntietur positum proprium: ut qui proprium humidi ponit, corpus in omnem figuram ductile, cum unum sit unius rei, nec eo plura complectamur, iustior fuerit opinio. Corpus autem in omnem figuram dicitur ductile, quod se præbet pro arbitrio tractātis in hanc figuram, uel illā ducendum. huius naturæ humidæ est cæra, quæ in uarias formas & figuras nutu tractantis disponitur. Ductilium rationem & naturam ex quarto sublimiū Aristotelis accipias exactiorem, nunc leuiter dicantur du-

Et illa, quorū superficies secundum partem simul in latitudinē & profunditatē eadem percussione transferri nata est: ut qui premit cærā, compressione & tactu in latitudinē & profunditatē simul extēditur.

Deinde destruētī quidē, si eodē vsus est cuius propriū assignauit, aut eorū quæ sunt illius aliquo. non enim erit bene positū propriū. nam discendi gratia assignatur propriū: idem autē eidem similiter ignotū est: id autem quod aliquid eorū est quæ sunt eius, posterius: nō igitur est notius. quare nō fit vt per hoc quisquam magis quippiam discat. vt quia qui dixit animalis propriū, substantiā cuius species est homo, aliquo vsus est eorū quæ sunt animalis: non erit bene positū proprium. Construētī autem, si neq; eodem, neque eorum quæ sunt ipsius aliquo vtitur. Erit enim bene secūdum hoc positū propriū. vt quia qui posuit animalis proprium, ex anima & corpore cōpositum esse, neq; eodem neq; eorū quæ sunt ipsius aliquo vsus est: erit utiq; bene secūdum hoc assignatū animalis propriū. Eodem autem modo & in alijs considerandum est, quæ nam non faciunt, aut faciunt notius.

Locus ab eodem, uel parte, oppugnabit bono iure proprium positū, quod idem fuerit subiecto, cuius desideratur propriū: uel idem ad propriū generationem uocauerit, uel partem illius subiecti. Cōuenit enim maxime ad subiecti cognitionem nanciscendam sedulo inuestigare proprium. non enim alio fine & proprium & terminū perquirimus, quo subducto hæc quassa & ut mortua abiiciūtur. At idē sibi ipsi est æque notū uel ignotum, neq; maius lumen supra suū diffundere potest. quare qui idem subiecto pro proprio illius adfert, non faciet adueniens subiectum coruscantius, ad quod tamen decumbere proprium bene assignatum oporteret: cui genuinum est splendorem subiecto semper immittere. Qui deniq; ensis propriū gladium esse fatetur, quod idem sit ens gladius, prorsus euertendum. Illud est idē omnino, quod re & ratione est idem. quare non afferas argumentum de risibili, quod sit idem homini. Nā non est numero idem propriūssime acceptum. similiter qui dixerit hominis proprium, animal homo, quod eodem sit usus, propulsatur. nec dissimiliter qui aliquid ipsius subiecti, ut partem sumit ad propriū assignationē, reijciatur. sæpe enim accidit, ut dum effugimus,

8

Ab eodem
uel parte.

unum periculum, in aliud grauius delabamur. unde parcemialis sententia, Decidit in scyllam cupiens uitare charybdim. nam cū idem sibi ipsi sit magis coniunctum & consentiēs quā toti pars, qui partem accipiunt subiecti ad proprium assignandum, illuc reuolui cogūtur. Pars nimirum subiecti est ipso posterior. sed quod posterius est non est notius, cum credantur posteriora per priora, non autem contra. quare fieri nō poterit ut quisquā magis cognoscat subiectū per talem proprii assignationē. hinc fit ut qui produxerit animalis propriū esse substantiam cuius homo est species, male afferat: cum homo pars sit animalis, & contineatur ut species, quæ est pars generis cuius proprium assignabatur. Fieri enim non potest, ut pars toto nobis clarior sit. Est quidem animal ut quoddam totum, homo uero ut pars, at ipsum totum notius est nobis quā pars, quare animal nobis notius est, ut totū consideratur, ipso homine: nā cōpositius. quod & in sensilibus uidere licet: accedentis enim procul animalis celerius totū corpus quā caput aut manum aut pedem aliquis comprehendit: eodem modo promptius est dicere, id quod paret eminus, animal esse quā hominem. Ita & in ijs quorū rationes quærimus, uniuersalia atq; communia manifestiora sunt nobis quā proxima & particularia. quippe quæ magis promiscua cōfusioraque sint quā particularia. Est enim penes intelligentiam totū quiddam, id quod est uniuersale: partes uero, ea quæ ab illo cōplectuntur. Ita & rhetores solent cōmunia capita prius proponere, mox de unoquoque genere singillatim disputare, atq; perpendere. Eodē pacto & in libris resolutorijs, is qui est de syllogismo tractatus præpositus est ei qui querit de demonstratiuo, dialectico, atq; sophistico. Cum enim à cōmuniōribus initium capimus, facilius cuiusuis rei quod proprium est atq; propinquum assequimur. sed & primæ quoq; imaginationes uisionēsque indiscussæ inexplanatæque habentur, & à cōmuniōribus simulachris impressæ inuectæque sensibus: quia secundum naturam generalitas specialitatem atcedit, atque præcurrit. Itaque pueri ab uniuersalibus inchoantes nullo discrimine uiros omnes arbitrātur & appellat patres, mulieres matres: utpote qui marē & fœminam perinde ac communia quædam uocabula prius intelligant, quā ea quæ parentum sunt propria. Hæc ex Themistij in primum Physicorum paraphrasi hausimus: quibus nostram hic firmaremus sententiam & Aristotelis dogmatibus, ni fallamur, consentientem in primo Physicorū: quæ arbitramur, quod sicut omne sensibile cōpositius & maius, est notius nobis ipsius compositi parte: sic in intellectualibus omne cōmunius no-

bis notius esse particulari. unde facilis concipitur cognitio huius quo dicebamus, animal notius esse homine nobis: ut animal pro toto quodā & integro cuius pars sit homo intelligatur. minus enim percipitur à nobis pars, q̄ totum. Simul patet obiectionis dilutio (cui alij manus dederunt, alij, quum nihil possent cōminisci, dicta Aristotelis non approbant) quæ est hæc, si animalis proprium male struatur hoc, substantia cuius species est homo, quia homo est ignotius: uel ergo ignotius nobis, uel natura erit: at homo nobis non est ignotius quàm animal, ut clarū est: igitur ignotius natura. At non est incommodum, ut id quod præter genus inseritur structuræ proprij, sit ignotius natura: imò tantū abest ut officiat, ut etiā plurimū iuuet: igitur non fuit hac ratione ablegandum tale assignatū proprium. stabit igitur pro parte cōstructiua firmior defensio proprij, quæ neq; per idē subiecto, neq; per aliquā illius partem, proprium reddet constructum. ut qui animalis proprium decertabit, compositum ex anima & corpore esse, quod nō sit usus parte aliqua ipsius subiecti posteriore. Quoniam animal compositum est ex anima & corpore, quæ ueræ animalis sunt partes, sed illæ nō sunt posteriores animali compactæ: nemo enim potest intelligere animal, quin simul intelligat compositum ex anima & corpore. quare partes posteriores non cognoscuntur uinctæ adinuicem, quàm totum animal, superiore uero exemplo animal intelligebatur non intellecto homine, quare pars illa erat posterior. hoc dixerim, ne quis in exemplum occurrat. Hac propemodum lance ueniunt libranda cōsimilia omnia, ut deprehendantur quæ propria assignata subiectorum perspicua non reddant illa, & quæ subiecta illuminent. Nam quæcumq; ad proprij acceptionem aduocata compingunt re subiecta proprium notius, tale est statuendum secundum claritatem bene assignatū. Quibus uero oppositum adhæsit, simpliciter ruinam minantur.

Destruenti quidem, si aliquo usus est aut opposito, aut omnino simul natura, aut posteriore aliquo. Non enim erit bene positum proprium. nam oppositum simul natura. quod autem simul natura, & posterius, non efficit notius. ut quia qui dixit boni proprium, quod malo maxime opponitur, opposito est usus boni, nō erit profecto bene assignatum boni propriū. Construētī autem, si nullo usus est neq; opposito, neq; omnino simul natura, neque posteriore. Erit enim secundum hoc bene assignatū

propriū. vt quia qui posuit disciplinæ propriū, opinio-
nem maxime facientem fidem, nullo vsus est neq; oppo-
sito, neq; omnino simul natura, neque posteriore, erit se-
cundum hoc bene positum disciplinæ propriū.

9
Ab opposi-
tis vel simul
natura vel
posteriore.

Locus ab oppositis, uel simul natura, uel posteriore, multis telis ob-
ruit proprij problema per aliquod horū assignati. In primis per oppo-
sitū subiecto tradi non conuenit, q̄ opposita sint simul natura: at quæ
sunt simul natura, sunt æque nota uel ignota. quare per oppositum si
ppriū assignetur quod clarius sit subiecto, destruetur. ut qui dixerit bo-
ni propriū, quod malo opponitur, euertet colluctator dictū, q̄ malū quo
usus est assertor, sit oppositū subiecto, cuius propriū affertur. Eodem
iure per posterius asserta proprij defensio confoditur. nā quod poste-
rius est natura, est ignotius, cū idē sit natura prius & notius: at igno-
tius non reddit notius, id cuius diceretur propriū: propriū autē na-
tura notius esse debet ipsa specie, quare & prius. nam prius id dici-
tur secundum cognitionem. Neq; inferas hinc, est prius secundum co-
gnitionem ipsa specie, igitur est ipsa specie prius secundum rem. ut ho-
minis propriū reprobatur esse canescere, uel grammaticum esse, q̄
hæc posteriora sint. similiter quæ per simul omnino natura instituun-
tur propria, deorsum mittuntur. nam quæ simul sunt omnino natu-
ra, æque nota: idem enim est prius & notius natura, & posterius na-
tura & ignotius: igitur quæ simul sunt natura, & æque nota. ut qui
posuerit hominis propriū animal bruto perfectius, quod usus sit om-
nino simul natura, destruitur positio proprij. Hoc exēplum inserui ex
sententia communi quæ defendit animal in hominem & brutum diui-
di sana partitione: quare & omnino simul natura esse hæc, quæ con-
tradiuiduntur. Nam ingeniose & pulchre omnino natura adiunctum
est, ut complecterentur ea quæ ex aduerso diuiduntur. ut sunt spe-
cies eiusdem generis in quas per differentias diuiditur. Quoniam qua-
druplex est oppositio, de omnibus ueniet intelligendum quod præcipi-
tur, nisi excluderimus relatiua: quæ ut in definitionibus reddendis mu-
tatis officijs se iuuant, neq; aliorum operam probarent officiosam, pro-
fecto tam insano amore sese inuicem profsequuntur, ut reliqua contem-
ptui habeant: Ita mihi uidetur non alienum, ut propria uicario mune-
re relatiuorum restituantur, & patris ponatur propriū instruere
filiū, uel quippiam aliud simile. Munimentis constructionem proprij
solidioribus obstruet, qui oppositum subiecto & omnino simul natura
& posteriora a coniunctione proprij propulsauerit. quare constanti

fide defendi potest secundum hoc disciplinæ proprium, opinio maxime faciens fidem, quod propugnaculis non sit munitum quæ profigarunt proprium cōsociatum oppositis, uel omnino simul natura, uel posteriore, notione. Neq; hoc Porphyrij sententiæ reclamatur, qui propriū uult post fieri in specie. nam generatione intelligit speciem priorem proprio esse, non notione secundum naturam: cum remeare uelit.

Deinde destruenti quidem, si non quod semper sequitur proprium assignauit, sed id quod fit quandoque non proprium. Non enim erit bene pronuntiatū proprium. nam neque in quo deprehendimus inesse ipsum, de hoc & nomen ex necessitate verificatur: neque in quo deprehenditur non inesse, de hoc ex necessitate nō dicitur nomen: quare non erit bene positum proprium. Amplius autem adhæc, neque quando quisquam assignauerit proprium, erit manifestum si inest, siquidem tale est, ut quod ipsum relinquere possit: non igitur erit clarum esse proprium. ut quia qui posuit animalis propriū moueri quandoque, uel stare, tale assignauit proprium quod fit quandoque non proprium, nequaquam erit bene positum proprium. Austruenti uero, si quod ex necessitate semper est, proprium assignauit. Erit enim bene positum secundum hoc propriū. ut quia qui posuit uirtutis proprium, quod habentem facit studiosum, quod semper sequitur, propriū assignauit, erit utique secundum hoc bene assignatum uirtutis proprium.

Hoc loco ab accidente educitur magna rationum copia tanquam è castris exercitus impetum faciens in sustinentes propriij compositionē accidentariam, quod proprium cum subiecto cuius paratur amicitiam inuenerit coniunctissimam, si probe fuerit assignatum. at ceddō quod fœdus ferire potest perpetuum accidens cum subiecto, cui modo coniungitur, modo uero ab eodem distungi consueuit? proinde iure leuitatis insimulandos uenire nemo diffitebitur, qui rem temporanee subiecto adhærentem propriū leuiter defensant. Verum id quod semper illi necessitudinis uinculo adsociatum est, nullis uiribus parum prouidi negligunt. Accidens enim proxime peregrinos imitatur & uiatores, quæ modo hanc sedem incolunt, modo illam inhabitant, interdum hac exclu-

10
Ab acciden-
te.

duntur, nūc aliā requirunt: sic domū tenent, ut nullus agnoscere possit bona fide & tuta, quem locum hospitio interceperint. Sic accidens nullum sibi certum præscribit domiciliū, quo residere ualeat & recumbere, quia commune quidem est multis, sed quibus iusiurandum uenerum & græcam pollicitationem præstat omnibus. quare si alicui adhæsisse tale proprium conuincatur, eidem non fuerit subiectum necesse conuenire: & contra, cui subiectum fauebit, non oportebit & ipsum suffragari: quorum utrunque summe inter proprium uerum & speciem desideratur. Adhæc nō erit manifestū an insit subiecto, si taliter adueniat subiecto ut ipsum relinquere possit. quare obscurum est tale proprium assignatum. Cæterum proprium alicui adueniens uult promulgatum iri subiectum, cui tuto se credat & amice, ut omnes percipiant eam esse beneuolentiam proprii cum subiecto, ut nunquā ab eo separari studeat, quod signo manifestissimo semper indicare consuevit. Nam cuiuscumq; subiectum seu nomen ascribetur, eidem euestigio accurrere præsto est proprium, & contra. q̄ si quid molestum fuerit proprio, & nomini infestum est, & contra. Hæc uerò naturæ similitudinem non feret accidentis cū subiecto plurima dissimilitudo. quare hoc genere certaminis euertendum uenit proprium assignatum, quod neq; manifestet cognationem esse ullam propagatam cum subiecto, neq; eidem securitatem pollicetur: sed uariam ancipitemq; præferat naturam. qui itaq; pertinaciter sustineret animalis proprium esse moueri aliquando, uel quiescere tali hora, uel ambulare in tali loco, præuentus à congreidente rationibus superioribus profligabitur, quoniā rem momentaneam & adulterinam subiecto perpetuam & germanam admo uerit. Quapropter honestiore decernunt ratione proprii ædificationē, qui tentant adhibere proprium subiecto arctissime copulatum. tantum quidem est proprii uinculū cum subiecto, ut nec Alexander securi Tenedia dissoluere queat. hinc qui tradidit uirtutis propriū, quod facit studiosum habentē, ad hunc modū recte uidetur statuisse. nepe plusquā Gordiana retinetur coniunctione. si enim sit uirtus, & quod habentē facit studiosum consistit, & contra. quare quod nunquā subiectum relinquit, sed charissimum habet, bene secundum hoc assignatur proprium.

Deinde destruenti quidem, si quod nunc proprium est assignans, non determinauerit quòd nūc proprium assignat. Non enim erit bene positum proprium. primum quidem, quia quod præter consuetudinem fit omne, sem-

per determinatione indiget. solent autem vt plurimum omnes, quod semper sequitur, proprium assignare. Secundo autem, quia immanifestus est qui non determinauerit, si quod nunc est proprium voluerit ponere. non igitur danda est obiurgationis occasio. vt quia qui posuit alicuius hominis proprium sedere cum aliquo homine, quod nunc proprium est posuit, nō bene proprium assignabit, si non determinans dixerit quōd nunc. Construenti autem, si nunc proprium assignans determinando posuit, quōd nunc proprium posuerit. Erit enim bene positum secundum hoc propriū. vt quia qui dixit cuiusdam hominis proprium ambulare nūc alicubi, distinguēs posuit hoc bene erit positum proprium.

Loci ab ipso nunc machinas nullo prætermissio oppugnationis genere ad proprii depopulationem experimur, quod fit per ea quæ nunc insunt & nō semper subiecto: cuius tāto superbit fastu libertatis, ut ne præsidia quidē & confæderationes dignetur admittere ad impetus sustinendos. Verum infirmum nimis nullisque uestitum circumstantijs, neque stabilitū armis, pugnam non detrectat. quare non mirū est si hostili manu mox intereat. Primū multiplici existente proprio, id propriū quod nunc, uel aliquando circumfertur, inconuetū est & nullius propemodum nominis, seu parum receptæ authoritatis, quare tubicinibus operæpretium esset quāplurimis, qui nomē omnibus promulgarent obscurum, pro cuius defensione certamen ferre reformidarent singuli, parūmq; essent solliciti, si qui habeantur fautores ab eo deficere, ut in calūnias proprii transire possint, quod multæ celebritatis decantetur, omnibus sit plurimū & frequēs, subiecto præsidium nunq̄ denegās, cui non cōtingit ut quodā euētū copuletur, sed perpetuo amore. Præterea rebus omnino confusis & ignotis, si modus non imponatur certus, in quid pugnandum erit nemo agnoscet, neque quo genere certaminis ad uictoriam adipiscendam hostem impetere liceat, manifestum sit: quare præscribenda defensæ positionis conditio ueniet, ne occasionem minisret obiurgationis uaga quædam positio, uel ansam uictoriæ maiorem differenti præbeat legitima lege & communi. ut qui dolose uel inscite sustinet positionē ieiunā. quo male audit, qui nulla indicta proprii defensione hominis proprium protegit, sedere cum aliquo homine. nā quod proprium est nunc, assignat prætextu inconueto. at quod

II

Ab ipso nūc

à communi consuetudine exorbitat, tale apertis buccis denuntiandum uenit, alioqui nomen suum & potestatem tueri populariter non poterit. Superior igitur longe euadet, qui proprii aliquando defensionē ferens signa pro foribus adiungit, quibus proprium aliquando defendere se ostendet, & huius solius partes protegere, aliorum autem propriorum non curare salutem. Quapropter probius tuetur alicuius hominis proprium esse secundum hoc, ambulare nunc in aliquo loco, & cui proprio inferuiret defendendo, notis quibusdam demonstrauit. Nam in aliquo loco, & nunc seu aliquando, circumstantiæ appellantur: quibus uestiuit proprii dignitatem aliquando, & secundum tempus dicti, ne quis audaciuscule tentet alia ratione tumultu in eum excitare, utpote qui in alios proprii modos consueuit moliri, quum suis humeris cuiusuis proprii pondus sufferre non curauerit.

Deinde destruēti quidem, si tale assignauit proprium, quod manifestum non est aliter inesse quam sensu. Non enim erit bene positum proprium. nam omne sensibile extra sensum factum, immanifestum est. latens enim est si adhuc inest: eo quod sensu solum cognoscitur. erit autem verum hoc in ijs quæ non ex necessitate semper consequuntur. ut quia qui posuit solis proprium, astrum quod fertur super terram lucidissimum, tali usus est in proprio (super terram inquam ferri) quod sensu cognoscitur: nō utiq; erit bene solis assignatum proprium. immanifestū enim erit cum occidet sol, si adhuc feratur super terrā: eo quod nos tunc deseruimus sensum. Construēti vero, si tale assignauit propriū, quod non sensu est manifestū: aut cum sit sensibile, ex necessitate inesse manifestum est. Erit enim secundum hoc bene positum propriū. ut quia qui posuit superficiē proprium quod primum coloratū est, sensibili quidē aliquo usus est (coloratum esse inquam) tali quidem quod manifestū est inesse semper: erit secundum hoc bene assignatum superficiē proprium.

12
▲ sensibili,

Locus à sensibili retrahit ab assignatione proprii faciēda defensores secundum sensibile, cuius cognitio non aliter manifesta oritur quā sensuum adminiculo. sensile enim nunquam actu habetur, nisi quādo sensum ferit, & commouet ad rerum comprehensiones. Quare si sen-

file extra sensum fuerit & sepositum à sensu non producendo cognitionē sui, nō amplius sensibile actu permanet, quod prius efferebat cognitionē. si constituitur igitur proprium sensibile, destruetur, quod solo sensu deprehenditur, cuius facilis est depositio: obcæcata enim sensibilis cognitione, neq; notum fit facultate sensuum, neque intellectu, qd sensibile sit statutū: igitur inmanifestum est prorsus & obscurum, si tale proprium subiecto insit. quare quod solo sensu perceptibile decernatur proprium, destruendum, neq; habens necessariam cum subiecto affinitatem: ut qui solis statuit proprium, astrum mobile super terram lucidissimum, quemadmodū Plato, qui in Theæteto solem esse astrū quod luce præcellit omnibus quæ circa terram uoluūtur definiuit, quod solo sensu comprehensibile propriū sit positū, euertitur. Nam sole inclinato incertum fit & inmanifestum sensibus, an adhuc sol super terrā circumducatur, & soli tale propriū insit: quoniā dum sub terrā uoluitur, omnis perditur sensus cognitio, quæ de subiecti proprio suscepta fuerat. Minus itaq; grauiter peccare putabuntur qui propriū sensibile floccipendūt, uerū proprium constituūt non sensu manifestū solum: ut hominis, disciplinæ susceptiuum probe statuitur proprium secundum hoc. Aut si sensibile sit, necessitatem tamē arctissimam retinebit cū subiecto. Ad hunc ordinem reuocabitur ut firma proprii compositio, quæ superficiē traditur, primū coloratum esse. nam sensibile est hoc proprium: sed quia semper inest actu coloratum superficiē, & notum non potest non esse sensu, bene hoc modo dicitur positum. Primum quidem superficies est colorata, & dein corpus per superficiem.

Deinde destruenti quidem, si terminum ut proprium assignauit. Non enim erit bene positū propriū. nam non oportet indicare quod quid est esse, propriū. ut quia qui dixit hominis propriū animal gressibile bipes, quod quid est esse significans assignauit hominis propriū, non utiq; erit hoc hominis proprium bene assignatum. Construēti autem, si quod conuersim quidem prædicatur assignauit proprium, non autem quod quid est esse indicās. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. ut quia qui posuit hominis proprium, animal mansuetum natura, quod cōuersim quidem prædicatur assignauit propriū, non quod quid esse quidem indicans, erit secundum hoc bene assignatum proprium hominis.

13
A termino.

E loco à termino haurietur argumentum in dispendiū propriū assignati per terminum & definitionē. Non enim tāta uirtus est propriū, quæ possit substantiam aperire & eiusdem altissimos penetrare aditus, seu quod quid est esse significare. uni enim soli definitioni hoc munus legatū est, quod nunquā abs quouis præripi patietur. proinde congruū fuerit proprio non in aliorū fines erumpere, quod ipsum se continere suis limitibus oporteat, ne egressum temere ridiculū pariat negotium: quod faciunt qui hominis propriū animal gressibile bipes defendunt. nam hi proprio definitionis partes contribuunt prodigē, & fortasse inuidia in definitionē accēsi eiusdē nomē denigrare & summā dignitatem incūbunt uigilantissime, qui proprium tātopere efferre conantur, ut uelint ad definitionis summū apicem euehere, definitionem autē pessundare & quasi pedibus conculcare moliantur. quorum improbitatem nullis sæculis auditam nemo probus feret, patietur, tolerabit. Faceessant igitur moriones illi qui propriū definitionē facere non erubescunt legibus fractis omnibus, & qui ius alienum diripiunt. Adblādiendum sanē fuerit ijs, qui pro libertate cuiusque uindictanda saluis quidem semper legum claustris diligentem nauant operā. quod officiosissime ijs facere conantur iuste propriū constituētēs, quod conuersim de re prædicatur, & non quid est esse indicat. ut hominis propriū animal mansuetū natura cōstituens, nihil detrahit definitioni, nec alicui iniuriam facit: sed quæ tantū sunt propriū humanissime illi contribuit ad propriū tranquillitatē fouendam. Nec ipsum capit à definitione, quid est esse, quoniam id est peculiare definitionis bonum, cū qua amicitiam perpetuam componere, compositam retinere omnibus modis desiderat.

Deinde destruenti quidem, si nō quippiam in quid est, ponens, assignauit proprium. Oportet enim in proprijs quemadmodum in terminis, primū assignari genus: deinde sic iam addere reliqua, & separare. quare quod non hoc modo positum est proprium, non erit bene assignatum. ut quia qui dixit animalis proprium animam habere, non posuit quicquam in quo ut in quid est animal, nō erit bene positum animalis proprium. Construenti uero, si quis quippiam quod in quid est ponens, eius cuius proprium assignauit, reliqua adiungit. Erit enim secundum hoc bene assignatum proprium. ut quia qui posuit homi

nis propriū animal disciplinæ susceptibile, quippiā quod in quid est ponens, assignauit proprium, erit secundum hoc bene positum proprium hominis. Vtrum igitur bene an non bene assignetur proprium, per hæc inspiciendū.

Loco à genere adhortantur singuli ad suorum custodiam & propriam bonorum cōseruationem, est enim uirilis (mirū dictū) uirtus in suis obseruandis & protegendis posita. Dānandi sunt itaq; ij qui remissiores, & suorum contemptores, propria nō custodiunt, & iniquitatis accusari iure promerentur. hoc crimen non effugiūt proprij assignationem defendentes, qui primū genus in proprio nullum collocant. ij enim præcipuā proprij partem non obseruāt, qui quæ proprio debentur prætermittunt, uel inique simulant genus proprio ascribendū. Nam propriū iure quodā hæreditario cū definitione ad sui defensionem tanquam præsidium tutissimum genus deponit, reliqua bona & diuitias generi aggerabit, quibus sua ab alienis disiungat. propriæ quidem sunt uniuscuiusque possessiones & natiuæ proprietates. quare æqui fuerit singulis tribuere singulas, ut abinuicē distinctio iusta inueniatur, nec omnia misceātur indecenter. Ad iudicandum itaque uenit tanquam aliena supprimens, uel clandestine rapiens, qui propriū animalis exhibet, animam habere. Nam in omni proprij cōpositione oportet primum adiungere genus, neq; illud subtrahendum est: qui autem surripiunt genus, nec aliud in quid prædicatiuū primo constituūt, iniquas censeant leges mandantq; quod aliena supprimāt, & præstantiora auferāt, uel per improbitatem contēnant. Maiori fauore eos excipiūt decreta, qui rem omnibus legibus consentientē defendunt. quare iuuāndus est omni gratia, qui proprium affert suis hæreditatibus locupletatum, & primis possessionibus abunde ditatū, ut genere, & reliquis generi adiungendis, & cui sit nota legū obseruatio, harum obsequiosum sese pollicetur, ut qui hominis proprium animal disciplinæ susceptivum constituerit. nam unicuiq; sua tribuit cumulatissime. etenim proprio hominis, genus primum, & reliqua omnia, quibus late incedere queat, sine aliorum dispendio à se distractorum confert. Conuincuntur ergo illi hoc loco, qui astruūt propriū non aliter q̄ accidens intellectu separari posse, quiq; reparant accidentis definitionem adiunctione huius, & non conuersim de re prædicatur. ut sit hæc accidentis definitio, quod contingit inesse & non inesse, & non conuersim de re prædicatur, ne cogantur fateri proprium esse accidens, cum utrunq; dicāt separari intellectu. Nam oportet ex hoc loco in proprij cōposi-

I 4
A genere.

An possit
separari
proprium.

tione collocare genus, ut in definitionibus custoditur, cui cætera adiungantur ad distinctionem aliorum. quare si genus non possit separari (quia est de ratione speciei) intellectu, & propriū non cōsistat, neque disiungatur sine generis consortio, sequitur proprium non separari. similiter oportet proprium conuerti cum specie, quare destruere speciem. nam si non sit proprium, neq; species: ut si non sit risibile, neque homo. separaretur igitur risibile intellectu, si fieri possit, nō amplius subsistet homo: quia si unū corrumpatur, & reliquum: igitur si unum separaretur, & alterum. Adhæc sic separatam ab homine intellectu, non conuenit homini: at homo homini congruit, quia adhuc manebit, igitur non de quo prædicatur species, & proprium. similiter si intellectus disiunxerit ab homine risibile, postquam id non est arctissime conexum homini, alteri conuenire intelligere poterit, & sic non remaneat cum specie. Insuper separatam risibile intellectu & proprium, uel alicui conuenire intelligitur uel non. in primis habet semper inesse alicui proprium, ut ex definitione clarescit: quod si in sit eidem semper, nō separatur igitur: si alteri, non cōuertitur: si nulli, non est proprium. Adhæc quidnam est quæso quod intelligitur risibile, an homo, an aliud? non aliud, q̄ homo & risibile idem. quare sit aliud ab homine intelligas & à risibili fuerit necesse. Non hominē concipis, qui ab homine seiunxeris. quare si neq; hominem intelligas per risibile, neq; aliud ab homine, nihil intelligas fuerit opus. Vides ad quas angustias cogaris. sed age, parco taliter opinantium confutationi, quum eos abesse à nostra disputatione uideam, quos uellem ipsoismet interesse si fieri posset, statim opinor cogeret̄ur recantare. Nunc ad insequutum leporem reuertor. Ex quibus igitur locis liquidum euadere possit problema proprii recte assignari uel non, notum sit: quoniam per hos quatuordecim & constructionem & destructionem perpendere licet. Verum in hoc laborat̄ quod loci destructiui simpliciter & omnino destruunt problema proprii. Constructiui uerò secundum partem, quod semper annectitur & dicitur secundum hoc: nec oportet simpliciter & omnino propriū cōstrui, quod contingat defectu unius necessarij destrui, non autē aduentu illius cōstruetur. quoniā pluribus opus est, ut perfectū detur p̄ priū.

Vtrum uero propriū est omnino quod dictū est, an nō propriū, ex his considerandū. Nam simpliciter cōstruentes proprium quod bene positum est, loci iisdem erunt ijs qui proprium omnino faciunt. in illis igitur dicentur.

Discuffis locis per quos libere euagari oporteat ad uenādū quodā modo secundā partē huius propriū prædam conuenientē uel disconuenientē, quærendi sunt & alij loci, quibus deprehenditur & cōtinebitur tanquam lustris recta & simpliciter propriū inhabitatio. Nam duplici existente à proprio problemate, unum est quo bene assignatum: alterū quo simpliciter bene constructum proprium perpenditur. Quæ admodum prioris patefactæ sunt fores ad congressum facilem in problema propriū, quod bene, non autem simpliciter bene & omnino dicitur: sic expedit posterioris non minori cura referentur penetrabilia, cuius usus & dignitas eo præstantior esse conspicitur, quo potentia & uirtus esse maior intelligitur. Nam si proprium simpliciter bene inferat suo imperio proprium bene, & proprium omnino & simpliciter tanquam optimates decernunt de constitutione propriū bene posita. Loci nanq; qui simpliciter & proprie demonstrant q; propriū subiecti bene assignatur, idem sunt construētibus omnino quod proprium est assignatum: in illis igitur similiter dicentur. nam ambo se inferunt. Dicamus ergo de proprio simpliciter & proprie bene assignato, quia nō oportet arbitrari, ex eo quod æquiuocum non sit, simpliciter esse proprium uel obscurius non sit, uel conuertatur, quemadmodum locis superioribus contendebatur. nam illi non monstrabant simpliciter proprium & omnino, sed secundum partem.

Locis sequē
tibus discus
siet propriū
simpliciter.

Primum ergo destruēti quidē inspiciendum ad vnū quodq; eorū cuius proprium assignauit. Vt si nulli inest, aut si non secundū hoc quidem verificatur, aut si nō est propriū cuiusq; eorum secundum illud cuius proprium assignauit. nō enim erit proprium, quod positum est esse proprium. ut quia de geometra non verificatur indeceptibilem esse ab oratione (nam decipitur geometer cum pseudographiam facit) non erit hoc scientis proprium, non decipi ab oratione. Construēti autē, si de omni verificatur: & secundū hoc verificatur. Erit enim proprium, quod positum est esse proprium. ut quia animal disciplinæ susceptiuum de omni homine verificatur & quā homo, erit hominis propriū animal disciplinæ susceptiuū. Est autē locus hic destruēti quidem, si non de quo nomen, & oratio verificatur: & si nō de quo oratio, & nomē

verificatur. Construenti autē, si de quo nomen, & oratio: & si de quo oratio, & nomē prædicatur. Deinde destruēti quidem, si non de quo oratio, & nomen verificatur: & si non de quo nomen, & oratio verificatur. Non enim erit proprium, quod positum est esse propriū. vt quia animal quidem disciplinæ susceptiuum verificatur de deo, homo autem nō prædicatur: non erit hominis propriū, animal disciplinæ susceptiuum. Construenti autem, si de quo oratio, & nomen prædicatur: & si de quo nomen, & ratio prædicatur. Erit enim proprium, quod positum est esse proprium. vt quia de quo animā habere, verificatur animal: & de quo animal, animam habere: erit animā habere animalis proprium.

Prim^o à cō
uersione.

Locus à conuersione destruit proprium simpliciter bene assignatū. Si enim assignetur proprium alicuius subiecti quod non insit subiecto, uel non soli subiecto, uel omni non insit, destruendum est: quòd oporteat proprium illi inesse cuius est proprium, & soli, & omni. ut qui sustinet proprium geometræ, nō decipi à falsa descriptione, ex eo q̄ nulli geometræ conueniat non decipi oratione, reprobatur. Omnis enim geometer falsa descriptione falli potest. quare proprium non est scientis & geometræ non posse decipi, quòd propriū detineatur arctissime à suo subiecto. Eodem modo reijciuntur hominis proprium posse ambulare dicentes, eo quòd soli homini non conueniat, sed brutis communicetur. Nam quod dixit, ὅ δ' ἐ μὴ κατὰ τοῦτο ἀληθεύεται, id est, si autem non secundum hoc uerificetur, pro eo accepit, si non soli insit subiecto, sed & alijs speciebus & subiectis. Tertio refelluntur, qui defendunt hominis propriū sentire: quòd non cuius sit coniunctū & peculiare, ut homo est, sed ut animal. nō enim omnis homo, ut homo, sentit: sed ut animal. Proprium omnibus quorum est proprium, & solis se exhibet tractandū, omniāq; amore eodem cōplectitur. nam idem est, si nō est proprium cuiusq; eorum secundum illud cuius est proprium, & si non est proprium secundum se. Hoc loco acri ætò & plusquam satyrico insperguntur arrogantis siticulosiores, & sui impendio admiratores, quique alienissima & nulla ratione competentia, uel communia & omnibus exposita, uel tenuiter admodum & partim conuenientia, sua deierant & propria faciunt. Planè quidem mendaces & uani notantur, qui quæ non possident, uel cōmunia alijs, uel partim possi-

dent, sua prædicabūt & propria. quare studendum est ex proprij decantatione, decumbere in propriorum iactabundos. utrum quæ propria pollicentur possideant, an non, rimari in primis fuerit opus: dein, si possidere certū sit, utrū & cæteri eadē occupent & cōmunia fiant, an non. Si non sint cōmunia, rursus utrū omnibus eadem possessio respondeat alijs, uel aliqua portio quibusdam. quo diligenti examine licebit deprehendere propria sint, an contra, quæ possidere gloriabantur. Non alio artificio q̄ proprium speculamur, cuius constructionē facimus, si de omni uerificetur & secundum hoc, id est soli. ut risibile hominis propriū colligimus, quod de omni homine uerificetur, & ut homo est, quod est, de omni homine uerificatur, & solis hominibus inest. Hunc locum uniuersalem à conuersione quem in exemplorum inspectione proposuerat tam constructiuum quàm destructiuū, in duas formas transfert, quibus cōuersionem subiecti & proprij consequamur. Prior autem ad destructionem proprij non conuertibilis: quæ desumetur à dissidio & proprij & subiecti. Si enim de aliquo proprium & oratio descriptiua dicatur, & de nullo eodem, uel non omni, subiectū cuius sit propriū uerificatur: uel contra, si subiectum & nomen de aliquo uerificatur, nulli autem insit, ueb non omni proprium: destruendum erit proprium, quod construendo oporteat, de quo nomē prædicatur, & proprium seu orationem uerificari, & contra. quare qui fecerit hominis proprium grammaticū esse, quod assignauerit propriū, ob id quod nulli insit, uel non omni de quo prædicatur subiectum, destruendum. nam homo de omni homine dicitur, at grammaticum esse de omni homine nō uerificatur. de geometra dictum est, cuius propriū si assignetur, indeceptibilem ab oratione esse, quod nulli conueniat, destruitur. utrouis modo igitur fiat, siue propriū nulli insit cui species, uel non omni: siue species nulli insit cui proprium, uel non omni: destruenda erit omnis assertio, q̄ oporteat cōuerti & eisdē inesse utrūq̄. sed quæ dissidēt inter se, & eisdē omnibus non conueniūt, conuertuntur minime, igitur à proprietate talia semouēda sunt. Posterior forma hauritur à superiore: quæ destruit proprium esse conuertibile. Si enim de pluribus uerificetur propriū q̄ species subiecta, uel contra species de pluribus q̄ propriū, destruendū est esse conuertibilia, quare & propriū. ut hominis, nō erit bene assignatu propriū, animal disciplinæ susceptiuū, q̄ de pluribus prædicatur q̄ homo. nam homo solū de hominibus, at animal susceptiuum disciplinæ de deo prædicatur. & id dictū sit exempli gratia, nā id non sequimur christianæ religionis affectu. sed id

Diuisio superioris in duas formas quarū prior à uarietate

Posterior forma à superiore.

existimarunt antiqui diuina nescientes mysteria. Aliud si uelis exēplum
 desume in quo proprium pluribus cōueniat quā species subiecta. nā
 exempla magis ex suppositione efferuntur quā simpliciter dicatur,
 quare uim non fecero seriā in exemplis. Constructur autem proprium
 si non de pluribus prædicetur quā species, uel contra species non sit
 superior proprio: ut animalis proprium ratū erit aniūan habere, seu
 si maui corpus animam habens. nam, ut id non prætermittam, in cō-
 plexis proprijs semper opus fuerit genere, uel quopiam illius munus
 subeunte. Recurrūt enim animal & corpus habens animam, neq; unū
 aliud superat. Mirabitur quispiam an plantæ animalia dicatur, quibus
 tantum conuenit animam habere uegetatiuā. Huic respondet Galenus
 de substantia facultatum naturalium. stirpes, inquit, in se motus prin-
 cipium tum idoneorum, tum alienorum sensum habere ueritati consen-
 taneum est. qui enim fieri potest, ut quale sit idoneum, quale etiam alie-
 num antea cognoscas aperte, quā illius attractionem, huius segregā-
 tionem ac propulsionem statueris? cognoscere siquidem sentiendi fa-
 cultatis officiu esse uidetur. quare cum Plato aliud sensus genus in plā-
 tis inesse clare dixit, auditores dignoscendi conuenientia facultate ab
 alienis intelligūt. Nam plantæ habent eorum discretionem, quæ iuuat,
 quæ offendunt, & quæ similes proximōsq; ipsis affectus obtinent, re-
 liquarum agnitionu sensus anima naturalis est expers. Attrahit ad se,
 attracta retinet, digerit, & transmutat in idoneum substantiæ nutri-
 mentum. sunt & alij qui dicant animam habere non conuenire plan-
 tis, etsi animatæ sint, quod anima dicat consensum sensuū & harmo-
 niam. in qua opinione uolunt fuisse Asclepiadem medicum & eius asti-
 pulatores, quorum fortasse sententiam est sequutus Aristo. ut dicunt,
 tu autē sequere quod uidebitur tibi. Laurentius tamen Valensis Ari-
 stotelē redarguit, q̄ plātas animalia appellat in libris (ut inquit) de ge-
 neratione animalū his rationibus, An quia ἀπὸ τῆς ζῆν, id est à uiuē-
 do ζῶον dicitur & nō ab anima? Insuper nemo, inquit, plātas animalia
 uocauit ante eum. Deinde non quod uideatur uiuere, appellandæ sunt
 animalia: sed econtrario, quia animalia non sunt, ideo nec uiuere erūt
 dicendæ. Postremo quod nihil animi habēt. Hæ igitur rationes, si quid
 fidei Laurētio tribuatur, Aristotelē appellasse plantas animalia indi-
 cant. An emētiatur textū non dixerim, sed tantū alijs libros reuoluē-
 dos permittimus. Hoc enim legimus, Βελτιον ἢ ψυχὴ μὲν σώματος,
 ὅτι δ' ἐμψυχον τὸ ἀψυχόν, ὁ δὲ τὴν ψυχὴν μὲν εἶναι, τὸ μὴ εἶναι,
 καὶ ὅτι ζῆν τὸ μὴ ζῆν. ὁ δὲ ταύτας τὰς αἰτίας γίνεσθαι ζῶον ἐστὶν.

Sint ne plā-
 te animalia

id est, melior autem anima corpore, animatum inanimato propter animam: & esse non esse, & uiuere non uiuere. propter tales causas generatio est animalium. & paulo post ibidem, κατὰ τὸ μετέχει τὸ θῆλειος ὅ τὸ ἀρσένειος ζῷον, ἰὸ ἢ τὰ φυτὰ μετέχει ζωῆς, κατὰ τὴν αἰδοθισίαν τὸ τῶν ζῶων ἐστὶ γένος. hoc est, secundum participationem foeminae & maris uiuunt, quare & plantae participes sunt uitae: at secundum sensum animalium est genus. quibus dictis monstratur discrimen inter plātas & animalia, etsi uiuant utraque. Caeterum illud idem amplius doceamus ex octauo de animalium historia, in quibus sua prodit manifeste sententiam Aristoteles. οὕτω δ' ἐκ τῶν ἀψύχων εἰς τὰ ζῷα μεταβαίνει κατὰ μικρὸν ἢ φύσιν, ὥστε τῆσιν συνεχῆς λανθάνειν τὸ μεθόριον αὐτῶν, καὶ τὸ μέσον ποτέρων ἐστὶ μετὰ γὰρ τὸ τῶν ἀψύχων γένος ἔστι τῶν φυτῶν πρῶτόν ἐστι, ἢ τῶν ἑτεροῦ πρὸς ἑτεροῦ διαφορὰ, τῶ μάλλον δ' οὐκ ἐστὶ μετέχει ζωῆς. ὁμοίως ἢ ἔστι γένος πρὸς μὴν τὰλλα σώματα φαίνεται σχεδὸν ὡς περ ἑμφύχων, πρὸς ἢ τὸ ζῷον, ἀψύχων: ἢ δ' ἐ μεταβάσις ἐκ αὐτῶν εἰς τὰ ζῷα συνεχῆς ἐστίν. id est, sic autē ex inanimatis ad animalia transit paulatim natura, ut continuatione lateat confinium ipsorum, & medium utrorūq; sit. nam post inanimatorum genus primum est plantarum, & earū altera ab altera differt, eo quod magis uitae participes uidetur. uniuersum uero genus ad alia quaedam corpora uidetur quasi animatum, ad animal uero inanimatum: permutatio autem illa ex ipsis ad animalia, cōtinua est. Quare habetur quod plāta respectu eorū quae non uiuunt, animal uidetur: respectu animalium, inanimis. Neque me latet quibusdam uisum fuisse aliter quā à nobis dictum est, qui fecimus horū locorum magnam distinctionem, illi uero nullam agnouerūt. Nam si illi duo loci inter se nulla alia ex parte differant quā quod alter declaratio est, altero non erat opus. Insuper quae maior unius supra alterū declaratio, cum (ut uolunt) uerborū est eadem sententia & phrasis, quā utriusq; asserunt? Dicet fortasse uni adiungi exempla, non autem alteri. Sed ratione exempli inductū fuisse eundem locū est futile, & uanū negotiū nam facilius addere erat alteri praeposito, quā nouum seu eundem iterum repetere. Adhuc quaeritur ratio, quare huic potius exemplum adiunxerit quā alteri, cum sint ijdem loci: & quare huic uoluerit declarare & non alterum. Insuper quidnam uelit, cum dicat, Est autem locus hic destruenti quidē si non de quo nomen & oratio, & reliqua. His rationibus putauimus discernendos locos abinuicem, ut unus haberetur de ijs quae nullis insunt eisdem uel non omnibus: alter uero

Cauilli sub
monito.

de ijs quæ in plura se fundunt: quorum quoduis acciderit, sequitur nõ conuerti inter se proprium & speciem. & utrumq; uolumus esse partem superioris & primi: quod satis colligitur ex contextu. exemplum posteriori adiunxit non priori, q̄ traditum esset in principe loco quem à cõuersione placuit uocare. nam talis locus tribus partibus assurgebat. quare ad usum faciliorem congruebat in partes diuidere.

Deinde destruenti quidem, si subiectum, proprium assignauit eius, quod in subiecto esse dicitur. Non enim erit proprium quod positum est esse proprium. vt quia qui posuit proprium subtilissimi corporis, ignem, subiectum assignauit prædicati proprium: non erit ignis corporis subtilissimi proprium. propter hoc autem non erit subiectũ, eius quod in subiecto esse dicitur proprium, eo quòd idem esset plurium & differentium esse specie proprium. nam eidem plura quædam discrepantiã specie insunt, de solo dicta: quorum erit omnium proprium quod subiectum est, si quis hunc in modum ponat proprium. Construenti uero, si quod in subiecto est, assignauit proprium subiecti. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium. siquidem de solo prædicatur (vt dictum est) proprium. vt quia qui dixit terræ propriũ corpus grauissimum specie, subiecti assignauit propriũ, quod de sola dicitur re, & vt proprium prædicatur: erit terræ proprium recte positum.

2
A subiecto. Locus à subiecto destruit problema proprii, quòd oporteat omne proprium esse in subiecto & in altero, non autem alterum in ipso. quoniam proprium habet prædicari de pluribus & differētibus numero, seu de specie cõuersim prædicari. si quis igitur posuerit corporis subtilissimi proprium esse ignem, fecit subiectum esse proprium, & prædicatum subiectum. quare destruendum problema. similiter contingeret ut idem pluriũ & specie differētium haberetur proprium: at differentiũ differentia sunt propria: ut hominis, & equi, non idem proprium. distinctio enim speciei arguit & priorũ diuersitatem. Nam si propriũ sit subiectum eorũ quæ subiecto insunt, cum plura & differentia specie eidem subiecto inesse possint, horum omnium differentium erit proprium. nam qua ratione subiectum unius aduenientis illi

est proprium, & reliquorum. quare si ignis esset proprium subtilissimi corporis, & leuissimi, & calidissimi, & reliquorum omnium esset illi conuenientium, quæ abinuicem plurimū discrepant. quare subiectum prædicati non est faciendum proprium, sed contra prædicatum ipsius subiecti est constituendum proprium, cui soli conuenit: ut qui defenderit proprium terræ, corpus grauissimum specie, pulchre suscipit, quod subiecti, cui soli & semper contribuitur, proprium inuenerit. Non fecerit quis argumentum de terra, cuius partes habentur grauiores alijs, nam omnes partes terræ sunt similes & eiusdem speciei, proinde dictum grauissimum specie.

Deinde destruenti quidem, si secundum participationem assignauit proprium. Non enim erit propriū quod positum est esse proprium. nam quod secundum participationem inest, ad quod quid est esse conducit. erit autē huiusmodi differentia quædam de aliqua specie dicta. vt quia qui dixit hominis proprium gressibile bipes, secundum participationem assignauit proprium, non erit utique proprium hominis gressibile bipes. Construenti autem, si non secundum participationē assignauit propriū, nec quod quid est esse indicans, conuersim prædicata re. Erit enim propriū quod positū est non esse proprium. vt quia qui posuit animalis propriū, quod natū est sentire, neque secundū participationē assignauit proprium, neque quod quid esse indicās, conuersim re prædicata: erit utique quod sentire natum est, animalis proprium.

Locus à participatione interimit proprium defensum tale, quod omne proprium non sit de substantia & ratione subiecti. sed id quod est de ratione subiecti conuertibile, differentia est. nam genus, et si de ratione sit illius, non cum illo conuertitur. quare longissime arcetur à proprii finibus definitio. nam quia ratio est subiecti, manifeste disspescitur. sed differentia quæ conuertibilis fuerit cum subiecto hoc argumēto distrahatur à proprio, quod differentia sit de ratione subiecti & altera pars, non autem proprium: quare qui fecerit hominis propriū, gressibile bipes, improbat, quod gressibile bipes sit de ratione subiecti & differentia. Construet apte qui proprium assignauerit conuertibile & non secundum participationē, seu de ratione subiecti. ut animalis propriū

Non idē est
differentia
& propriū.

aptum sentire monstratur, quod non secundum participationē & conuerſim prædicatur de re. nihil enim tale potest esse à proprio, quoniā proprium id est, quod conuerſim prædicatur de re non indicans quid est. Admonendi ueniunt hoc loco qui putāt Aristotelem nō diſiunxiſſe differentiam conuertibilem cum ſpecie à proprio, qui aperto guttore proclamet gressibile bipes differentiam, non esse proprium, q̄ ſubiectū illam participet, & conducat ad definitionem, proprium autē nō: ſimul hi qui non diſiungunt deſcriptiones à deſinitionibus. In ſuper illi qui hominis deſinitionem hanc, animal gressibile bipes uolunt perficiēdam adiunctione rationalis, quod, inquit, aues ſint animalia gressibilia bipedia. an auis ſit gressibilis, quæ uolatilis traditur? nonne animal diuiditur in gressibile, aquatile, & uolatile? conuenire itaque non poterunt illæ ex oppoſito diuidentes genus, neque eidem competere. quare ſi auis uolatile, non erit gressibile: uel & gressibile & aquatile & uolatile habebitur, quare cōspirabit cum genere ſpecies. itaque diximus gressibile bipes ſoli homini cōuenire, nullo modo auibus, ſed uolabile illis contribuimus.

Deinde deſtruēti quidem, ſi non cōtingit ſimul ineſſe propriū, ſed uel poſterius uel prius, q̄ idipiſum nomē. Nō enim erit propriū quod poſitū eſt eſſe propriū, aut nunq̄ aut non ſemper. ut quoniā contingit alicui prius fore, & poſterius ambulare per forū, q̄ quod homo, non erit ambulare per forū hominis propriū, aut nunq̄ aut non ſemper. Conſtruēti autē, ſi ſimul ex neceſſitate ſemper ineſt, cū neq; terminus, neq; differētia ſit. Erit enim proprium quod poſitū eſt nō eſſe propriū. ut quia animal diſciplinæ ſuſceptiuū, ſimul ex neceſſitate ſemper eſt & id quod eſt homo, cum neq; differentia ſit nec terminus, erit animal diſciplinæ ſuſceptiuum hominis proprium.

4

A tempore.

Locus à tempore deſtruit proprij aſſertionē, quod oporteat proprium ſimul eſſe cum ſubiecto. nam ex productione ſubiecti, & proprii inducimus propagationem. qui ergo extruxerit proprium quod non eſt ſimul cum ſubiecto, ſed uel prius, uel poſterius tempore, male aſſignabitur: ut hominis proprium non fuerit ambulare in foro, quod poſterius ſit ambulare quā hominem eſſe: homo enim prior, & ambulatio poſterius accedit. ſimul hominis non eſt proprium uiuere uita intellectiua, quod prius tēpore & uegetatiua & ſenſitiua uiuat. qua-

re destruendum proprium uenit omne per prius datum uel posterius tempore, & id omne non conuerti possit quod prius uel posterius fuerit tempore. Constructio autem petenda erit proprii ab ijs quæ simul tempore sunt, & quæ simul inferunt subiectum, & simul inferuntur à subiecto: conuertibilia enim sunt subiectū & proprium. quare quod prædicatur recurrēs, & neq; terminus est neq; differētia, propriū erit. Nam omne quod conuersim prædicatur de subiecto, uel est terminus, uel differētia, uel proprium. genera enim & accidentia nunquā conspirant. si quid igitur proponatur remeans, non sit tamen neque terminus, neq; differētia, proprium statuendum erit per diuisionē. unde colligere non fuerit laboriosum, hominis animal susceptuum disciplinæ esse proprium, nam concurrunt adinuicem: neq; hoc terminus, neq; differētia, igitur propriū. Nec te moueat quòd prius adduxerit in exēplum, quo monstraret non esse proprium hominis: quòd deo conueniret, & non conspiraret. Nam in omnibus locis astringenda ueniūt exēpla & rei propositæ adaptanda. Ex hoc loco & superiore exploratissimum habeas differētiā assignari cōuertibilem cum specie, neq; omnem prædicari de specie dissidentibus, quod adnotauimus in primo libro: similiter differētiā disiungi à proprio.

Deinde destruenti quidē, si eorundem, quæ eadem sunt, non est idem proprium. Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. ut quia nō est proprium prosequendi, apparere quibusdam bonum: neq; eligendi fuerit utique proprium, apparere quibusdam bonum. idem enim est prosequendū & eligendum. Constructi, si eiusdem quatenus idem est, idem proprium. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium. Ut quoniam hominis, quæ homo est, dicitur proprium, tripartitā animā habere: & terrigenæ, quatenus terrigena est, erit proprium tripartitam animam habere. Vtilis autem locus hic & in accidente. nam iisdem, in eo quòd eadem sunt, eadem oportet inesse vel non inesse.

Locus ab eodem destruit proprium assignatū non conueniens eisdem. Nam eorūdem siue genere, siue specie, siue numero (nā his modis idem cōtingit dici) est idem proprium secundum genus, uel speciem, uel numerum, assignatum, qui uero constituerit proprium eorundem nu-

z.ij.

§
Ab eodem.

mero, ut prosequendi & eligendi, quod alteri horum non conuenit non illius proprium est, quare neq; reliqui erit proprium. hinc cōcludimus non esse proprium prosequēdi hoc, apparere quibusdam bonum, eo q̄ non sit eligibilis, uerum utriusq; oportet idem sit propriū eiusdem numeri. Eligibile enim est bonum per se & uerum, & non apparet, quare apparet eligibili non conuenit. Construit uero propriū idem locus, ut terrigenæ proprium animam tripartitam habere monstramus, q̄ hominis sit proprium, animam tripartitam habere, homo autē & terrigena idem sunt numero. Locus hic ab eodem, cōuenit & accidētibus numero eisdem. Eisdē enim numero eadē insunt uel nō insunt (quēadmodū dicitur in septimo Topicorū in quo de eodē numero differitur) propria, ut cādidi & albi idem propriū. nā quæ polyonyma sunt, eadē habēt p̄pria: quare & à polyonymis potest dici locus, quod idē erit.

Deinde destruenti quidem, si eorum quæ sunt eadem specie, non idem semper specie proprium est. Neq; enim eius quod dictum est erit propriū, quod positum est esse proprium. ut quia idem est specie homo & equus, non semper autem equi est proprium, stare à se: nec hominis erit proprium semper, moueri à se. Idem enim est specie, moueri, & stare à se, quatenus utriq; eorum ut animal est, accidit. Construenti uero, si eorum quæ sunt eadem specie, idem semper specie sit proprium. Erit enim proprium quod positum est nō esse proprium. ut quia hominis est proprium, esse gressibile bipes: & auis erit proprium, esse volatile bipes. utrunq; enim horum est idem specie, quatenus illa quidem sub eodem sunt genere species, cū sint sub animali: hæc autem, ut generis, differentię animalis. Hic autem locus falsus est, quando alterum quidem eorum quæ dicuntur vni alicui soli inest speciei, alterū uero inest pluribus. quemadmodum gressibile quadrupes.

6
Ab eodem
genere.

Locus ab eisdem genere euertit proprium statutū, quod oportet eadem genere eadem habere propria: sed differētia abinuicem, quemadmodum & species, inter se disiunguntur. nam si speciei alicuius diuisionis proprium quoddam afferatur diuidens, & oppositæ speciei in eadem diuisione oppositū afferatur, proprium alteri cōueniet. si itaq; alicui speciei afferatur proprium, & huic oppositū non sit speciei op-

positæ sub eodem genere, destruetur positum proprium. ut qui dixerit hominis proprium à se moueri, improbat, quòd equi eiusdem generis cum homine proprium non sit oppositum, à se stare. nam stare & moueri sunt eiusdem diuisionis, sicut homo & equus. quare si unū uni non conueniat, neq; reliquum reliquo. Construitur hoc loco, si alicuius speciei dicatur proprium, & oppositæ speciei oppositum fuerit proprium dicendum. quare colligitur auis proprium, uolatile bipes, & hominis eiusdē generis propriū idem genere gressibile bipes constituitur. nā ut species homo & auis eiusdem generis, sic & eiusdē gressibile bipes, & uolatile bipes. Hic locus est falsus ad cōstructionē p̄priū eorū quæ sunt eiusdem generis, quorū quædā habentur genera, quædā species infimæ. ut nō oportet si hominis sit p̄priū gressibile bipes, & equi sit uel bruti, gressibile quadrupes, eo q̄ gressibile quadrupes non unī speciei, sed multis & specie differētibus cōgruat. In quibus tamē propria reddentur ultima, & ultimarum specierū eiusdem diuisionis, firmus fuerit locus. speciem in contextu accipe & intellige genus: ut sic dicas, si eorum quæ sunt eadem genere non idem genere sit propriū.

Quoniam autem idem & diuersum multipliciter dicitur, labor est sophisticè assumenti vnus assignare & solius alicuius proprium. nam quod inest alicui cui accidit aliquid, & accidenti inerit sumpto cum eo cui accidit. ut quod inest homini, & albo homini inerit, si fuerit albus homo: & quod albo homini inest, inerit & homini. Calumniabitur autem aliquis multa priorum quòd subiectum id aliud est quod secundum se facit, aliud autem cum accidere: ut aliud quidem hominem esse dicet, aliud vero album hominem. Amplius autem diuersum faciēs habitum, & quod secundum habitum dicitur. nam quod habitui inest, & ei quod secundum habitū dicitur inerit: & quod ei quod secundum habitum dicitur inest, & habitui inerit. ut quoniam sciens secundum scientiam dicitur affici, non inerit scientiæ proprium, indissuasibile à ratione. nam & sciens indissuasibilis erit à ratione. Construenti autē dicendum quoniam non est diuersum simpliciter id cui accidit, & accidens cū eo cui accidit sumptū: sed aliud dicitur, eo quòd diuersum sit ipsis, esse. non

enim idem est homini esse, quòd sit homo: & albo homi-
ni esse, quòd sit albus homo. Preterea autem consideran-
dum est ad casus dicenti quòd neque sciens est indissua-
sibile à ratione, sed indissuasibilis à ratione: neq; scientia
indissuasibile à ratione, sed indissuasibilis à ratione. nam
ei qui omnino instat, omnino est aduersandum.

7
Ab eiusdem
distinctiõe.

Locus ab eodem & diuerso aduersatur problemati à proprio. nã
si quis sophistam uelit agere & uti ratione contentiosa, quòd eiusdem
unius non possit assignari proprium certabit. Nam quodcumq; trada-
tur unius, plurium monstrabitur esse proprium, & talem argumenti
formam à distinctione multiplicis accipiet, quòd idem dicatur & ge-
nere, & specie, & numero. quare quæ eorundẽ defendetur propria,
& pluriũ monstrabuntur: & quæ diuersorum, & eorundem. proinde
laboriosum fuerit assignare sophisticè differendo unius propriũ quod
non plurium assignetur. etenim quæ eadem sunt, differentia proban-
tur: & quæ diuersa, confirmantur unum. Nam quod assignabitur ho-
minis propriũ, & hominis albi contendetur propriũ, quòd idem sint
homo & homo albus, seu ipsum per se subiectũ, cui tantum quippiã di-
citur aduenire, & ipsum subiectum cum tali adueniẽte acceptum. Pro-
inde calũniabitur aliquis sophistes & tumultuarius, propriũ non posse
assignari alicuius, quin sit plurium etiam differentium, hac ratione, q̃
cuiuscumq; assignetur proprium, illius eiusdem sumptio cum acciden-
te aliquo sibi adhærente illi uniat: at illud subiectum & per se &
cum accidente positum, unum nõ est sed plura, quòd aliud sit homo, &
homo albus: quare si hominis dicatur proprium quod etiam sit homi-
nis albi, monstrabit & differentium. similiter ipsius habitus & eius
quod secundum habitum dicitur, idem est proprium. Nam quod habi-
tui inest, & ei quod ab habitu denominatur: & contra, quod habenti
congruit, & habitui: at habitus & habens differũt inter se, igitur plu-
rium idem est propriũ: ut scientiæ destruunt esse proprium indissua-
sibile à ratione, quòd scientis eiusdem non sit idem proprium, sed di-
uersum. Scientis enim proprium dicitur, secundum scientiam disponi.
nã id sonat ὁ δὲ ἰακωβίδου κατὰ τὴν ἐπιστήμην. quare neq; scientiæ,
id positum proprium erit. nam esset & sciẽs indissuasibilis à ratione.
Qui talium construere elaborabit proprium, defendet accidens ipsum
cum subiecto acceptum & subiectũ non differre re ipsa, sed solum ra-
tione, quare non haberi plurium differentium re idem proprium, bene

tamen ratione differentium homo enim & homo albus re consentiunt, quorum idem potest esse proprium, ratione uero dissidet. Similiter ad aliud obiectum de habitu & habente dicendum, quod non est idem proprium scientis & scientiæ, quod casibus differat. nam scientia dicitur quæ indissuasibilis à ratione & nõ qui indissuasibilis. sciens uero qui indissuasibilis à ratione, & nõ quæ indissuasibilis: unde ex casuum dissidio grammatices & terminatione, manifesta est distinctio. Neque enim admittendum fuerit utriusque esse proprium indissuasibile à ratione, et si id daretur cum Socrate, qui uirtutes scientias, quibus habentes indissuasibiles à ratione consisterent, defendit, ut dicatur scientiæ proprium indissuasibilis à ratione, quod casu inter se dissentiant & terminatione & genere. & hæc ratio sufficiens est ad tollendum discrimen. aduersus enim sophisticæ agentes, qui plus æquo contendunt & repugnant, omnibus uiribus est resistendum. sed quia contextus græcus facilius est multo, hunc subiicimus, ἐτι ἡ θεωρητικὸν ἐστὶ παρὰ τὰς ψῶσας, λέγοντες διότι οὐδ' ὁ ἐπισήμων ἐστὶ τὸ ἀμετάπιδος ὑπὸ λόγου, ἀλλ' ὁ ἀμετάπιδος ὑπὸ λόγου. οὐδ' ἡ ἐπισήμη τὸ ἀμετάπιδος ὑπὸ λόγου, ἀλλ' ἡ ἀμετάπιδος, quo clare monstrant articuli τὸ, ὁ, ἡ, casuum discrimina. cum enim dicitur scientia est ipsa indissuasibilis, pro denominante & primigenio sumitur indissuasibilis nomen, & pro qualitate & habitu: at cum dicitur sciens est ipse indissuasibilis, nõ amplius pro qualitate, sed habente & homine denominato & concreto. Indissuasibile uero nomen indifferens & ambiguum ad utrumque se porriges, ut modo dici possit sciens indissuasibile, & scientia indissuasibile, sed significatione diuersa. nam sciens indissuasibile diceretur, quod sit substantia indissuasibilis: & scientia etiam indissuasibile uocatur, quod sit qualitas indissuasibilis. in quibus perspicitur nõ idem casus & terminatio, quod unum denominans, alterum denominatum intelligatur. sicut dicitur homo logicus logicus, & scientia logica logica, & homo logicus logicum, & scientia logica logicum. quo exemplo casuum differentiam quibus perspicere potest prædicatorum.

Deinde destruenti quidem, si quod natura inest uolens assignare, hoc modo ponit secundum locutionem, ut quod semper inest significet. Videbit enim moueri posse quod positum est proprium esse. ut quia qui dixit hominis proprium bipes, uult quidem quod natura inest assignare, significat autem locutione quod semper inest, nõ

erit hominis proprium bipes. non enim omnis homo est duos pedes habens. Construenti autem, si vult quod natura inest proprium assignare, & locutione hoc modo significat. Non enim mouebitur secundum hoc propriū. vt quia qui hominis proprium assignauit, animal disciplinæ susceptiuum, & vult & dictione significat quod natura inest propriū, non mouebitur secundum hoc quod non sit proprium hominis, animal disciplinæ susceptiuū.

8
A natura.

Locus à natura proprium supplantat positum. Quoniam propria quaedam assignantur subiectis quæ actum & necessariam existentiam non habent innuere, sed semper potentiā & naturalem quandam amorem. si quis igitur affectet summopere proprium assignare secundum naturalem aptitudinem, sed uerbis explicet indicantibus actū, destruendum est positum proprium: quod uelit sustinere proprium esse assignatum secundum potentiam, uerum dictio qua redditur proprium actū dicit, & existentiam præsentem. ut qui hominis propriū bipes tuetur, ex eo quod bipes magis actum uidetur significare, & semper conuenire homini habere duos pedes uult, dimouebitur & destruetur propriū. Confirmabit uero proprium qui propriū subiecto uult afferre secundū potentiā naturalem, quod etiā & uerbis expressit potentiā indicantibus: ut hominis propriū animal disciplinæ susceptiuū probe assignatur secundum naturam, quod & dictione sic insinuante explicetur: quare non dimouebitur. si tamen scire propriū daret hominis, refelleretur: quod scire actum dicat, non potentiam. neq; hominis proprium est ridere, sed risibile: quod aptitudinem semper innuit. quare si uelit quispiam assignare propriū conuertibile, quod reddat nomine bipedis actū indicante, male assignabitur. Nō enim ignoramus quod dictū est à Porphyrio in coniugationibus quinque uocum, q̄ si curtetur qui bipes est, tamē ad id quod natū est semper dicitur. uerū hic ponitur pro actū semper cōueniente qui non insit semper. nam, ut idem uult, proprium actū inest & potestate.

Amplius quæcunq; dicuntur vt secundum aliud aliud quod primum, aut vt primum ipsum, labor est assignare talium propriū. Nam si eius quod est secundum aliud aliquid propriū assignauit, & de primo verificabitur: si autem primi posuerit, & de eo quod est secundū aliud prædicabitur. vt si quis assignet superficiē proprium colo-

ratum esse, & de corpore verificatur coloratū esse: si autem corporis, & de superficie prædicabitur. quare non de quo oratio, & nomen verificabitur.

Locus ab altero subiecto destruit proprium subiecti alicuius. Quoniam quædam inexistentiū alicui primo insunt, quædam uero non primo subiecto cōueniunt, sed secundo & per aliud: in talibus autem quæ duobus inesse possunt, uni quidem proxime & continenter, alteri uero per alterum & secūdo ordine, non est facile proprium subiecti assignare: eo quod si unius dicatur subiecti proprium, alterius mōstratur, & contra: unde colligitur proprii labes teterrima. ut detur positum superficiæ proprium, coloratum esse: & coloratum de alio subiecto, ut corpore, uerificetur, destruitur quod assignatū est: quoniā oporteat de quo proprium asseritur, eidem consentiat subiectum: atqui de corpore enuntiatum coloratum esse, & nō superficies corpori tribuitur, non enim corpus superficies. In eodem luto uolutabitur qui corporis proprium astruxerit coloratū esse. nam quod coloratum esse adhæsit superficiæ, cui non coniungitur corpus, assertio uana iudicatur, nō enim est corpus superficies. Ad constructionem talium propriorum pluribus competentium opus fuerit multitudinis limitatione. ut bene assignabitur propriū superficiæ, primū coloratum esse: & corporis, secundum coloratum esse seu per alterum & superficiem. Intelligant illi $\mu\omega\sigma\epsilon\delta\omicron\varsigma$ $\tau\alpha\tau\omicron\varsigma$ coloratum nō esse simpliciter proprium corporis, quod & superficiæ insit.

9
Ab altero
subiecto.

Accidit autē in quibusdam proprijs quamplurimum fieri aliquod peccatum, propter hoc quod non determinetur quomodo & quorum ponit quis proprium. omnes enim conantur assignare proprium, aut quod natura inest, ut hominis bipes: aut quod nunc inest, ut hominis alicuius quatuor digitos habere: aut specie, ut ignis subtilissimum: aut simpliciter, ut animalis uiuere: aut secundū aliud, ut anime prudens: aut ut primum, quemadmodum rationalis prudēs: aut ut in eo quod habet, ut scientis indissuasibile à ratione (nihil enim aliud q̄ habendo aliquid erit indissuasibile à ratione) aut in eo quod habeatur, ut scientiæ indissuasibile à ratione: aut in eo quod participatur, ut animalis sentire (sentit enim & aliud quid, ut

homo: sed participans iam hoc, sentit) aut in eo quod participat. vt alicuius animalis viuere. Qui non addit igitur natura, peccat: eo quod cōtingit quod natura inest, non inesse illi cui natura inest. vt homini duos pedes habere. Qui vero non determinat quoniā quod inest assignat, & non erit tale vt nunc inest illi. vt quatuor digitos habere hominē. Non indicans quoq; & vt primū aut vt secundum aliud ponit, & non de quo oratio, & nomē verificabitur. vt coloratū esse, siue superficie siue corporis assignauerit propriū. Non prædicēs etiā & aut in eo quod est habere, aut in eo quod haberi, propriū assignauit, ideo non erit propriū quod assignatū est nā inerit si in eo quod habetur assignauit propriū, etiam habenti: si autē habenti, & ei quod habetur. vt indissuasibile à ratione, sciētix vel scientis positū propriū. Non præsignificans etiam in eo quod participat vel participatur, eo & alijs quibusdā inerit propriū. si enim in eo quidē quod participatur, assignauit, participatibus inerit: si vero in eo quod participat, ijs quæ participātur. vt si alicuius animalis vel animalis posuerit viuere propriū. Non diuidens etiā specie & vni soli inerit eorū quæ sub eo sunt cuius propriū ponit. nam quod est secundū superabundantiā, vni soli inest. vt ignis leuissimū. Aliquoties autem & specie addens peccat. nam oportebit vnā speciē esse eorū quæ dicūtur, quādo specie addiderit. hoc autē in quibusdam non accidit, vt nec in igne. nō enim est vna species ignis. nam diuersum est carbo & flamma & lux specie: cū vnūquodq; horū sit ignis. Propter hoc autē nō oportet quādo specie additur, diuersam esse speciē eius quod dicitur. quoniā his quidē magis, illis autem minus inerit quod dictū est propriū vt in igne subtilissimum. subtilior enim est lux carbone & flamma. Hoc autē non oportet fieri quando nō & nomen magis prædicatur de quo oratio magis verificatur. Si autē non, nō erit de quo oratio magis, & nomē magis. Amplius autem ad hęc idē esse accidit propriū eius quod simplici

ter, & eius quod maxime in simpliciter tali. vt in igne se habet subtilissimū. nam & simpliciter & ignis & lucis erit hoc ipsum proprium. subtilissima enim est lux. cum igitua alius sic assignat proprium, argumentandum. sibi autem non danda hæc instantia, sed statim cum ponit proprium, determinandum est quomodo ponit proprium.

Multipliciter aberrare contingit circa priorum assignationē, ex eo q̄ non determinētur quorum sint propria, & quomodo illis insint assignata. sunt enim quædā propria quæ assignari possunt, & secundum potentiā naturalem, & secundum actum, quædam simpliciter & particulariter, quædam primū & secundum, quædam & habentis & habiti, quædam participantis & participati, quorum determinatione fuerit opus. Nam proprium subiecti assignatur quoddam secundum naturalem potentiā & aptitudinem tantum: ut si hominis proprium quis assignet bipes, secundum naturalem potentiā tantum adiungit & non secundum actum. quare qui tale proprium assignat sine determinatione naturæ, peccauit: quoniam monstrabitur, quod subiectū alicui ascribetur cui bipes seu habens duos pedes non conueniet. nam homo omni homini cōuenit, at habere duos pedes nō cuius adhibetur: igitur male assignabitur bipes hominis proprium, nisi determinetur secundum naturam tradi proprium. Contingit enim quod naturalem habet aptitudinem, non inesse actu illi ad quod potentiā habet: ut homini bipes secundum naturam conueniat, non tamen illi actu semper conuenit habere duos pedes, et si aptus sit. Assignatur in super proprium quoddam secundum actum & existentium tantum. ut qui hominis alicuius dixerit propriū esse quatuor digitos habere, hoc proprium uult assignādum secundum actū alicui. quare qui non determinauerit, quoniam assignat proprium quod inest actu, sequitur q̄ non erit propriū actu quod assignauit: & destruetur, quod hominis proprium defenditur, quatuor digitos habere: quoniam non insit homini secundum naturā habere quatuor digitos. nam in destructionem afferetur oppositum illius quod defendit, eo q̄ indeterminate assignauerit. Interdum assignatur proprium alicuius subiecti tanquā primum illi adueniens tantum: ut animæ rationalis propriū, prudens: illud enim proprium tantum assignandum est secundum determinationē primi. qui igitur non indicauerit solum dari de primo rationali, destruetur propriū, & monstrabitur tum homo tum anima prudens. quare nō de quo uerificabi-

10
Ab indeter
minatione
proprij.

tur propriū, dicitur nomen & subiectum. Nonnunquam secundū aliud propriū assignatur, sed indeterminate subiecti: ut qui animæ propriū dicit esse prudens, uel corporis coloratum: ille propriū intelligit assignari secundum aliud, non quidem continuo & propinque, sed quia indistinctum est, euertetur: quod monstrabitur homo prudens, & anima rationalis prudens: quibus non conuenit ipsum subiectū: omnibus enim cōuenit prudens, sed animæ rationali primo, secundo animæ, tertio homini: quare qui non usus fuerit talium adiunctione, destruetur: quod alteri à subiecto proprium insit. Eodem modo qui dixit corporis propriū coloratum, tale defendit & intelligit cum determinatione: uerum quia indistincte est positum, destruetur assignatum. nam ostendetur inesse & superficiei, est enim superficies colorata, cui tamē non conuenit corpus, quare deicietur proprium. igitur siue superficiei, siue corporis assignetur sine distinctione, alterius esse contendetur. Interdum assignatum est proprium habentis, quemadmodum scientis proprium dicitur indissuasibile à ratione. nam homo dicitur sciens, eo quod habendo scientiā sit indissuasibilis à ratione. quare qui non prædixerit proprium solum assignari ipsius habētis, destruetur, quod comprobabitur inesse & habitui seu rei quæ habetur. nam & scientia est indissuasibile à ratione. sciens uero non est scientia, igitur non de quo proprium, & nomen diceretur. similiter si afferatur proprium scientiæ, & eius quod habetur, indissuasibile à ratione esse: quandoquidem id quidem nō fuerit prænuntiatum cuius sit, destruetur, quod habentis colligetur esse propriū seu illi conuenire, cui nō cōuenit habitus: est enim homo sciens indissuasibile à ratione, & sciētia similiter, at homo sciens non est sciētia. quare si dicatur esse proprium habentis, ostendetur conuenire habitui: quod si habitus statuatur propriū, & habenti conuenire differetur, nisi determinetur proprium cuius fuerit & quomodo. Aliquando proprium affertur participato proprium: ut qui hominis propriū defendit sentire, ex eo quod non dixit participati propriū assignari, pessum mittetur, quod animalis monstraretur esse proprium & participantis, animal enim sentit omne, at non omne animal est homo: igitur non recurrūt species & proprium. Quod si assignetur in super animalis sentire uel uiuere, & non determinetur quod tantū illius tale secundum participationem assignatur, destruetur. nam & homo & brutū sentiunt & uiuūt, quæ non consentiunt. qui igitur non præsignificant proprium assignari tantum uel participātis uel participati, peccant. nam semper alijs inesse monstrabitur. ut quod participātis

dicitur esse propriū, colligetur conuenire participato, & contra: si uerò participati, & participati adhaerere ratiocinabimur. ut qui alicuius animalis posuerit proprium uiuere, ut hominis uel bruti, quæ animalis propriū secundum participationem accipiūt. nam eo quod animalia sint: at animalis proprium est uiuere seu sentire, igitur & hominis uel bruti idem erit proprium quod est animalis: ac si quis diceret propriū Socratis esse risibile indistincte, eo quod hominis colligatur, euertitur: uel qui sustinet esse hominis, quod probet conuenire Socrati, qui non sit omnis homo, elaborabit euertere: quod oporteat determinare quando alterius sit secundum participationem, alterius uero ut participat. quod dicitur alicuius animalis & animalis uiuere proprium, alterius erit ut participat, alterius ut participatur. nam uiuere est proprium animalis per se, sed est hominis & alicuius animalis, ut animal hoc participat. nam quicquid est proprium generis, est & specierum secundum participationem. quare in singulis illis priorum assignationibus euertitur proprium, quod indistincte constituatur, quia alterius, cuius non dicitur, proprium monstratur esse. similiter qui alicuius proprium assignat secundum speciem, non tamen adiungit speciei determinationem in reddendo proprio, peccat: ut qui ignis proprium subtilissimum tradit, eo quod non usus est determinatione qua uelit proprium assignari secundum speciem. nam qui non diuidit nec distinguit secundum speciem assignatum proprium, id uni tantū speciei eiusdem inest, & alicui particulari illius cuius propriū dicitur. Omne enim dictum secundum superabundantiam uni soli conuenit, at leuissimum proprium ignis secundum superabundantiam construitur, igitur uni sub igne contento inerit, & non omni igni conueniet. quare subiectum pluribus conueniet quam proprium illius positum. ut cum dicitur, maxime proprium est substantiæ, cum una & eadem sit numero, contrariorum esse susceptiuā. dictum enim non omni substantiæ, sed primis conuenit & non secundis. sic si daretur ignis proprium leuissimum, uni tantum conueniret & soli supposito ipsius ignis. quare in prorijs reddendis secundum superabundantiam, qui uelit omnibus conuenire subiecti proprium, adiungenda fuerit determinatio speciei. Neque tamen oportet quibuscumque proprijs secundum superabundantiā adiungatur determinatio speciei, ualidam fore proprii structuram: quod multi errores nonnunquam in talibus uersari cōspiciuntur. ut qui ignis proprium fecerit subtilissimum specie, peccauit: etsi determinauerit proprium adiunctione speciei. huius est ratio, quod quæcumque propria traduntur

secundum superabundantiam nomine speciei determinata, unā oportet esse speciem eorū secundum superabundantiam dictorum: at ignis (ut quibusdam uisum est) plures sunt species, nam bi & carbonem, & flammam, & lucem, species faciunt ignis, & unumquodq; ignem appellant. quare male dicitur ignis proprium subtilissimum specie, quod omne specie determinatum oporteat esse unius rationis & non diuersarum: quoniam subtilissimum specie omnibus illis conueniret, si proprium ignis admittatur. nam & lux subtilissima specie, & carbo subtilissimus specie, & flamma similiter, licet alijs magis insit, alijs minus, quod dicitur proprium ignis: quod subtilior sit lux carbone & flamma. sed id est impossibile, quia de aliquo proprium subtilissimum specie uerificaretur, de quo nomē ignis non diceretur. nā de luce magis dicitur subtilissimū specie q̄ de carbone & flamma: uerū de illa ignis non magis dicitur q̄ de carbone & flamma. si autem nō prædicetur tale assignatum de luce, non continget proprium prædicari de aliquo secundum magis & minus, de quo taliter non uerificetur ignis. Insuper contingeret ipsius generis & speciei idem esse propriū in talibus propriorum assignationibus, seu unius & plurium. nam erit proprium ipsius subiecti simpliciter ut ignis, & illius quod maxime est in tali, ut lucis. quare si ignis & lucis esset proprium subtilissimū, & generis & speciei idem haberetur. Neque uelim credas ex eo desumi, ignem genus esse ad lucem: quod ignis sit substantia & corpus simplex, lux autem neque substantia neq; corpus. sed ex quorundam decretis assumptum est exemplum in illius euerfionem. Habes igitur ex tam multiplici uerborum congerie determinandum esse proprium illius subiecti cui inseritur, & modus quo dicitur inesse proprium est adiungendus. nam si respondens & quisquis statuerit proprium alicuius, modum certum non aduexerit, differemus infirmā esse proprii structuram, quod molestum alteri posse proprium conuenire, cui tamen subiectum nō adfit, ut declaratum & exemplis & rationibus superioribus est. si uero nos contendamus proprium erigere citra omnem instantiam in non obiectam, cum determinatione modi congrua proprii speciei & subiecti reddemus.

Deinde destruenti quidem, si idem eiusdem proprium posuit. Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. nam idem eidem omne, quid est esse indicat. quod autem esse indicat, nō proprium, sed terminus est.

vt quia qui dixit honesti propriū decens esse, idem eiusdem propriū assignauit (idem enim est honestum & decens) non utiq; erit decens honesti propriū. Construenti autem, si non idem eiusdem proprium assignauit, cum conuersim prædicatū posuit. Nam erit proprium quod positum est nō esse proprium. vt quia qui posuit animalis proprium id quod substantia animata, non idem quidem eiusdem proprium posuit, & conuersim prædicatū assignauit, erit animalis proprium substantia animata.

Locus à definitiuis seu eisdem & polyonymis destruit propriū statutum, quod omne idem alicui quid est esse indicat: at quod indicat quid est esse, non est proprium, sed terminus & termino adiunctū, seu definitiuum. ut qui honesti proprium assignauit decens, eo quod idem eiusdem assignauit, destruitur assignatum proprium. nam est idem honestum & decens numero propriūssime & primo modo, quod definitiuum est. Quare si quis construere studeat proprium, effugiat ne eiusdem idem afferat proprium, cum conuertibiliter id dicatur. ut qui dixerit animalis proprium, substantia corporea animata sensibilis, & idem eiusdem non assignauerit, & conuertibile posuerit, rite est adpositum proprium. nam id est proprium, quod non indicat quid est, & conuersim prædicatur.

II
A definitiuis.

Deinde etiam in ijs quæ similitum partium sunt considerandum est: destruenti quidem, si quod totius est proprium, non verificatur de parte: aut quod partis, non dicitur de toto. Non enim erit propriū, quod positum est esse proprium. accidit autem in aliquibus hoc fieri. assignabit enim aliquis in ijs quæ similitū partium sunt proprium, aliquoties quidem in toto respiciens, aliquoties autē in eo quod secundum partem dicitur, ipse seipsum intelligens: at erit neutrum recte assignatum. Vt in toto quidem: quia qui dixit maris propriū, plurima aqua salina, alicuius similitum partiū posuit proprium, & tale assignauit quod nō verificatur de parte (nō enim erit quiddam maris, plurima aqua salina) non utiq; erit maris proprium, plurima aqua salina. In parte autē: vt quia qui posuit aeris proprium, respirabile, similitum quidem partiū

alicuius dixit propriū, tale autem assignauit quod de aliquo aere verum est, de toto autem non dicitur (nō enim erit vniuersus aer respirabilis) non erit vtique aeris proprium respirabile. A struēti autem, si verificatur de vnaquaque similitium partium quod est proprium earum secundum totum. Erit enim proprium, quod positum est non esse proprium. vt quia verificatur de omni terra deorsum ferri secundum naturam, est autem & hoc proprium alicuius terræ secundum totum (nam secundum terram, & id quod est terram esse) erit terræ proprium deorsum ferri secundum naturam.

12
A similibus⁹

Locus à similibus reprobat proprij constitutionem toti non congruentis. Corporum autem quædam simplicia & partes eiusdem naturæ habentia conspiciuntur, ut sunt quatuor uocata elemēta & cælum. Quædam uero composita partibus diuersarū rationū, ut mixtorum naturæ. In simplicibus quicquid propriū fuerit partis, & totius esse debet: & contra quod erit totius, & partis in super erit, quod hæc eadem sint ratione. qui igitur proprium assignauerit partis quod toti non competit, uel totius quod parti non consentit, destruendum proprium assignatum. ut qui dixit quod maris propriū est plurima aqua salsa, destruetur assertio, quod totius proprium parti eiusdem naturæ non ascribatur, nam pars quædam maris non est plurima aqua salsa, cum plurimi nomen paruæ portioni non tribuatur: quare quod totius proprium parti eiusdem non quadret, euertitur. similiter redarguuntur partis propriū constituentes quod conuenire nequit toti, ut qui dixerint aeris respirabile proprium. nam tale proprium parti quidem competere potest, at toti est impossibile, quod totus aer non sit respirabilis, quare destruendum tale aeris esse propriū. Construendum est enim proprium idem totius & partis in similibus, & utrisque ex æquo conueniens. quare terræ proprium sanè astruitur, deorsum secundum naturā ferri, quod & parti terræ & toti terræ conueniat positum proprium.

Deinde ex oppositis considerandum est, primum quidem ex contrarijs: destruenti quidem, si contrarij nō est contrarium proprium. Neq; enim contrarij erit contrarium proprium. vt quia contrarium est iustitiæ quidem iniustitia, optimo autem pessimum, non est autem iusti-

tia proprium optimum: non erit iniustitia propriū pessimum. Construenti autem, si contrarij contrarium proprium est. nam & contrarij contrarium proprium erit. Vt quia contrarium est bono quidem malum, eligendo autem fugiendum: est autem boni proprium eligendum, erit mali proprium fugiendum.

Locus à contrarijs subuertit propriū positum. Quoniam sæpe dictum est opposita dici quadrupliciter, à quibus deducerentur rationes ad differendum in problemata & accidentis & generis, cōsideranda etiam ueniunt ad differendum in problema proprij. Et primus à contrarijs statuitur, qui destruit proprium statutum, q̄ contrariū proprij assignati, non sit contrarij proprium: ut iustitia & iniustitia contraria sunt, iniustitiæ monstrabitur non esse propriū pessimū, q̄ contrarij & iustitiæ propriū non sit contrarium, quod pessimo contrariatur, ut optimū: nō enim sola iustitia est optima, sed omnis uirtus. nā sola iniustitia. Construit autem à contrarijs locus proprium. ut mali proprium fugiendum colligitur, quod contrarij contrarium sit proprium. nā boni eligendum est proprium. Facilis igitur est proprij inuentio in contrarie oppositis, quod habito proprio alicuius cōtrarij, contrariū proprio dicatur alterius contrarij proprium: alioqui sequeretur & prioris destructio. nam ad utrumq; firmus est.

I 3
A cōtrarijs.

Secundum autē, ex ijs quæ ad aliquid sunt: destruenti quidem, si hoc quod ad aliquid est, eius quod est ad aliquid non est proprium. Neq; enim hoc quod ad aliquid est, eius quod ad aliquid est, erit propriū. vt quia dicitur duplum quidem ad dimidium, superans autem ad superatum: non est autem dupli proprium superans, non erit dimidij proprium superatum. Construenti autem, si eius quod est ad aliquid, hoc quod ad aliquid est proprium. nā & eius quod est ad aliquid, id quod est ad aliquid erit proprium. Vt quia dicitur duplum quidem ad dimidium id esse quod duo ad vnum: est autē dupli proprium vt duo ad vnum, erit dimidij proprium, vt vnum ad duo.

Locus à relatiuis construit & destruit problema proprij. Destruit quidem, si unius relatiui proprium non admittatur, & alterius cor-

I 4
A relatiuis.

& i.

relatiui correlatiuum proprium euertitur : ut dimidiij propriū monstratur non esse superatum, quòd correlatiui correlatiuū non sit proprium, ut dupli proprium non est superans: at correlatiuorum debent esse correlatiua propria, dupli quidem & dimidium correlatiua sunt: igitur si proprium correlatiuum ab uno tollatur, & reliquum à reliquo. Construit eo quòd monstratur correlatiui correlatiuum esse proprium: ut dimidiij proprium confirmamus esse unius ad duo habitudinem per correlatiuū, q̄ dupli proprium sit duorum ad unum proportio. id tamen uelimus communiter dictum non proprie, quòd unum non relationem habeat ad duo, neque duo ad unum: quare exemplum hoc constituatur, ut demonstratur sensibilis esse proprium per corpus susceptum, quòd sensus sit proprium per corpus susceptio. & hic locus secundus ab oppositis.

Tertium autem: destruenti quidem, si habitus, id quod secundum habitum dicitur non est proprium, neq̄ profecto priuationis, id quod secundum priuationem dicitur, erit proprium: & si priuationis, id quod secundum priuationem dicitur non est propriū, neq̄ habitus, id quod secundum habitū dicitur, erit proprium. Vt quia non dicitur surditatis proprium insensibilitatē esse (nam & alijs commune) neq̄ auditus erit proprium sensum esse. Construenti vero, si quod secundum habitū dicitur, est habitus proprium, & priuationis id quod secundum priuationem dicitur, erit propriū: & si priuationis, id quod secundum priuationem dicitur, est proprium, & habitus quod secundum habitum dicitur, erit proprium. Vt quia visus est proprium, videre secundum quod habemus visum: erit cæcitatē proprium, non videre secundum quod non habemus visum, nati habere.

IS
Ab habitu
& priuatione.

Locus ab habitu & priuatione ad utrūq; paratus. Ad destructionē in primis problematis proprii momentum habere plurimū indicatur, quòd si habitus proprium non sit habitus, neque priuationis priuatio erit proprium: & contra, si priuationis priuatio non dicatur proprium, neq; habitus ipse habitus proprium colligitur. Vt qui auditus proprium dixerit sensum, infirmatur per priuationem, quòd surditatis proprium non sit insensibilitas, & contra differi potest. Ad costru-

Etionem insuper præsentissimus existit locus. nam cæcitatæ proprium confirmamus per habitum, quod uisus proprium sit uidere secundum quod habemus uisum: quare & cæcitatæ non uidere secundum quod non habemus uisum nati habere. & hic locus tertius ab oppositis ualebit ad differendum à priuatione ad habitum, quemadmodum ab habitu ad priuationem monstratum est.

Deinde ex affirmationibus & negationibus, primum quidem ex ipsis quæ prædicantur. Est autem locus hic utilis destruenti tantum. ut si affirmatio vel quod secundum affirmationem dicitur, eius est proprium: non erit profecto eius negatio, neque quod secundum negationem dicitur, proprium. si autem sit negatio, aut quod secundum negationem dicitur, proprium: eiusdem non erit affirmatio, neque quod secundum affirmationem dicitur, proprium. ut quia proprium animalis est animatum, non erit animalis proprium non animatum. Secundum autem ex prædicatis vel etiam non prædicatis, & de quibus prædicatur vel non prædicatur: destruenti quidem, si affirmationis affirmatio non est proprium, neque negatio negationis erit proprium: & si negatio negationis non est proprium, neque affirmationis affirmatio erit proprium. ut quia non est proprium hominis animal, neque non hominis non animal: si autem non hominis non videtur proprium non animal, neque hominis erit proprium animal. Construenti autem, si affirmationis affirmatio est proprium, & negatio negationis erit proprium: si autem negationis negatio est proprium, & affirmatio affirmationis erit proprium. ut quia non animalis est proprium non viuere, erit animalis proprium viuere: & si animalis proprium videtur viuere, & non animalis proprium videbitur non viuere. Tertium autem ex ipsis subiectis: destruenti quidem, si quod assignatum est proprium affirmationis est proprium, non erit idem & negationis proprium: si autem negationis est proprium quod assignatum est, non erit affirmationis proprium. ut quia animalis proprium est animatum, non animalis non erit proprium animatum. Construenti vero,

si assignatū proprium non est affirmationis propriū,erit negationis. At hic locus falsus est. nā affirmatio negationis, & negatio affirmationis nō est proprium. quādoquidem affirmatio negationi omnino nō inest: negatio autē affirmationi inest quidem, at non vt proprium inest.

16
Ab opposi-
tis secundū
affirmatio-
nē & nega-
tionem.
Prim⁹ mod⁹

Locus ab oppositis secundum affirmationem & negationem triplex est. Primus locus solum destructiuus, quo cōferūtur affirmata & negata prædicata eidem subiecto. quare manifestum est, si prædicatum affirmatum alicuius subiecti sit proprium, illius negatio eiusdem nequit esse proprium: & cōtra, si negatio alicuius subiecti sit proprium, affirmatio non poterit eiusdem subiecti esse proprium. nam accideret contradictorias propositiones coniungi & conuenire. ut si animalis proprium sit animatum sensibile, non erit eiusdem negatio proprium non animatū. Nam animal esse animatum, & animal non esse animatum, contradictionem efficiunt. Eodem modo si negatio alicuius fuerit proprium, affirmatio non erit eiusdem: ut si inanimati proprium sit non uiuere, eiusdem uiuere nequit esse. Secundus locus est quo considerantur duo subiecta & duo prædicata secundum cōtradictionem, constructiuus & destructiuus. Destruit quidem affirmationis affirmationem esse proprium, quod negationis negatio non sit proprium: & contra, si affirmationis affirmatio nō sit propriū, neq; negationis negatio erit proprium, ut non hominis proprium colligitur non animal non esse, & hominis propriū non sit animal: quod si affirmationis affirmatio nō sit, neq; negationis negatio. Constructitur eodem loco propriū, quod si affirmationis affirmatio fuerit proprium, & negatio negationis, & contra: ut quia non animalis est proprium non uiuere, per negationem, animalis uiuere proprium cōnectitur: & contra, per affirmationem, quod animalis propriū sit uiuere, & non animalis propriū non uiuere concluditur. Tertius locus, qui solum destructiuus, est quo inspiciuntur duo subiecta secundum affirmationem & negationē ad unum prædicatum. quare hic modus oppositus primo est. nam in primo duo sumebantur prædicata opposita contradictorie ad idem subiectum, nunc uero duo subiecta opposita ad idem prædicatum comparata. quare si negati subiecti afferatur proprium, illud idem non erit subiecti eiusdem affirmati: uel contra, si propriū dicatur subiecti affirmati, illud idem nō erit eiusdem subiecti negati. ut nō animalis propriū destruitur esse sensibile tolliturque, quod illud sit affirmationis oppo-

Secundus.

Tertius.

sitæ. nam animalis est animatū sensibile proprium. Constructiuus nullus est, quia non oportet si subiecti affirmati proprium quoddam non sit, quòd assignetur esse subiecti negati: neq; cōtra, si hoc non est proprium negationis, quòd sit affirmationis: quòd nō sequatur, hoc illi inest, igitur est proprium. nam uerum est inter contradictionem nō dari medium. quare quòd uni alterum non conueniat, reliquū ei conueniet: sed non oportet tanq̄ propriū conuenire, si in sit. Locum deficere mōstrat constructiuum, quoniam non est affirmatio negationis subiectæ, neq; negatio affirmationis proprium. quare non sequetur, hæc affirmatio non est affirmationis propriū, igitur negationis: neq; contra, hæc negatio non est negationis proprium, igitur est affirmationis. subiungens causam inquit, Quandoquidem affirmatio negationi omnino non inest: quare si non in sit, nequit illius esse proprium affirmatio. Verum negatio etsi affirmationi inesse possit, non tamen ut proprium, q̄ cum ea non recurat. sed obijciat aliquis, si contradictionis non detur medium, & affirmatio non in sit affirmationi, igitur negationi: male ergo dicitur quòd affirmatio negationi omnino non inest, bene tamen affirmationi negatio. An ipsa affirmatio esse significat, negatio autem inexistens est & quædam destructio. at ipsum esse, ut tale, non conuenit aliquo modo ipsi non esse: ipsum tamen non ens conuenit affirmationi, ut opinabili, nam opinabile non ens dicitur: non autem ut ens est opinabile dicitur nō ens, sed ut non ens est. Neq; hic uocis subiectū solum attendimus (ut inquit Faber) sed potius rem rei; rationem. cuius uerba ad hunc locum sunt, Non enim negatio subiectum affirmationi (ut neque accidens substantiæ) esse potest: sed contra, affirmatio negationi subiectum, ut oculus cæcitati (est enim oculus cæcus) non autem cæcitas oculo. neque subiectum uocis solum hic attendimus, sed potius rem rei; rationem. Non dubitamus tamen esse quosdam qui statim insilient & in nos insurgent, cum ordinē contextus emendandum ducant. Nam, inquit, si consueti illa legendi series obseruetur, nihil ad rem confirmandam proponitur: adhæc, sententiam esse falsam. quare ad hunc propè modum resituunt, Nam affirmatio negationi omnino non inest ut proprium: Affirmationi autem inest quidem fortasse, sed non semper, negatio. Cæterum quàm bene contextum repurgent, ipsi uiderint, quanto uirilius rem confirmant intelligunt illi, qui Aristotelem norunt uelle probare affirmationem negationis nō esse propriū, hinc locū deficere. de illius falsitate iam iudicarūt. quare (si dijs placeat) insequēdi ueniunt. Quis enim ueteranos illos unius quasi diei pro-

*fessores non admiretur, non sequatur, non audiat, si quid corrumpere
ausint, si mutare, si adiungere, si imminuere, si cōponere possint pro
arbitrio? & (ut dicam semel) qui omnia belle soli & dicunt & intelli-
gunt, non dissimiles profecto Martialis Attalo. Alia subiticesco, ne a-
marulentior aliquibus uidear, & in re non seria curiosior.*

Deinde ex ijs quæ ex opposito diuiduntur: destruenti
quidem, si eorū quæ ex opposito diuidūtur, nullum vlli-
us reliquorum ex opposito diuisorum est propriū. Neq;
enim quod positum est, erit proprium eius cuius positū
est proprium. vt quia animal sensibile nullius aliorū mor-
talium animalium est proprium, non erit animal intelli-
gibile dei proprium. Construente autem, si cæterorū quæ
ex opposito diuidūtur quoduis est sumptum proprium,
taliū quorūcūq; eorum quæ ex opposito diuiduntur
existente proprio aliquo contradiuisorum, & reliquum
erit reliqui proprium, cuius positum est nō esse propriū.
vt quia prudentiæ est proprium, per se natum esse ratio-
nalis virtutem esse, & aliarum virtutum sic vniscuiusq;
sumptæ, erit temperantiæ proprium, per se natum esse
concupiscibilis virtutem esse.

17
Ab ijs quæ
sunt eiusdē
diuisionis.

Locus ab ijs quæ sunt eiusdē diuisionis destruit & construit pro-
priū pblema. Si dentur quædā species eiusdē diuisionis, seu in quas ge-
nus per differentias diuiditur, & alterius illarū propriū quoddā assi-
gnetur alterius diuisionis, qui monstrauit reliquum eiusdem diuisionis
cum priore nō esse proprium reliquæ speciei, destruit proprium assi-
gnatum. Illa enim ex opposito diuiduntur, quæ sunt eiusdem diuisionis:
ut si animal in mortale & in immortale disungitur, similiter in
sensibile & intelligibile altera diuisione, qui monstrauerit animal sen-
sibile non esse proprium mortaliū, destruet positionem quæ tuere-
tur animal intelligibile immortalium & dei propriū esse, & contrā
uim ratio consequetur. Confirmat uero propriū alicuius speciei, & po-
sitū proprium cum altero diuisum sit speciei ex opposito diuisæ pro-
priū. ut anima diuiditur in cōcupiscibilem, irascibilem, & rationalem: &
animæ uirtutes sunt, prudentia, fortitudo, temperantia: qui itaq; huius
diuisionis quoddam proprium assignat & demonstrat ex priori diui-
sione, & reliquas huius diuisionis species propria superioris diuisio-

nis colligit habere. ut si prudentiæ proprium sit per se rationalis uirtutem esse, & fortitudinis erit proprium esse uirtutem irascibilis, & temperantiæ concupiscibilis secundum se uirtutem. In singulis igitur substituendæ ueniunt duæ diuisiones, quarum si unius membrum dicatur esse alterius diuisionis proprium, & reliquū membrum reliquæ partis cõcludetur. nã ut se habet unū ad unū, ita reliquū ad reliquū.

Deinde ex casibus: destruenti quidem, si casus non est casus proprium. Neque enim casus erit proprium casus. ut quia nõ est eius quod est iuste propriū, id quod bene: neq; iusti proprium erit, bonum. Construenti autē, si casus est proprium casus. Nam & casus erit casus propriū. ut quia hominis est propriū gressibile bipes, & homini erit propriū gressibili bipedi dici. Nõ solū autē in eo quod dictū est secundum casus est considerandū, sed & in oppositis. quẽadmodum & in prioribus locis dictū est. destruenti quidē, si oppositi casus, non est propriū oppositi casus. Neq; enim oppositi casus erit propriū oppositi casus. ut quia nõ est eius quod est iuste proprium quod bene, neq; iniuste erit propriū quod male. Construēti uero, si oppositi casus est propriū oppositi casus. Nam & oppositi casus, erit proprium oppositi casus. ut quia boni est proprium optimum, & mali erit proprium pessimum.

Locus à cõiugatis & casibus demolitur & ædificat proprium. destruit quidem si casus alicuius casus nõ sit proprium, neq; primigeniū & coniugatum primigenij erit proprium, neq; contra. ut iusti eueritur proprium esse bonum, quod casus ipsius iuste proprium non sit bene, & contra ipsius iuste interimitur proprium bene, qd coniugati iusti, bonum non sit proprium. Constituetur proprium si alicuius casus proprium casus ostendatur, & coniugati propriū coniugatum, & contra: ut si iustitiæ proprium sit qua unicuiq; suum redditur, & iusti erit proprium unicuiq; suum tribuere, & contra, à coniugato uno ad alterum: ut si est proprium qd homo sit gressibile bipes, & hominis & homini & aliorum casuū consimilis propriū fiet denominatio. Notandum casus nomine & coniugata intelligi & primigenia. Neq; solum locus hic à coniugatis & casibus inspiciendus est in ijs quæ nullam oppositionū habent naturam, sed & in oppositis secundum coniuga-

18
A casibus &
coniugatis.

tionem acceptis: ut dictum est secundo libro de locis accidentis, quo loco in utranq; partem liceat congruere. nam destruit coniugati oppositi proprium esse coniugatum, quod ipsius casus oppositi proprium non sit casus oppositus: & cōtra, per coniugatum casus oppositi propriū oppositum enecatur. Construitur uero oppositi casus oppositus casus propriū, q̄ coniugati oppositi coniugatū oppositū sit propriū. ut inhonesti propriū pessimū colligitur, quia honesti propriū est optimū, & honeste propriū optime. Neq; existimare oportet cum dicitur, si oppositi casus propriū est oppositus casus, oppositū adinuicē de opposito prædicari, sed oppositū casum alteri casui, conuenire casui alteri opposito.

Deinde ex ijs quæ similiter se habent: destruenti quidem, si quod similiter se habet, eius quod similiter se habet, non est proprium. Neq; enim quod similiter se habet, eius quod similiter se habet erit proprium. vt quia similiter se habet ad extruendum ædificiū ædificator, & medicus ad efficiendam sanitatem: nō est autem proprium medici efficere sanitatem, neq; ædificatoris erit propriū, extruere ædificium. Construenti autem, si quod similiter se habet, erit propriū eius quod similiter se habet. Nam & quod similiter se habet, eius quod similiter se habet erit propriū. vt quoniā similiter se habet medicus ad id quod est esse effectiuum sanitatis, & ludi magister ad id quod est esse effectiuum bonæ habitudinis: est autem proprium magistri ludi, esse effectiuum bonæ habitudinis, erit proprium & medici, effectiuum esse sanitatis.

19
A pportioe

Locus à proportione ad utranq; deflectitur proprii problema. Nā si eius quod similiter non similiter habens proprium, neq; consimiliter habentis proportionale erit proprium: ut ædificatoris indicatur proprium non esse extruere ædificium, quod medici non sit efficere sanitatem: at sicut se habet medicus ad sanitatem efficiendam, sic ædificator ad ædificium extruendum. quare uno negato reliquum consimiliter insciari fuerit necessarium. Constituere proprium elaborabit per proportioni conueniens. nam si unius analogi proprium analogum, & alterius alterum. ut palæstritæ commōstratur proprium esse effectiuum bonæ dispositionis, quod medici sit proprium effectiuum sanitatis. Nam ut se habet medicus ad sanitatem, sic palæstrita, seu γυμναστής se habet ad bonam dispositionem.

Deinde ex ijs quæ sic se habent: destruenti quidem, si quod sic se habet, eius quod sic se habet non est propriū. Neq; enim quod sic se habet, eius quod sic se habet, erit propriū. Si autē eius quod sic se habet, id quod sic se habet est propriū, eius nō erit propriū, cuius positū est esse propriū. Vt quia sic se habet prudentia ad honestū & turpe, eo q̄ disciplina vtriusq; corū est: nō est autē prudentiæ propriū disciplinā esse honesti, non vtiq; erit propriū prudentiæ disciplinā esse turpis. si vero est propriū prudentiæ disciplinā esse honesti, nō erit propriū eiusdē disciplinam esse turpis. impossibile est enim idem pluriū esse propriū. Construente vero nihil locus iste utilis. nam quod sic se habet, vnum ad plura comparatur.

Locus hic ab eodem modo se habentibus destructius tantum propriū, qui à superiore differt & à similiter se habentibus, quoniā in illo duo duobus in similitudine & proportionē conferuntur, etiam ubi non cōuenerint, hoc loco uero traditur comparatio unius ad duo eodem modo se habentis secundum inesse. quo bifariam proprium deicitur alicuius eodem modo habētis positum. Nā priore modo destruitur statutum proprium alicuius, quod alterius similiter habentis nō sit proprium: ut si sentire similiter conueniat homini & equo, destruatūque hominis proprium esse, simul corrumpetur esse equi propriū. Posteriore uero, q̄ alterius eodem modo habentis sit proprium. Nam si idem ad duo subiecta differētia eodē modo se habeat, & unius horū monstretur seu dicatur proprium, necessarium fuerit, ut illud alterius destruatū similiter habentis proprium: quoniam impossibile est idem esse plurium proprium distinctorum, eo quod oporteat omne propriū recurrere cum specie: at si pluribus congrueret speciebus, non posset conuerti cum illis, quod illæ inter se non conueniant species, de quibus proprium uerificaretur. quare si prudentia eodem modo uideatur se habere ad pulchrum & turpe: quæ sit utriusq; & boni & mali (quæ pulchre & turpis nomine designatur) disciplina: tum demum constituitur unius proprium, ut uirtutis, alterius ut uitij non erit propriū. nam impossibile est idem diuersorum esse propriū, cum proprium solū uni speciei conuenire possit. Neq; tamen ignoramus Aristotelem usum fuisse conuersa locutione & propē dixerim metonymia, qui nomen pro alio nomine uideatur dicere. Nam (inquit) si prudentiæ proprium

IO
Ab eodem
modo habē
tis? duplex

Prior mod⁹

Posterior:

sit disciplinam esse honesti, non erit amplius eiusdem proprium, turpis
 esse disciplinam, quod rationem subiungens habet, impossibile enim est
 idem pluriū esse propriū. Vides rationem non respondere exemplo, ni-
 si conuerteris locutionē, & reduceris ad id quod subiecinus exemplū,
 quo unum propriū duobus distinctis eodem modo habentibus confer-
 tur, quorum utriusq; idem non potest esse propriū. Verum hoc exem-
 plo uni prudentiæ duo propria connecti uidentur: quoniam sit prae-
 pterito ordine dicendum, ita ut prudentia proprium diuersorum pro-
 ponatur, sic putamus locū manifestū iri, nisi uelis astipulari Iacobo Fa-
 bro cui omnia debent bonarum artium professores ob tam indefessam
 qua artes meliores tanquam ē specu Trophonij eduxerit diligentiam,
 eductas uiuificauit, uiuificatas nutriuit, nutritas confirmauit: qui hunc
 locum restituendum putauit, contextūmq; mutauit ab alijs receptum,
 nec nō pro fide cuiusdam græci exemplaris tum peruetusti tum uera-
 cis, quo sic habetur, ἀδ' ὕνατορ γὰρ τῆ ἀντὶς εἰναί πλείονα ἰδίᾳ ita
 reposuit, impossibile enim est eiusdem esse plura propria. Verum hæc
 ratio non uidetur conueniēs loco, cum Aristoteles dicat locum esse inu-
 tilem ad constructionem, quod unum proprium ad plura conferatur.
 nec id diffuetur totus orationis stylus, si inuerteris exemplū, unū pro-
 priū cōparari duobus eodē modo se habentibus. sed Fabru, puto, sefellit
 exemplum contextui insertum, quo putauit duo propria uni subiecto
 conferri, & non contra. Insuper est mendax ipsius ratio. nā contingit
 eiusdem plura esse propria, quā risibile, susceptiuū disciplinæ natura,
 flebile, hominis ppria dicātur. Insuper si spectes proprij naturā pro-
 prius, non erit difficile cognoscere eiusdem plura esse propria. Etiam id
 repugnaret locis sequētibus, quibus docetur idem pluriū esse propriū.

Dubitatio.

Sed hæsitabis & inquires, qui fieri possit postq̄ idē se eodē modo habet
 ad plura, ut unius sit propriū & nō alterius. Dico, si mōstretur unius
 propriū & nō alterius, simul ostendi illa quæ uidebantur eodem modo
 habentia, non esse talia. Nam per priorem modum huius si proprium
 constitutum eodem modo habeat ad duo, quorum unius non sit neque
 alterius, igitur fieri non potest ut diuersorum eodem modo omnino ha-
 bentū alterius constituatur propriū, quin sit utriusq; uel nullius. qua-
 re si assignetur unius tantum proprium, sequitur ipsum non illius cui-
 us ponitur, esse proprium. nam destruetur per priorem modum quod
 non sit alterius, igitur neq; huius. hæc attigisse plus æquo sufficiat, re-
 deamus ad cōstructionis legem: quam inutilem manifestū est esse, quo-
 niam unum eodem modo se habēs ad plura in comparationē trahitur:

at unum plurium non potest esse proprium eodem modo habentium, & oporteat proprium unius tantum esse speciei cum qua reuertitur, & non plurium. Vbi uero unum diuerforum eodem modo habentium constitueretur proprium, illud utrisque conueniret: at species illæ inter se non cõuenirent, quare notum est & alicui conueniret proprium, cui non species.

Deinde destruenti quidẽ, si quod secũdum esse dicitur, non est eius quod secundum esse dicitur propriũ. Nam neq; corrupti eius quod est secundum corrupti, neque generari eius quod secundum generari dicitur, erit proprium. vt quia non est hominis proprium esse animal, neq; eius quod est hominem generari, erit proprium generari animal: neq; eius quod est hominẽ corrupti, erit proprium corrupti animal. Eodem autem modo accipiẽdum est & ex generari ad esse & corrupti, & ex corrupti ad esse & generari, quẽadmodum dictum est nũc ex esse ad generari & corrupti. Construẽti autẽ, si eius quod est secundum esse ordinatum est. Est autem per se, ordinatum proprium. nam & eius quod secundum generari dicitur, erit hoc quod secundum generari dicitur proprium: & eius quod secundum corrupti, hoc quod secundum corrupti est assignatum. vt quia hominis est proprium esse mortalem, & eius quod est generari hominem, erit proprium generari mortalem: & eius quod est corrupti hominẽ, corrupti mortalem. Eodem autem modo accipiẽdum est & ex generari & corrupti: & ad esse, & ad ipsa ex ipsis fieri, quemadmodum & in destruenti dictum est.

Locus à causis obiurgat constitutionem proprii, nec nõ laudat. Si enim propriũ effectus existentis nõ sit proprium secundum esse, neq; corruptionis eius propriũ erit id quod secũdum corruptionẽ dicitur, neq; generationis eius erit propriũ, id quod secũdum generari dicitur: & contra, si neque generationis alicuius proprium sit quod secundum generari dicitur, neque corruptionis eiusdem proprium erit quod secundum corrupti dicitur, neq; ipsius esse quod secundum esse dicitur. Eodem modo si corruptionis alicuius quod secundum corrup

21

A causis.

pi dicitur proprium, non sit proprium, neq; generationis secundū generari, neq; ipsius esse quod secundum esse dicitur proprium erit: ut huius hominē generari colligenus non esse proprium animal generari, neq; huius quod est hominem corrumpi proprium animal corrūpi, ab effectu, & esse, quoniam non est hominis proprium esse animal. Eodem modo exempla detorqueantur ab ipsa causa productiua ad effectum & corruptiuā causam. similiter à corruptiua ad effectū & causam productiuam. Defendit constructionem locus propriū secundū generari & corrumpi firmā, qui secundū esse firmiter tenet recte proprium assignari, uel ipsius esse & corrumpi tuebitur probam assignationem, qui planē cognouit proprium ipsius generari sane cōstitui. Eodem modo ex ipsa corruptione ad esse & generari uirilis sumetur ratio: ut huius quod est generari hominē, propriū dicimus esse generari mortālē. similiter huius hominē corrumpi fatemur q̄ mortālē corrūpti sit propriū, ab ipso esse & effectu: q̄ huius, hominē esse, mortalem esse, proprium sit cognitum. Non alio modo agendum in duobus reliquis.

Deinde inspiciendum ad ideam suppositi: destruenti quidem, si ideæ non inest, aut si non secundū hoc secundum quod dicitur, id dicitur, cuius est proprium assignatum. Non enim erit propriū quod positum est esse proprium. ut quoniam ipsi homini non inest quiescere, ut homo est, sed ut idea: nō erit hominis proprium quiescere. Construenti autem, si ideæ inest, & secundum hoc inest, ut dicitur de illo ipso, cuius positū est nō esse proprium. Erit enim proprium quod positum est non esse proprium. ut quoniam inest ipsi animali, ex anima & corpore compositū esse, & ut animal est, ipsi inest id: erit propriū animalis, ex corpore & anima compositum esse.

22
Ab idea
subiecti.

Locus ab ipsa idea insistit in proprii problema, quod oporteat proprium assignari subiecti ipsius ideæ secundū ideam ipsam. nam si subiecto conueniat, nō tamen inquantū illius idea dicitur, destruitur proprium. ut hominis proprium monstratur non esse quiescere, quod ipsi homini non inest quiescere secundum quod homo, sed secundum q̄ idea est. nam omnibus ideis inest quiescere. Construetur uero si inest subiecto proprium secundum se & secundum ideam: ut animalis propriū colligitur ex anima & corpore componi, quod ἀνορθω ὑπάρχει; id est ipsi animali insit ex corpore & anima componi, & secundum se

Et secundum ideam. Communiori utitur exemplo, nam qui defendunt ideas, non esse compositas fatentur, licet fortasse sequatur illas esse compositas ex positione dictarum. Verū in re nō multum seria non est scrupulosius insistendum.

Deinde ex magis & minus. Primum quidem destruenti, si quod magis est, eius quod magis, non est proprium. Neque enim quod minus est, eius quod minus erit proprium, neque quod minime eius quod minime, neque quod maxime eius quod maxime, neque quod simpliciter eius quod simpliciter. ut quia non est magis colorari magis corporis proprium, neque minus colorari minus corporis proprium erit, neque colorari corporis omnino. Construēti autē, si quod magis est eius quod magis est, est proprium. Nam quod minus est, eius quod minus est erit proprium, & quod minime eius quod minime, & quod maxime eius quod maxime, & quod simpliciter eius quod simpliciter. ut quia magis viuētis magis sentire est proprium, & minus viuentis minus sentire erit proprium, & eius quod maxime id quod maxime, & eius quod minime id quod minime, & eius quod simpliciter id quoque quod simpliciter. Et ex eo autē quod simpliciter, ad eadē considerandū est. destruenti quidē, si quod simpliciter eius quod simpliciter nō est proprium. Neque enim quod magis est eius quod magis, neque quod minus eius quod minus, neque quod maxime eius quod maxime, neque quod minime eius quod minime erit proprium. ut quia nō est hominis proprium studiosum, neque magis hominis magis studiosum erit proprium. Construēti autē, si quod simpliciter est, eius quod simpliciter est proprium. nā & hoc quod magis eius quod magis, & quod minus eius quod minus, & quod minime eius quod minime, & quod maxime eius quod maxime erit proprium. ut quia est ignis proprium, sursum ferri secundum naturā: & huius magis ignis erit magis proprium, sursum ferri secundum naturam. eodem autem modo considerandum est & ex alijs ad omnia eadem.

23
A compara
tione qua
tuor modi.

Primus.

Locus primus à comparatione maioris & minoris oblectatur po-
sitioni proprii, & amplectitur utriusq; ulnis eam. Quatuor loci inserun-
tur à comparatione secundum magis & minus. Primus habet unū de
uno cōsiderandū. Secundus duo duobus confert. Tertius duo uni coniū-
git. Quartus duobus unū copulat. Primus igitur est & cōstructiuus &
destructiuus, & ab ipso magis & ab ipso minus, inferēdo positiuū sim-
pliciter: siue cū maxime, siue minime dicatur. Nam si quod est alicuius
magis, non sit proprium ipsius cuius uidetur esse magis propriū, neq;
quod minus eius quod minus erit proprium, neq; quod maxime eius
quod maxime, neq; quod minime eius quod minime erit propriū, neq;
quod simpliciter eius quod simpliciter, siue positiui positiuū erit pro-
priū. ut si maioris uoluptatis maius bonū nō sit propriū, neq; minoris
uoluptatis minus bonum, neq; maximæ uoluptatis maximum bonum,
neq; minimæ uoluptatis minimum bonum, neq; uoluptatis bonum erit
proprium. Eodem modo trahetur ratio ab ipso minus ad cætera om-
nia, & ab ipso maxime similiter, nec nō ab ipso minime. Nā hæc qua-
tuor, magis, minus, maxime, & minime, sunt eiusdem cōiugij. his addi
potest & positiuū, seu simpliciter, de quo mox dicatur. Prætermisimus
libenter exemplum de corpore, quod comparationem, quum substantia
sit, non suscipiat. quo exemplo usus est cōmuniore, & sequentibus om-
nibus à comparatione: quod hi loci consistant in hypothesi & suppo-
sitione, & non in re ipsa & positione. Constructitur uero proprium mi-
noris ipsum minus, & maximi ipsum maximum, & minimi ipsum mi-
nimum, & simplicis & absoluti absolutū proprium, quod maioris ma-
ius sit proprium. ut quoniam si maioris uoluptatis est magis delectare,
& minoris minus, & maximæ maxime, & minimæ minime, & uo-
luptatis erit proprium delectare. Eodem modo ab ipso minore ad cæ-
tera rationem trahere licebit, & ab alijs. Ab absoluto & positiuo &
simpliciter dicto argumentum ducetur destructiuum & constructiuum
maioris, minoris, maximi, minimi. ut si uoluptatis nō sit proprium ma-
lum, neque maioris uoluptatis maius malum, neq; minoris minus ma-
lum, neq; maximæ maximū, neq; minimæ minimum. Constructetur per
idem. nam si uoluptatis dicatur proprium quippiā, & cæterorū illud
idem erit proprium, conuenienti seruata habitudine comparationum.
ut si leuis proprium sit sursum ferri secundum naturam, & leuioris
magis erit sursum, & minus leuis minus ferri, & leuissimi maxime
ferri, & minime leuis minime ferri secundum naturam propriū erit.
Quare manifestū est per hæc omnia argumentū crebrescere, tam con-

structiuum quàm destructiuum, siue à simplice siue ab ipso magis deflectatur. Ne quis obloquatur pueriliter in argumentum à comparatione ad positiuum, quod non sequatur, hoc leuius est, igitur leue. Nam aer & aqua leuiores sunt, non tamen leuia dicuntur & grauiora. Similiter quaedam maiora uel minora dicuntur, quæ neque magna neque parua sunt. An illis os ocludatur, quod locus in ijs quæ per se & proprie comparantur, contineatur: quæ uero opponunt, proprie talia non dicuntur, sed per habitudinem & relationem ad alia.

Secundum autem: destruēti quidem, si quod magis est, non est eius quod magis est, propriū. Neque enim quod minus est, eius quod minus, erit propriū. ut quoniam magis est proprium animalis sentire, quam hominis scire, non est autem animalis propriū sentire: non erit hominis propriū scire. Cōstruēti autem, si quod minus eius quod minus est propriū. Nam & quod magis eius quod magis erit proprium. ut quia minus est proprium hominis mansuetum natura, quam animalis viuere, est autem hominis proprium mansuetum natura: erit proprium animalis viuere.

Locus secundus à magis & minus utriusque conuenit & destructioni & cōstructioni. Destruit enim proprium ab ipso magis, cōstruit ab ipso minus. Si namque conferantur duo propria duobus subiectis secundum magis & minus, quorum unum magis uidetur esse proprium sui subiecti quam reliquum alterius, & quod magis uidetur proprium, non sit propriū, neque quod minus uidetur esse propriū, erit proprium. ut quia uidetur magis propriū esse temperatiæ sedare affectus, quam liberalitatis bona profunderere: at non est proprium illud, neque liberalitatis hoc. Cæterum si quod minus uidetur esse proprium, est propriū alicuius sui subiecti: & quod magis uidetur esse proprium, etiam sui subiecti erit proprium. ut si sit minus proprium fortis se obijcere periculis belli, quam magnanimi sit propriū contemnere parua: illud autem admittatur, & reliquum concedi fuerit ratione hac cōclusum. & si sit magis proprium quantitatis posse separari à substantia, quam qualitatis diuidi posse: illud autem non sit proprium, neque istud.

Tertiū uero: destruēti quidem, si cuius magis est propriū, non est propriū. Neque enim cuius est minus propriū, erit eius proprium: si autem illius est proprium, non erit huius proprium. ut quia colorari magis superficie quam corporis

Secundus à
magis & mi
nus.

est propriū, non est autē superficiēi propriū, non erit corporis propriū colorari: si vero est superficiēi propriū, non erit corporis propriū. Construēti autem hic locus nō est utilis. nam impossibile est idem plurium proprium esse.

Tertius ab ipso magis & minus.

Tertius locus ab ipso magis & minus tantum destructivus est, nam constructioni non est accommodus, quo duobus subiectis unum conferatur proprium. Nam si alicuius videatur magis esse proprium & non sit, neque alterius cuius minus videtur, id erit. ut corporis destruitur propriū esse colorari, quod magis sit superficiēi coloratū esse quam corporis, at non est superficiēi propriū & ipsius magis, igitur neque corporis. Quod ineptus sit ad constructionem ex eo colligescit, quod plurium distinctorum idem non potest esse proprium. quare non oportet colligere, si alicuius minoris videatur esse proprium, igitur & maioris. nā talis argumentatio locum non habebit, quoniam secundum magis & minus dici non potest idem proprium de subiectis.

Quartum: destruenti quidem, si quod magis est eius proprium, non est proprium, neque profecto quod minus est eius propriū, erit propriū. Ut quia magis est propriū animalis sensibile quā partibile, non est autē animalis sensibile propriū: quare non erit animalis partibile propriū. Construēti autem, si quod minus est eius proprium, est proprium. Nam & quod magis est eius proprium, erit proprium. ut quoniam minus est proprium animalis sentire quā vivere, est autem animalis proprium sentire: erit animalis proprium vivere.

Quartus ab ipso magis & minus.

Quartus locus à magis & minus destructioni & constructioni aptus propriū. Destruitur equidem propriū, nā si quod magis est propriū nō sit propriū alicuius subiecti, eiusdem quod minus est proprium nō erit proprium. hoc enim loco duo propria secundum magis & minus conferuntur eidem subiecto. quare ab ipso magis destructo sequitur & minoris destructio. Constructio quaerenda est ab ipso minore. nam si quod minus videtur alicuius proprium quā alterum, ponatur propriū, & quod magis eiusdem erit, proprium constituetur. Unde colligas ex hoc loco eiusdem ostendi plura propria. ut si calidi sit magis propriū rarefacere quā cogere similia, & ipsius calidi cogere similia ponatur proprium, & rarefacere erit propriū. si cui minus, & ipsum magis inest: at ponitur minus sentire esse animalis propriū, quod minus

est quàm uiuere, igitur & uiuere eiusdem est proprium, uel nodum soluat qui infantissime hæsitat. vnde miror non parum multos eruditos qui in hoc stant lapide, ut tueantur fixo pede eiusdem non esse plura propria, cum Aristoteles hoc loco inspiret aliam intelligendi notitiam. similiter secundo loco à paribus, illud idem confirmat. Ad hæc quid prohibet, quo minus plura eiusdem dētur propria? Nam innuebat subtilissimū & leuissimum propria esse ignis plura, quòd hac ratione destruxisset septimo huius loco proprium assignatum, quo plura accunularentur propria eiusdem futiliter & otiose.

Deinde ex his quæ similiter insunt: primum quidem destruenti, si quod similiter est proprium, non est proprium eius cuius similiter est propriū. Neq; enim quod similiter est proprium, erit proprium eius cuius similiter est proprium. vt quia similiter est proprium concupiscibilis concupiscere, & rationalis ratiocinari: non est autem proprium concupiscibilis concupiscere, non erit rationalis propriū ratiocinari. Construenti vero, si quod similiter est proprium, eius est proprium, cuius est similiter propriū. Nam & quod similiter est propriū, erit eius proprium cuius similiter est propriū. vt quia similiter est rationalis propriū primum prudēs, & concupiscibilis primum tēperans: est autē rationalis primū prudens, erit igitur concupiscibilis proprium primū temperans.

Locus à paribus & similiter inexistentibus constructionē proprij perscrutatur & euerسیونē. Primus quo cōferuntur duo duobus subiectis in paritate. si enim proponantur duo propria duobus subiectis similiter conuenientia, alterumq; remoueatur à proprij nomine, & reliquum subtrahetur. quare rationalis animæ propriū monstratur non esse ratiocinari, quòd concupiscibilis proprium non sit concupiscere. nam similiter insunt concupiscere & ratiocinari duobus illis. Neque putandum est nullum esse discrimē inter hunc locum & decimū nonū quē à proportione nuncupauimus, quoniā in illo sola habitudo in controuersiam similitudinis uocatur, hic uero similitudinis conuenientia desideratur, non tantum habitudo. Pleraq; enim paulo negligētius spectantibus apparent eandem habitudinē inter se habere, quæ rebus illis non conueniunt, ut notum fit ijs qui conferut diuersa inter se eadem habitudine. ut qui definiunt species eiusdem diuisionis alijs duabus al-

24
A parib⁹ est
triplex.
Primus mo-
dus.

terius generis, quibus non conueniant. Construitur hoc loco proprium concupiscibilis primum temperans esse, quòd rationalis animæ sit primum prudens esse proprium. nam ut inest rationali primum prudens, sic & concupiscibili primum temperans, igitur ex loco si unum unius proprium, & reliquum alterius.

Secundum autem: destruèti quidè, si quod similiter est proprium, non est propriū eius. Nam neq; quod similiter est propriū, erit propriū eius. vt quia similiter est proprium hominis videre & audire, at non est hominis propriū videre, nò utiq; erit hominis propriū audire. Construèti vero, si quod similiter est eius propriū, est proprium. Nam quod similiter est eius propriū, proprium erit. vt quia similiter est propriū animæ, aliquid partiū eius primo esse cōcupiscibile, & rationale primo: est autē propriū animæ, quid partium eius esse cōcupiscibile primo, erit utiq; proprium animæ, quippiā partiū eius esse rationale primo.

Secundus.

Locus secundus ab æqualiter existentibus, ad utrumq; idoneus, quo conferuntur duo propria, uni subiecto similiter competentia. quare si unum auferatur proprium, & reliquum ab eodem. ut quia homini similiter conueniunt audire, & uidere: ideo si alterum non sit hominis proprium, neq; reliquum. Construitur autem aliquod proprium, alicuius subiecti, per alterum simile. nam si duo uni subiecto æqualiter, & similiter insint, & alterū quidem cōstituatur propriū, & reliquum pari ratione propriū eiusdem erit. ut habere partem primo cōcupiscibilem, similiter & primo rationalem, parti animæ cōuenit. quare si partis animæ alterum astruatur proprium, & reliquum uenit coniectandum. hoc loco mōstratur, si risibile & flebile similiter homini insint, & alterum ponatur proprium, & reliquum.

Tertium vero, destruèti quidem, si cuius similiter est propriū, non est proprium. Neq; enim cuius similiter est propriū, erit proprium: si autē illius est propriū, non erit alterius propriū. vt quia vrere similiter est propriū flammæ, & carbonis: non est autē flammæ propriū vrere, non erit carbonis propriū vrere: si autē est flammæ proprium, nò erit carbonis propriū. Construenti autē hic locus nò est utilis. differt autē quod est ex similiter se habentibus,

ab eo quod ex ijs est quæ similiter insunt: quoniam illud quidem secundum proportionē sumitur non in eo quod inest aliquid contemplatum, hoc autem ex eo quod inest, alicui comparatur.

Tertius à pariter conuenientibus destructiuus tantum proprii, quo duobus subiectis unum proprium confertur. Nam si duobus similiter conueniat, & unius non sit proprium, neque alterius poterit esse proprium. Non tamē oportebit contra si alterius subiecti sit proprium, & reliqui. quòd idem, ut superius dictum est, plurium non possit esse proprium. Quanto interuallo disiungatur locus, ab eo quod similiter inest, ab eo quod similiter se habet, ex dictis colligescit. nam diximus in analogia opus esse habitudine simili, à paribus uero quòd insint, quibus cōferuntur. Insuper per lucidum fit quod dictū loco uicesimo, quoniā non contingit diuersorū idem esse propriū, alioqui non recurreret.

Tertius.

Deinde destruenti quidem, si potentia proprium assignans & ad non ens assignauit proprium potentia, cum non contingat ei potentia inesse cum ens non est. Non enim erit proprium, quod positum est esse proprium. ut quia qui dixit aeris proprium respirabile, potentia quidem assignauit proprium (nam tale proprium ut respirari possit, respirabile est) assignauit autem & ad non ens proprium. nam & cum non est animal quod spirare natum est aerem, contingit aerem esse: nō tamen cum non est animal, possibile est spirare. quare neq; aeris erit propriū huiusmodi possibile respirari tunc: quia animal non erit quod tale est ut respirare possit. non ergo erit aeris proprium respirabile. Construenti autem, si potentia assignans proprium, tam ad ens assignauit propriū q̄ ad nō ens, cum contingat potētia nō enti inesse. Erit enim proprium quod positū est non esse propriū. ut quia qui assignauit proprium entis possibile pati aut facere, potentia assignans proprium, ad ens assignauit proprium (nam cū ens est, & possibile pati quid aut facere erit) quare proprium erit entis, possibile pati quid aut facere.

Locus à potentia utranq; partem fouet & constructiuā & destru-
ctiuam. In primis destruitur proprium, quando quis assignando pro-

25

A potentia

A.ij.

prium secundum potētiam, assignat potentiam ipsam ad aliquid, quod potest non esse manēte re cuius assignatur proprium, at non contingit potentiam conuenire non enti. ut qui posuit aeris proprium respirabile, secundum potentiam & non actum assignauit respirabile, si igitur non sit respirans, non erit respirabile amplius. nam eo quod respirari possit, respirabile dictum est, at animal potest esse & non esse cui respirare conuenit, igitur nō existente animali manebit aer, & non respirabile, quia tunc respirari non potest ab aliquo sublatis animalibus. quare male assignatur proprium per talem potētiā. Constructitur uero quando & ad ens & ad non ens propriū assignatur, si nō enti potētia conuenire possit. oportet enim proprium potentia ad ens potētia assignari. quare entis proprium bene assignatur posse pati, aut facere. recurrit enim tale proprium positum, neq; nomen deserit. sic qui hominis proprium assignauit risibile, secundum potētiā & non actū dixit, similiter susceptiuum disciplinæ. Cauendum est igitur ne quis potentia assignans proprium, fecerit potentiam solum conuenire enti existenti quod corrumpi potest subiecto consistente. nam tale non obambulet cum nomine, quare fugaretur à propriorum tecto.

Deinde destruēti quidem, si per superabundantiā posuit propriū. Non erit enim propriū quod positū est esse proprium. accidit enim sic assignātibus proprium, nō de quo orationē, & nomen verificari. nam corrupta re, nihil minus erit oratio. nam eorū quæ sunt, alicui maxime inest. ut si quis assignet ignis propriū, corpus leuissimū. corrupto enim igne, erit aliquod corporū quod leuissimum erit: quare nō erit ignis proprium, corpus leuissimū. Constructenti autē, si non per superabundantiam posuit proprium. Erit enim secundum hoc bene positū proprium. ut quia qui posuit hominis proprium, animal mansuetū natura, nō superabundantia assignauit proprium. erit utiq; secundum hoc bene positum proprium.

26
A superabundantia.

Locus à superabundantia destructiuus proprii, q̄ omne tale proprium secundum superabundantiam contingat non cōspirare cū subiecto & nomine. Potest enim quod secundum superabundantiam dicitur uarijs impartiri. quare qui dixerit ignis propriū esse corpus leuissimum, errat, q̄ corpus leuissimum secundum superabundantiam enuntiatū alteri ab igne conuenire potest, nam destructo igne manebit cor-

pus leuissimum, ut aer. quare non de quo oratio & propriū uerificatur, & nomen diceretur. Construit probe qui conuertibile collocat & non indicat quid est neq; per superabundantiā effert. ut hominis animal mansuetum natura uere dicendum est proprium. nam neq; secundum superabundantiā dicitur, neq; quid est esse indicat, & conuersim de re prædicatur. Hactenus igitur de locis quibus cōgruat positiones & problemata propriū discutere, siue simpliciter id cōstituatur, siue secundum quid. nam ad utraque problematum genera loci describūtur: quos ut breuius & facilius cōprehendas, ordo & numerus qui sequitur te plurimum iuuabit.

LOCI QVIBVS DESTRVERE CONTINGIT

problema propriū simpliciter, & construere aliquo modo.

Primus, ab ignotiore	8	ab eodem uel parte
2 si cuius sit ignotum	9	ab oppositis uel simul uel post
3 ab æquiuoco proprio	10	ab accidente
4 ab æquiuoco subiecto	11	ab ipso nunc
5 à frequenter dicto	12	à sensibili
6 à transcendente	13	à termino
7 ab otioso	14	à genere.

LOCI AD PROBLEMA PROPRII SIMPLICITER

ter & destruendum & construendum.

Primus, à conuersione	14	à relatiuis
2 à subiecto	15	ab priuantibus
3 à participatione	16	à contradictione
4 à tempore	17	ab ijs quæ eiusdem diuisionis
5 ab eodem	18	à coniugatis & casibus
6 ab eodem genere	19	à proportionem
7 ab eiusdem distinctione	20	ab eodem modo habentibus
8 à natura	21	à causis
9 ab altero subiecto	22	ab idea
10 ab indeterminatiōe proprii	23	à magis & minus
11 à definitiuis	24	à paribus
12 à similaribus	25	à potentia
13 à contrarijs	26	à superabundantia.

ANTONII DEMOCHARIS

RESSONEI IN SEXTVM LIBRVM
TOPICORVM ARISTOTELIS,
HYPOMNEMA.



Ius autē quod est circa terminos negotij, partes sunt quinque. Aut enim quòd omnino non verū est dicere de quo nomen & orationem (nam oportet hominis definitionē de omni homine verificari). Aut q̄ cū sit genus non posuit in genere vel non in proprio genere posuit (oportet enim eū qui diffinit in genere ponentē differētias adiungere. nam maxime eorum quæ sunt in diffinitione, genus videtur diffiniti substantiam significare). Aut quòd non propria est diffinitio (oportet enim diffinitionem propriam esse, quemadmodum prius dictum est). Aut si omnia quæ dicta sunt is qui fecit, non diffiniuit, neq; dixit quid est esse rei diffinitione. Reliquū autem præter ea quæ dicta sunt, si diffiniuit quidem, at non bene diffiniuit. Si igitur non verificatur de quo nomen & oratio, ex ijs quæ dicta sunt in accidente locis considerandum. nam & illic vtrū verum vel non verum, omnis cōsideratio fit. quando enim quòd inest accidens disputamus, q̄ verum est dicimus: quando autem quòd nō inest, quòd non verum. Sin vero non in accommodato genere posuit, aut si non propria est assignata oratio, ex ijs qui sunt ad genus & proprium dictis locis perspicendum. Reliquum vero si non diffiniuit, aut si non bene diffiniuit, aliquo modo aggradiendum dicere.

Discutit p̄
blema de fi-
nitionis.

Accepit definitio postremum inter prædicata ordinem examinis, in cuius constructionem, nec non destructionem loci & præcepta studiosissime perquiruntur. de cuius problematibus excutiendis propositum est negotium, non autem de illa in signi per illam differendi authorita-

te. Constituat^{ur} itaq; designeturque problema à definitione tanquam quoddam certum & firmum, in quod insultandum sit omni argumentorum genere. Cætera quidem prædicata, ut incur sibus aduersarentur, quibus peruia essent quamplurimis, ad præsidium & defensionem accersabant magnam rationum copiam constructuarum, cui inniterentur fidelissime: quæ & nomen & dignitatem pertinacissime defenderet. Definitio profecto siue terminus, supra illa omnia magis est calumnijs exposita. nam omnibus ferè modis inseruiūt destructioni illius, & loci accidentis, generis, & proprii, & ad internecionem usq; eā persequuntur: quam & interimere possunt infirmam, non tamen eandem bonæ ualetudini restituere. Neq; enim cōfirmabit quis esse terminum, quod in sit rei, uel quod genus illius cōtineat, uel quod propria, qui construit & sustinet. Destruit tamen qui non inesse rei, uel genere carere, uel proprio priuari, indicat. unde & ijs innotescere potest, quare præcesserunt traditione illa tria prædicata terminum. nam hic suo ambitu hæc complectitur quodammodo, & quāto ipse illis esset perfectior & dignior, tanto constructione & inuentione difficilior. Nimirum ad compositionem primum rei inesse debet, qui si non in sit, euertitur: cui speculationi arrident elementa ad problema accidentis. Neq; eū inesse rei, satis fuerit, sed compositum esse genere & differentia. Præiaciendæ erant itaq; argumenta, quibus genus & differentiam consequeremur. Ad hæc eū cōspirare oportet, cui muneri obeūdo, loci ad propriū astipulantur. Neq; illis ipsis, neq; eorundem præceptis, se tantum credit terminus, quod uim non habeant suæ constitutionis sufficientem. Proinde & alijs opus fuit principijs, & aliorum locorum ordinibus ad terminum construendum. Omnis ergo cura ad constructionem uel destructionem termini propositi, quinque partibus contineatur. In primis experiemur, si terminus propositus, seu definitio de nomine seu re cuius dicitur definitio non uerificetur. nam omnis oratio non conueniens nomini nequit esse definitio, quod oporteat definitionem de omni re de qua nomen & definitum dicitur, prædicari: ut hominis definitio cui libet homini conuenit. Secundum inspiciemus, ubi constiterit inesse rei, orationem propositam pro definitione, si nominis genus habentis ea genus non contineat: uel si genus receperit aliquod, non tamē propriū genus: similiter & si differentias adiunxerit & conuenientes, quia oportet definitionem componi genere definiti, & differentijs eiusdem. quare qui elaborabit alicuius reddere definitionem, primum in definitione collocandum genus est, quod illud maxime inter ea, quæ defini-

De prædicata
torū diffidit

Difficile est
construere
terminum,

Quinq; ex
aminantur
in termino,
Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Quinq; pre-
dicta in or-
dines afferi-
tur p̄prios.

tionem subeant, quid est significat. Differentiæ autē quæ generi astrin-
genda ueniunt, magis quale quid enuntiant nomen, & qualis rei sub-
stantia sit per illas intelligitur. Tertium sitne propria & conuertibili-
lis ad hæc trutinabimus. Nam si propria non consistat rei, licet consle-
tur genere & differentijs, nō erit recipiēda illius definitio. operæpre-
tium est enim, ut conuertibilis sit oratio pro definitione assumpta: uti in
primo testatum est. ut hominis non erit definitio animatum sensibile, q̄
non recurrat. Quartum præter hæc omnia, uidendum est ubi quis hæc
omnia superiora obseruauerit, an non definiuit proprie, neque defini-
tione posita quid est esse rei indicat. ut qui definiret a sinum esse ani-
mal solidis pedibus, auritum & fecundum, prædictis non reclamauit,
quod insit rei, & genus accommodatum, & conspiret: uerum quia quid
est a sinus non exprimit, neque substantiam illa reddit, sed tantū pro-
prietates & accidentia, non erit definitio, descriptio tamen dici pote-
rit. quocirca id uerum nō est ex Aristotele, quod quidam ementiuntur,
nullum esse definiendi genus à descriptione: simul nomine descriptio-
nis intelligi definitionem, qui definitionē uelit quid est indicare omnem
& genere & differentijs assurgere proprijs, non autem accidentibus.
nam his ὑποπροσφύπ̄ efficitur. Quintum & postremū, si definiuit spe-
culabimur rem, quam si definiuerit, utrum bene uel non sit assignata.
ut si clara sit, non multiplex, non frequēs, non abundans, & huiusmo-
di talia inquirentur. quibus omnibus letaliter definitio uulneratur. Ad
hæc igitur quinq; oculos mentis conuertere non lippientes congruit.
Neque tamen horum quinq; sermo est nunc habendus, uerum de duo-
bus postremis inquisitio instituetur expedita. Nam de tribus alijs ex-
amen absoluetur per alias prædictas traditiones. Quoniam si oratio
pro definitione ordinata, non uerificetur de eo omni, de quo nomē &
definitum, ex ijs præceptis, quibus accidens inesse subiecto uel non in-
esse, expendere decet. Nam locis ad accidens, utrū prædicatum de sub-
iecto uerificetur uel nō, omnis consideratio suscipitur. nam illis utrum
accidens insit, uel non insit inspicitur. Atqui disputare accidens inesse
subiecto, est ipsum de eodem uerificari contendere. similiter qui certant
subiecto non inesse accidens, simul & nō dici de eodem pugnant. om-
nis igitur illa contentio & inquisitio, siue uerificetur siue non oratio
de nomine, ad accidentis leges remittatur. Quod secundum inuestiga-
batur, an in accommodato genere nomen & species constituatur uel
non, illis locis qui ad genus designabantur, examinandum. Tertium
etiam negotium, an conuertibilis sit uel non oratio instituta cum no-

mine, elementis ad proprium inductis absoluetur. nam talibus locis non minus speciose probantur, quàm lapide Lydio aurū examinatur, ipsæ definitionum constitutiones. Duæ igitur reliquæ partes, an non definiuit & an non bene definiuit aggrediendæ ueniūt & terminandæ, quibus discussis absolute negotiū omne definitioni ascribendum & ascriptum percurritur.

An bene de
finiat uel an
definiatur
sūma huius
intentio.

Primū igitur inspiciendum, si nō bene definiuit, nam facilius est, quodlibet fecisse, quàm bene fecisse. manifestū igitur quoniam peccatum circa hoc plusculum, eo quòd laboriosius: quare argumētatio facilior quæ circa hoc, quàm quæ circa illud fit. Sunt autem eius quod est non bene, partes duæ. Vna quidem, obscura interpretatione uti. Oportet enim diffinientem (ut cōtingit) quam clarissima interpretatione uti, eo quòd cognoscendi gratia assignatur diffinitio. Secunda autem, si ad plus dixit diffinitionē quàm par sit. nam omne quod superadiectum est in diffinitione, superfluum est.

Cum duæ relinquuntur huic muneri partes, quibus proba definitionis uel adulterina facta assertio deprehēdatur, ut an bene definiat uel an non definiat, ad quas statuere locos & præcepta totis neruis enitendum est, è quibus argumenta tanquam normæ rectissimæ quid æquum quid iniquum sit docebunt copiose deducta: prius tamen negotium conuertetur in partem illam, utrum bene definiit uel nō, quòd faciliora præmunienda sint & prius instituenda. nam insita est nobis uia ut à manifestioribus ad obscuriora trāseamus: at opportunior aperitur accessus differendi ad positionē eam de definitione bene assignata instructam, quàm de definitione simpliciter. Nam quanto quid constructione facilius, tanto ab euer sione liberius consistit. uerum facilius & promptius simpliciter contingit definire quàm bene definire. Manifestum igitur quoniā sagacior parabitur disceptatio in positionē super bene assignata definitione susceptam, quàm de definitione tantū, quoniam tanto plures errorū formæ sequuntur illam quàm hanc, quanto pluribus indiguerit ad cōseruationem. quare disputatio minore negotio in positionem & problema definitionis bene assignatæ instruitur, quam in problema definitionis simpliciter, & quo tantum assignata oratio definitio esse sustinetur, & non quo bene definitio assignari. de tali igitur conuenit prius determinare. Duobus autem modis reprobatur po

In primis
utrum bene de
finiatur uel
non inquitur.

Duobus modis pbatur qd non bene assignetur diffinitio.

fitio, quæ bene assignari definitionē sustinet. Prior quidem quando ratione aliqua manifestatur obscure posita oratio pro definitione asserta. Nam definitionē apertam esse, principium est ab omnibus receptū: quod ea solo uel maxime discendi studio asciscatur. Iure igitur definitionis asringitur definitior, quantum res ipsa ferre potest, q̄ clarissimam definitionis reddere designationem. Posterior modus quo labem incurret, & destructionem sentiet, fuerit quādo definitio posita plura quā par sit habeat. Nam definitio est ut quædam mediocritas, cui si quippiam adiugatur, nomen suum amplius non recipiet: à qua si quid subtrahatur, & uita priuatur. Nam uel abundans uel deficiens haberetur: quibus funditus diripitur. Cōsistere itaq; eam in indiuisibili nō erit uero repugnans. Sicut enim numero alicui nihil admouetur neq; submouetur præter illius fugam & alterius institutionem: sic neque definitioni alicuius præter euariationem illius coniungitur neq; disiungitur. Substantiæ enim rerum in uno retinētur, neq; magis neque minus obseruāt: at definitiones ipsæ sunt substantiæ rerū, quare perfecte definitioni nihil contribui potest citra illius interitum.

Rursus autem utrunq; quod dictum est, in plures partes diuiditur. vnus autem locus eius quod obscure est, si sit æquiuocum alicui quod dictum est. Vt quod generatio est ductio ad substantiam, & quod sanitas commensuratio calidorum & frigidorum. nam æquiuoca est ductio & commensuratio. immanifestū igitur utrum uult dicere eorum quæ significantur ab eo, quod multipliciter dicitur. similiter autem & si cum diffinitū multipliciter dicitur, diuidens nō dixit. nam immanifestum, utrius diffinitionē assignauit: contingitq; calumniari uelut nō conueniente oratione ad omnia quorum diffinitionem assignauit. Maxime autem contingit tale quippiam facere, cum latet æquiuocatio. Contingit etiam & eum qui diuidit quoties dicitur id quod in diffinitione assignatum est, syllogismum facere. nam si secūdam nullum modorum sufficienter dictum est, manifestum quod non diffinierit illo modo.

Duobus modis docuimus euertere quæ bene assignata ponitur definitionē: & qd obscura esset, & qd superflua. quibus non bene constitutā

tanquam indice monstrabamus. Verum in partes modi illi uniuersales existunt dirimendi, ut pluribus argumentorum formis illegitimā definitionem aperiamus. Sint igitur quinq; loci quibus obscuram indicabimus. unde & non bene positam definitionem nulli dubium esse poterit. Primus locus ab æquiuoco, quo ostendemus obscuram esse definitionem defensam, destruit positionem & problema definitionis. ut qui definitionem generationis assereret esse ductionem ad substantiam, q̄ mōstretur ductionis nomen esse multiplex, & tota definitio posita erit uaria & multiplex. quare ignotum est quo significatu nomen confusaneū assumpserit: quōd si obscura sit oratio, non bene assignabitur per alterum locorum superiorum. Ductio aut si mauiſ ἀγωγή quo nomine utitur Aristoteles (Nam ita habet οἶον ὅτι ἡ γένεσις, ἀγωγή ἐστὶ δυοῖα. ἢ ὅτι ἡ ὕψις, συμμετρία θερμῶν καὶ ψυχρῶν ὁμόουμοσ ἔσθ' ἢ ἀγωγή, & ἡ συμμετρία) multiplex est. Nam nunc institutionē morū significat, inde ἡ τῶν παίδων ἀγωγή est ἡ τῶν ἠθῶν καὶ ἀκόσμησις. Nunc uero dietā & rationē uictus, ut Galenus ἀγωγήν ἀντιδίοισις dixit, de ægrotis loquens, ἐπιτέλει δὲ καὶ τὴν ἀναληψίαν ὄνομαζομένην ἀγωγήν, id est rationē uictus corporis recreatricē. Dicitur & interdū ἀγωγή ἢ μεταβολή: qua significatione usus est Arist. cum definitionē illam reddidit, nam generatio transmutatio ad substantiā. Eadem ratione cōuincitur assertio quæ tuetur sanitatis definitionem esse commensurationē calidorum & frigidorum: quōd commensurationis nomine utatur multiplici. Nam cōmensuratio sicut commensurable est æquiuocum: nam quæ eadem mensura metiuntur, ut numeri inter se, uel magnitudines, commensurabilia dicuntur. Aliquando uero quæcumque crasin eandem qualitatum habent: eo q̄ non excedat una alteram, sed æqualis compositio, cōmensurabilia sunt. uel quæ potētias analogas habent. Eodem modo reprobatur definitio quæ definito multiplici adiungitur: quōd omnis illa definitio multiplicis sicut & multiplex obscuritatem ingeneret, cuius distinctio nulla adhibeatur. Nam fit inmanifestum cuius significati definitionem assignauerit. quōd multa habeat & non determinantur. Similiter continget calumniari & increpare definitionem positam, quōd omnibus non conueniat ipsius nominis significatis. Et id maxime fiet, quando qui definitionē statuit nominis multiplici, multiplex esse ignorat. nā poterit differēs manifeste ostendere non omnibus significatis illius definitionē congruere. ut qui canis diceret definitionem animal gressibile quadrupes latrabile, sumpto nomine ut simplici, monstrabitur definitio cælesti uel marino non accom-

Quinq; locis obscura monstratur definitio posita.

Primus ab æquiuoco.

modari. Insuper contingit per diuisionem & determinationem significatorum syllogismum facere, nā si nulli significatorū definitio cōferatur, non bene definiuit. ut qui definitionē canis neq; latrabilis, neq; marino, neq; cælesti inesse ratiocinatur, & secundum nullum modorū annumeratæ significationis posse accōmodari, nullā esse definitionem mōstrat. Quare siue definitio reddatur per multiplex nomen, siue asferatur nomini multiplici citra distinctionem, per hūc locum destruemus male institui: quōd definitio omnis clara debeat esse, at quæ datur multiplex & ipsius multiplicis, est obscura, igitur tollenda.

Alius, si secundum metaphoram dixit. Vt scientiā in-
deciduam vel terram nutricem, aut temperantiam con-
sonantiam. nam omne obscurum, quod secundum meta-
phoram dicitur. contingit & etiam metaphora loquentē
calumniari, tanquam non proprie dicentem. non enim
congruet dicta diffinitio: vt in temperantia. nam omnis
consonantia in sonis. Amplius si est genus consonantia
temperantiæ, in duobus generibus erit idem non conti-
nentibus seinuicem. nam neque consonantia virtutem,
neque virtus continet consonantiam.

Secundus à
metaphora

Secundus locus à metaphora destruit definitionis positionem: quōd
metaphora sit traductio proprii significati alicuius nominis ad aliud
non proprie dictum: quæ & abusus interdum à grammaticis circum-
fertur. quare manifestum est metaphoram omnem esse obscuram, cui
definitio consentire nequit. si quis igitur definiuerit scientiam esse in-
deciduam, sanè indeciduum (quod ἀμετάωστον græce) de corpo-
ribus proprie dicitur propter robur non fugientibus, uel propter æ-
qualitatē & tēperamētum nō facile mutatis. nam ἀμετάωστος im-
mutabilis, immotus robore corporis. quare qui scientiæ tale nomen ac-
cōmodauit definiendæ, quod impropriū scientiæ & immanifestū sit,
male definiuit. Eodem loco destruitur definitio terræ quæ per nutricis
uoculam exprimitur, ἢ τιβάνη nutritrix sit & quæ pueris ubera ad-
mouet, inde τιβάνησις educatio & lactatio proprie dicitur. qui igitur
terræ nomen accōmodauerit nutricis, ut Brutus unus ex primis Ro-
manis optimatibus, improprie & trāslatitie fecerit. Sic de temperan-
tiæ definitione per consonantiam exposita dicendum. nam proprie cō-
sonantia uocibus tribuitur, quæ sit uocum concentus. Contingit igitur
metaphorice definientem redarguere, eo quōd non assignet definitio

conuenientem definitionem. ut qui temperantiam definit cōsonantiam, quum temperantia sit uirtus quæ affectus mites & obedientes rationi componit. nam *συμφωνία* non proprie conuenit temperantiæ, sed sonis. Insuper si temperantia sit consonantia, ut uult definiens, erit & temperantia uox: nam omnis consonantia sit in uoce. quare si temperantia sit consonantia, igitur & eadem in uoce: at temperantiæ genus est omnibus confessum uirtus, quare temperantia & in uoce & in uirtute duobus erit generibus distinctis, quorum unum alteri non subiacet. nam consonantia prædicamenti relationis, & uirtus prædicamenti qualitatis: igitur temperantia genus consonantiam & uocem talem non habet, neque per consonantiam erit definienda. in uniuersum quidem fugienda est per translationem definitio, tum quia impropria sit, tum quod eiusdem plures haberentur definitiones.

Amplius si non positis nominibus utitur. ut Plato ciliembre oculū, aut araneū putrimordax, aut medullam ossigenium dixit. nam omne, obscurū, quod infuetum est. Quædam autē neque secundum æquiocationē, neque secundum metaphorā, neque proprie dicuntur. ut lex mēsurā, vel imago eorū quæ natura iusta sunt. sunt autē huiusmodi deteriora metaphora. nam metaphora facit quodā modo notū quod designatū est per similitudinem (omnes enim metaphora utentes, secundum aliquam similitudinem cauitur) at quod tale est, non facit notū. nam neque similitudo est secundum quā mensura vel imago lex est, neque proprie solet dici. quapropter si proprie mensurā vel imaginem legē dicit esse, veritatis est expers. nam imago id est, cuius generatio per imitationē est: hoc autē nō inest legi. si autē non proprie, manifestū quod obscure dixit, atque deterius quolibet eorū quæ secundum metaphorā dicuntur.

Locus ab inusitatis nominibus præbet ad definitionis euerisionē uim plurimā. Definitio namque consuetis nominibus & receptis, ut clara sit, attollenda est. quare qui obscuris & innouatis uocibus contendit definire probe rem aliquā, in signi utique errore falsus deprehenditur. ut qui oculum ciliūbre, ut Plato definebat, aut araneū putrimordax, aut medullam ossigeniū (quod Aristoteles græcè ὀφρυόσκιον ἢ ὀφθαλμὸν, ἢ δὲ φάλαγγιον σηψιδάκτις, ἢ τὸν μυελὸν ὀσσεγενῆς expressit) &

3
Ab inusitatis nominibus.

alia huiusmodi per nomina quæ nomēclaturæ non inscribuntur recepto-
rum, definiuerit. Omnis enim dictio inconsumta tenebras plusquā Cim-
merias aduehit definitioni. & importunior est multo talis definitio per
antiquata & absoleta nomina, quæ per æquiuocationē uel metaphoram.
Nam ex tribus modis quibus ob nomina definitio redditur obscura, ut
æquiuocatione & metaphora & desuetudine, illa quidē est teterrima
obscuritas definitionis, quæ per desuetū nomen paratur. Nam qui uti-
tur æquiuoco, nomē habet proprie significans rem aliquā, et si non so-
lam. Metaphora uero, et si non proprie rē significet, aliquo modo tamen
notū facit significatū propter similitudinē. Nam metaphoræ omnes sūt
secūdam aliquam similitudinē: at quæ sic improprie dicuntur & præter
consuetudinē, neq; proprie aliquo modo, neq; cognitionē aliquā faciūt:
sunt igitur deteriora cæteris. ut qui legem mensurā uel imaginem defi-
niuerit, nulla enim similitudo comperitur secundum quam lex dicatur
mensura uel imago, neq; etiā consueuit taliter dici. nā mensura est qua-
ntitas, lex autē non est quantitas. Similiter imago imitatio est animalis ex
talibus coloribus protracta, at lex non est huiusmodi. quare manifestū
est, magis fatuā esse defensionē definitionis per nomina inconsumta &
impropria, quæ per æquiuocationē & metaphorā, ac demū obscuriorē.

Amplius, si non manifesta est contrarij oratio ex hoc
quod dicitur. Nam quæ bene assignantur, & contrarias
commanifestant.

4 **Locus à contrarij definitione dirimit definitionem constructā.** Nam
contrariorum definitiones se mutuo explicant & notas faciunt, quod
per contrarium ad definitionem contrarij contrarium reliquum enu-
cleetur. contraria nimirū uel ideim genus habent & contrarias disse-
rentias, uel genera contraria, quæ ex analogia facile cognoscuntur. p
si contigerit igitur ut data unius contrarij definitione, non per eā sui
contrarij reueletur definitio, illa dissoluetur. quicumq; enim definiuit
unum cōtrariorum, præsentē habet & alterius rationē contrarij ma-
nifeste. ut qui album definit, quod dissipat uisum, & disgregat uisus
aciem: & nigrum, quod colligit, & unit.

A ut si per se dicta, non sit manifestū cuius est definitio:
sed quæadmodum ea quæ sunt antiquorū scriptorū, nisi
quis superscripsisset, nō cognoscebatur quid unūquodq;
si igitur non clare, ex huiusmodi est inspiciendum.

5 **Locus à definiti ignorantia labefactat positam definitionem, quod**

A definiti
ignorantia

oporteat definitionem per se manifestare definitum. quare si circumferatur quædam definitio, cuius nescitur definitum, prosternenda est tanquam uana & nulli usui accommodata, non aliter quam imagines ab antiquis descriptæ, quibus parum elaboratis nisi quis superscripsisset & descriptione manifestasset quod animal talibus indicabatur, nihil memoriæ, nihil cognitionis & gratiæ posteritati attulissent. qui igitur astruxerit definitionem aliquam, quæ per se nota non intelligatur cuius sit definitio, sed opus sit adiunctione definiti, manifestum quoddam obscura traditur. His igitur quinque argumentorum formulis urgebimus definitionem male effigiatam ob obscuritatem, neque ullo per fugio locorum manus effugiet quo se tueatur. hæcenus de priori membro.

Si igitur superfluum in termino dixit, primum quidem considerandum, si aliquo usus est quod omnibus insit, vel simpliciter ijs quæ sunt, vel ijs quæ sub eodem genere sunt diffinitorum. Nam superfluum dici necessarium id est. oportet enim genus ab alijs separare, differentiam autem ab aliquo eorum quæ sunt in eodem genere: atqui quod omnibus quidem inest simpliciter, à nullo separat: quod autem omnibus quæ sub eodem sunt genere inest, non separat ab ijs quæ sunt in eodem genere: quare superuacaneum huiusmodi appositum.

Contra problema definitionis deinceps disputandum est quod male assignetur. Cæterum loci quos in refellenda definitione paulo ante commentum sumus, alij quoddam superflua sit monstrabunt. nam passionibus dietionum, æquiuocatione, translatione, & obscuritate male assignari conati sumus docere: quæ facerent definitionem nimis ambiguam & incognitam. Nunc igitur expediemus illud secundum membrum, quo male assignata notabatur definitio, quod plura quàm decet contineat. Primus nimirum locus effundit rationem à communi nomine, qua definitio aperitissime uanum quid continere manifestatur. Oportet siquidem quicquid definitione ingreditur, ab aliquo dispescere. nam & genus ab alijs generibus suas species & formas determinare necessarium est, differentias uero cognatas species & eiusdem generis distrabere: atqui id quod omnibus inest simpliciter, uel quod à genere positum commune est omnibus speciebus, eam conditionem non sortitur: igitur definitio talibus consuta uanum quid occeperit. quare talis male posita colligitur. ut qui diffiniret hominem, unum ens animal rationale mortale: quod unum & ens omnibus

Primus locus à communi nomine.

simpliciter insint, & eiusdem generis & diuersorū generum, definitio euerteretur tanq̄ improba, q̄ uanū quid habeat. similiter qui eiusdē redderet, animal sensibile rationale mortale, q̄ sensibile pro differentia positū nullo generis discrimine species inter se separet, sed commune sit omnibus ijs speciebus animalis. Quicquid igitur in definitione collocabitur, si non separet uel differētia genere, uel specie, id uanū credendū est. nam neq; genus id erit, neq; differētia: quibus tamē solis connectēda est definitio. nam genus imperiū hoc ad species suas tenet, ut suo nutu eas contineat & dirigat, demū ab aliorum generum speciebus arceat. Differentia autem species tum diligenti officio tum amore obsequioso generum disgregat abinuicem. nam quam speciem fuerit complexa differentia, eam suo sinu arctissime apprehendit, & eandem sepositam ut differentem ab alijs intrepide conseruat.

Aut si est quidem proprium quod appositum est, ablato autem illo, & reliqua diffinitio propria est, & indicat substantiam. Vt in hominis oratione scientiæ susceptiuū appositum, superfluum. nam & eo ablato, reliqua oratio propria est, & indicat substantiam. simpliciter autem dicendo, omne superfluum, quo ablato reliquum manifestum facit id quod diffinitur. Talis autem est & animæ terminus, si est numerus ipse seipsum mouēs. nam quod seipsum mouet, est anima, ceu Plato diffiniuit. an propriū quidem quod dicitur, non indicat autem substantiam interempto numero? utrouis igitur modo se habeat, difficile est ut explicet. Utendum ergo in omnibus talibus ad id quod expedit. ut est phlegmatis terminus, humidum primū à cibo, indigestum. vnum enim primum, non multa. quare superfluum, indigestum appositū. nam hoc ablato, reliqua erit propria diffinitio. nō enim contingit à cibo & aliud quiddam primum esse. An non simpliciter à cibo phlegma, sed indigestorū primū? quare addendum est indigestum. nam illo quidem modo dicta, non vera erit diffinitio: siquidem non omnium primum est.

² *Locus ex ablatione hauritur in destructionē definitionis constituta, Ex ablatiōe quæ uanū quippiam cōtinere monstratur per ablationē ab ea. nam abūdans cōprobatatur ea definitio omnis à qua subtractione uel propriū uel*

alterius facta, quod relinquitur uere indicat quid est res, simulq; remeat cum definito. Qui igitur hominis definitione, animal rationale mortale disciplinaeq; susceptiuū defendendā curauerit, expugnabitur per ablationem propriū, seu disciplinae susceptiuū à definitione propozita: à qua seposito, reliqua definitio adhuc naturā hominis absolutissime perficit et conuertibiliter, igitur pars illa superfluebat, per cuius subtractionē nihil definitiuae dignitatis neq; naturae imminuitur, neq; definitioni officit. Et uniuersaliter id dicendū est superfluū, quo ablato à definitione aliqua, adhuc quod relinquitur, definitū manifeste explicat et perfecte. Hanc uidetur pati labē animae definitio, quae à Xenocrate dicitur numerus seipsum mouēs. nam numero ablato ab ea, integra cōsistet quae residua sit definitio: igitur numerus uane inferitur. quod enim seipsum mouet, est anima, ut in Phaedro proditū est à Platone, his ferme uerbis: Anima omnis immortalis. quod enim semper mouetur, immortale est: quod uero aliud mouet ab aliōq; mouetur, cum terminū habeat motus, terminū habet et uitae. Solū ergo quod seipsum mouet, quia nunquā se deserit, nunquā cessat moueri: imō uero et alijs, quae cumq; mouētur, id fons et principiuū est mouēdi. Principiuū autē sine ortu est. Ex principio enim necesse est, quicquid generatur, oriri, ipsum autē ex nullo. nam si principiuū oriretur ex aliquo, ex principio utiq; nō oriretur. Cum uero sit absq; ortu, et absq; interitu sit necesse est. nā si principiuū interiret, neq; ipsum ex alio, neq; ex ipso aliud nasceretur. siquidē ex principio omnia oriātur oportet. sic ergo principiuū motus est, quod seipsum mouet: hoc autē neq; mori neq; nasci potest, alioquin omne cælū omnisque generatio cōcidat desinatq; necesse est: neq; rursum unquā cōstare possit, unde haec morā nacta orientur. Cum igitur appareat immortale esse quod seipsum mouet, animae substantiā et rationē hanc ipsam qui dixit, nō erubescet. Omne enim corpus cui motus extrinsecus incidit, inanime est: cui uero intus ex seipso id inest, animatū, tanquā haec animae natura sit. Quod si ita est, ut non sit aliud quod seipsum moueat praefer animā, necessario ingenta et immortalis est anima. haec ille. Ex cuius sententiā manifeste deprehēditur, quod seipsum mouet, esse animā. quare numerus superfluere definitioni adueniēs uidetur, nisi dicatur opus esse genere, ut definitio seu oratio dicatur perfecte quid est indicare. quare interēpto numero licet quod relinquitur sit propriū et cōuertibile cum re, non cōcluditur esse terminus: q̄ nō omne conuertibile sit terminus, bene tamē contra, omnis terminus est cōuertibile. Verū tamen quicquid dicatur, difficile est manifestare utrū genus animae sit numerus, an nō:

Aia immor
talis mōstra
tur ex Plas
tone.

similiter, utrum destructo numero quæ relinquitur oratio sit definitio animæ uel propriū, an non. nimirū huius tam ardua inquisitio ad diuinum philosophū relegatur: qui rerū substantias penitissime perscrutatur, & quibus exurgat modis omnibus definitio disquirat. Vtendū autē in talibus propositis, ut uideatur conueniēs ad differendū. ut si phlegmatis definitio constituatur, humidū primū à cibo indigestū, cōtendatur uitiōsa, q̄ indigestū appositū futiliter & uane sit. nam ablato hoc reliqua oratio propria est, & uidetur definitio esse perfecta, q̄ non contingat à cibo aliud quippiā esse primū. unū enim est primū & non multiplex: quare adiectione indigesti non opus fuerit. Dilutio. Si unū esset primū humidū, quod dicitur, fidē consequeretur maiorem: uerū quia est multiplex, nō potest à nutritione humidū primū & ante phlegma & pituitā non indigestū esse, ut ex humore ipso in concoctione fieri sanguis traditur: ut uero indigestū humidum primū, est pituita. sunt enim & multa humida à phlegmate indigesta à cibo. à phlegmate quidē trāsmutato acris humor, qui ὀξύς χυμὸς à medicis nūcupatur, circa stomachū enascitur: aliquādo uero bilis procreatur, quare non uane adiūgebatur indigestū. nam multi sunt humores: sanguis, flaua bilis, & atra, & pituita. inter hos omnes qui primus est & indigestus, est pituita. Vnde hic ordo digestionū nō uidebitur alienus, si de eo pauca prælibauerimus. Prima igitur digestio cōstituatur in stomacho, in quo cibus calore decoquitur interno, & benignū & naturæ conueniēs à terrestri & sæculento disgregatur, & ex illo substantia quædā lactea educitur, quā χυλὸς pleriq; appellāt, id est, alimonia: quod per uenas meseraicas & mediatrias ad epar trāsmititur, cuius calore naturali rursus digeritur & purgatur, & pro discrimine partiū & naturæ illius generantur quatuor humores: cholera, sanguis, phlegma, & melancholia: qui distribuuntur per propria receptacula, cholera quidē in fistula fellis in epate posita, à qua profluit tādē cholera partim ad intestina, partim ad fundū stomachi iuamēta præstās, illic quidē abstersionē atq; punctionem profectu, hic autē confortationem uirtutis digestiæ. Melancholia autē ad fistulā, quæ est in splene, mittitur: deinde profluēs ad orificiū stomachi tempore indigētis sua acerbitate appetitū prouocat. Verū sanguis, qui commune mēbris est nutrimentum, defluit ad uenas, & cū ipso delabitur & phlegma, quod nō habuit propriū receptaculū, ut reliqui, propter affinitatē, quæ maior intercessit ei cū sanguine, quod & ampliori concoctione natū est in sanguinē trāsmutari & conuerti. Neq; tamē existimare cōgruet sanguinē aded purū, ut illi nihil cholæræ uel melancholiæ.

Ordo digestionum.

admisceatur, cū etiā in uenæ sectione manifeste oppositū uideamus. sed de his fortasse plus satis, qui uidear in medicorū castra irrūpere.

Amplius si quippiā eorū quæ sunt in oratione nō omnibus inest quæ sunt sub eadē specie. Nam talis peius diffiniuit q̄ qui vsi sunt eo quod inest omnibus quæ sunt. nā illic, si reliqua propria diffinitio, & tota propria erit. simpliciter enim ad propriū quolibet addito uero, tota oratio propria fit. at uero si aliquid eorum quæ sunt in oratione nō omnibus inest quæ sunt sub eadē specie, impossibile est totā orationē propriā esse. non enim cōuersim prædicabitur de re, ut animal gressibile bipes quadricubitale. nā huiusmodi oratio nō cōuersim prædicabitur de re. eo q̄ non omnibus inest, quæ sub eadē specie sunt, quadricubitale.

Locus à parte definitionis non conueniente omni definito expugnat definitionem assignatam, quòd uane & præter necessarium adiungatur nomen imminuēs uim definitionis aliās firmissimam. Pretium est operæ nimirum quæcūq; definitionis complexum communiunt omnibus rei definiendæ amore uelut materno curam impendere fœderis. nā ubi primum non consenserint definitionis statutæ partes aliqua omnibus sub specie uel definito, necesse est ut dilabatur oratio pro definitione instructa. Et multo deterius euexit definitionis defensionem qui sustinet talem esse legitime positā, quā qui utuntur nomine uel omnibus conuenienti, uel omnibus generis speciebus: de quo errore paulo superius sermonem reliquimus. Nam commune proprietatem & conuersionem parem definitioni adiectum uane non euariat. si enim totā offenderit recurrentem cum definito, manifestum est illius accessu cōmunis eam non tolli, quòd uniuersaliter si quid sit additū proprio & conuertibili maius & uniuersalius, non minuat cui affigitur: quemadmodum quantitibus æqualibus, si maior quātitas adferatur, nō reddet minorem: ut qui habuerit hanc definitionē hominis, animal rationale mortale conuertibile, cui adiūgat commune nomē uel omnibus, ut ens uel unum: siue cōmune omnibus generis speciebus, ut sensibile & animam habere, nō minus conuertibilis talium adiunctione assurgit q̄ prius, sed quia uanum & præter opus aduocatur tale cōmune ad definitionis structuram, male firma probatur. Verum qui adiungunt definitioni nomen minus definito seu specie, grauiore multo inficiuntur uitio, quòd non tantum uane quippiam definitioni adiungunt, sed ad-

3
A parte des
initionis.

inunctione naturam illam reciprocam cum definito adimunt: ut qui hominis adposuerit definitioni, quæ dicitur, animal gressibile bipes, nomē quadricubiti, effecit præter futilem additionē, ut quæ propria & cōspirans haberetur definitio cum specie & æqua, minor institueretur. nam homo ad plura se pandit, q̄ animal gressibile bipes quadricubitū.

Rursum si idē frequēter dixit. Vt qui cōcupiscentiam appetitū delectationis dixit. nā omnis concupiscētia, delectationis est: quare & idē concupiscentiæ, delectationis erit. fit igitur terminus cōcupiscentiæ, appetitus delectationis: nihil enim differt cōcupiscentiā dicere, aut appetitū delectationis: quare vtrūq; eorū delectationis erit. An hoc quidē nihil absurdū? nam & homo bipes est, quare & idē homini, bipes erit: est autē idē homini, animal gressibile bipes: quare animal gressibile bipes, bipes est. sed non propter hoc, absurdū aliquid accidit. nō enim de animali solū gressibili bipes prædicatur, sic enim de eodē bis bipes prædicatur: sed de animali bipede gressibili bipes dicitur. quare semel tantū bipes prædicatur. similiter autem & in cōcupiscentia. nō enim de appetitu id quod est delectationis esse prædicatur, sed de toto. quare semel & hic prædicatio fit. Nō est autē bis dicere idē nomē, aliquid absurdū: sed frequēter de aliquo idē prædicari. sicut Xenocrates prudentiā diffinitiuā & contemplatiuā eorū quæ sunt, dicit esse. nā diffinitiuā, contēplatiuā quādā est. quare bis idē dicit, addēs rursum & contēplatiuam. Similiter autē & quicūq; refrigerationē, priuationē eius quidem caloris qui secūdum naturā est, dicūt esse. nā omnis priuatio eius est, quod secūdum naturā est: quare superfluū est addere, secūdum naturā, sed sufficit fortasse dicere priuationem caloris, eo quòd ipsa priuatio notum facit quòd eius sit quod secūdum naturam dicitur.

4
A frequēter dicto.

Locus à frequēter dicto demolitur definitionē bene assignari, q̄ omnis qui idem ingeminat & frequenter dicit in consarcienda definitione siue actu siue potentia, lapsus est. In primis nemo morabitur circa euerfionē illius, in qua aperte idem re ipsa conspicitur. ut qui diceret, homo est animal rationale mortale rationale. Potentia in super idem uitii com

mittit, qui dixerit hominem esse animal sensituum rationale mortale, quod animal & sensituum eadem sint re, et si non actu & uoce. similiter qui concupiscentiæ definitionem reddit appetitum delectationis, uidetur idem frequenter dicere, ut nomen delectationis potentia. nam concupiscentia est ipsius delectationis, igitur & definitio illius erit ipsius delectationis, quæ erat appetitus delectationis, quæ est eadem definitio, cum nihil differat dicere concupiscentiam, & appetitum delectationis. quare si concupiscentia sit ipsius delectationis, & appetitus delectationis erit delectationis, igitur delectatio bis dicitur. Responsio. Fortasse nihil absurdum est hoc idem bis dici in definitione, sed bis idem prædicari flagitiosum erit. nam bipes in definitione hominis bis dicitur, quæ est animal gressibile bipes. In primis (ut clarum est) re semel dicitur, cum sit extrema pars illius. sed quia bipes de homine dicitur, & de definitione hominis dicitur, quæ est positi animal gressibile bipes. nam si datur duo eadem, quicquid de uno prædicatur, & de eodem reliquum prædicabitur: at homo & definitio hominis sunt eadẽ, bipes quidem de homine dicitur, igitur & de hominis definitione. quare erit animal gressibile bipes, bipes: seu bipes de animali gressibili bipede dicitur. Neq; tamen id trahendum est tanq̃ importunum, quia solum semel prædicatur bipes, etsi potentia bis contineatur, quod pro incommodo arbitrandum non est. nam in omni definitione id contingit ut idẽ bis dicatur. quod patere omnibus poterit, qui intelligunt in omni definitione genus esse & differentiam re ipsa & actu componenda. quare differentia est, quæ insuper prædicatur de specie definita, igitur si definitum definitionem inferat & differentia, dicitur de definitione tota eadem illa differentia: ut si homo est bipes, & animal gressibile bipes erit bipes. idem tamen argumentum non potest accommodari generi. sed quia hæc tantum semel prædicatur, de ijs quæ accesse runt ad definitionis stabilimentum simul acceptis, quemadmodum de definito, tolerandum fuerit idem bis dici in definitione collocatũ. Cæterũ bis prædicari idem in definitione receptũ, de ijs quæ in definitione constituuntur, nulli permittendum est. bipes quidem de tota definitione prædicabatur hominis, quemadmodum de homine, at de partibus non amplius. neq; enim de animali, neq; de animali gressibili, bipes prædicatur: sed solum de animali gressibili bipede, bipes prædicatur. si tamen de animali gressibili prædicaretur, & rursus de tota definitione, bis prædicaretur, quod flagitijs dignũ esset. Hũc locũ mendosum & mutilum magna sedulitate suo cãdori ad fidẽ græcorũ restituere curauim.

dem taxatur reprehensione, qui refrigerationem definit esse caloris naturalis priuationē. Quod otiose adiecta sit particula naturalis, definitioni. nam si sit priuatio, igitur naturalis rei. quare postq̄ in priuatione includebatur, id quod est secundum naturā uane & futiliter insertum est. Nam integra erit refrigerationis definitio, priuatio caloris. sit igitur totius periphrasis caput, si nomen adiungatur definitioni, quod inferatur ab alio præcedente, illud frequenter dicitur, & hoc argumento destruit definitio, ut uana. Taceo discrimen inter frige-factionem & refrigerationem, ut nō præmittam quod habet antiqua traductio, quare & idem concupiscētiæ delectatio erit. & mox, Quare utrunq; eorum delectatio erit, ubi diximus delectationis.

Rursum si uniuersali dicto addidit & particulare. Vt si clementiā imminutionē expediētū & iustorū. nā iustū expediēs quippiā est, quare cōtinetur in expediēte. superfluum igitur iustum. nam qui dixit uniuersale, addidit & particulare. & si medicinam disciplinam sanatiuorū animali & homini: aut legem imaginem eorum quæ natura sunt bona & iusta. nam iustum bonum quippiam: quare frequenter idem dicit. Vtrum igitur bene an nō bene definiuit, per hæc & huiusmodi perspicendum.

Locus ab additione partis facta toti euertit positionem definitionis bene assignatæ, q̄ uanum quid recludere monstratur. Vt qui clementiā definirēt imminutionem conferentium & iustorum, quod iustum adiungatur conferenti tanquā pars toti, uana monstratur. nam si sit omnium conferentiū, & iustum sit conferens, & iustorum erit. quare satis fuerat dixisse diminutionem esse conferentium, quod qui genus dicat uniuersaliter, & species: iustū uero conferētis seu expediētis quædam species. Attamē quod interpretatum est clementiā, Aristoteles eloquutus est ἐπιεικείᾳ, quod magis consueuerunt dicere, æquitatem & bonitatem, quæ uirtus dicitur esse circa legū interpretationes in quinto ethicorum ab Aristotele. In eadem salebra uoluntantur, qui definiunt medicinam esse disciplinam sanatiuorum animali & homini, q̄ homo species sit animalis & pars, quare toti partem cōnectūt. qui enim eloquutus est totum uniuersaliter, & partem pronuntiauit. Consimilem errorem tutabitur, qui legē imaginē eorum quæ natura sunt bona & iusta definit: nam iustū pars est boni & species, quare frequēter idem effatur. nam bonum uniuersale iustum arcet suis clausulis & euripis,

S
Ab additio-
ne partis to-
ti facta.

ut genus speciem apprehendit. Neq; hic locus superiori idem æstimã-
 dus est, quod in superiore infirmabatur definitio, tanquam nugatoria,
 eo q̄ nomen adiungeretur definitioni, quod de alijs prædicaretur, &
 æquale esset. Nunc uero contra, destruitur definitio quod nomen ad-
 iungatur, de quo genus prædicatur: quorum neutrum contingit. Nam
 quæ ingrediuntur definitionem integram, sunt genus & differentia:
 quorum neutrum alteri subijcitur, neque unum de altero prædicatur.
 quare hac ratione firmissima deijcietur omnis definitio, in qua genus
 de parte illius definitionis cuius est prædicatur: uel cõtra, si pars à ge-
 nere posita de genere prædicatur. Neq; moueat quis argumentum ex
 hoc loco, quod quicumque adiungit generi differentiam, connectit par-
 tem toti, igitur nulla assurgit definitio, cum in omni definitione decens
 sit generi differentiam copulari. Quoniam differentia generis non est
 pars, etsi per differentias generis fiat distributio: sed species pars est
 generis. si qui defendant genus in differentias diuidi, in eos militet ra-
 tio. Consternetur itaq; definitio quæ monstrabitur uanum quippiã con-
 tinere quinque expositis elementis, quod non bene sit assignata. Insuper
 quinque loci educebantur, qui indicabant eam esse obscurã: unde seque-
 batur interitus definitionis præsentissimus. Quapropter decem locis su-
 perioribus discutietur lægide assignata definitio, quæ bene & sanè su-
 scipitur, quæ huius negotij prior pars prænuntiabatur: illa enim duo
 rimabamur, utrũ bene definit, uel definit. Nunc igitur hæc finè capiat.

Vtrũ uero diffiniuit & dixit quid est esse, an nõ, ex his.
 Primũ ergo si nõ per priora & notiora confecit diffiniti-
 onẽ. Nam quoniã terminus assignatur eius cognoscendũ
 gratia quod dicitur, cognoscimus autẽ nõ ex quibuslibet,
 sed ex prioribus notioribũsq;, quẽadmodum in demõstra-
 tionibus (sic enim omnis doctrina & omnis disciplina se
 habet) manifestũ igitur q̄ qui nõ per huiusmodi diffini-
 uit, nõ diffiniuit. si enim diffiniuit, plures erũt eiusdẽ diffi-
 nitiones. nã manifestũ q̄ & qui per priora ac notiora, ite-
 rum melius diffiniuit: quare utrũq; erũt diffinitiones eius-
 dem. tale autẽ nõ uidetur. nam vniciq; eorũ quæ sunt,
 vnũ est esse idipsũ quod est. quare si plures erũt eiusdẽ
 diffinitiones, idẽ erit diffinito esse, quod quidẽ secundum
 utrũq; diffinitionũ significatur: hæc autẽ nõ eadẽ sunt, eo

q̄ diffinitiones diuersæ. manifestū igitur quoniā non diffi-
 niuit, qui nō per priora atq; notiora diffiniuit. Igitur per
 nō notiora quidem terminū dici, dupliciter est accipere.
 Aut enim si simpliciter ex ignotioribus, aut si nobis igno-
 tioribus: cōtingit enim vtroq; modo. Simpliciter igitur
 notius quod prius est, posteriore: vt punctū, linea: & linea,
 superficie: & superficies, solido. quēadmodum & vnitas,
 numero. prius enim & principiū omnis numeri. similiter
 autē & elementū, syllaba. nobis autē ecōuerso quandoq;
 accidit. nā maxime solidū magis sub sensu cadit, q̄ super-
 ficies: superficies autē, magis q̄ linea: linea autē, signo ma-
 gis: quare multitudo magis huiusmodi cognoscit. nam
 illa quidem quomodolibet, hæc autem subtili & fœcun-
 do intellectu comprehendere oportet. simpliciter igitur
 melius per priora, posteriora tentare cognoscere: nā ma-
 gis scientificum tale est. Verū ad eos qui impotentes sunt
 cognoscere per talia, necessariū forte per ea quæ illis co-
 gnita sunt, facere orationem. sunt autem talium diffini-
 tiones quæ & puncti & lineæ & superficiē: omnes enim
 per posteriora, priora indicant, nam illud quidem lineæ,
 istam autem superficiē, hanc vero solidi fines dicūt esse.
 Non oportet autem latere, quoniam sic diffinientes non
 contingit quod quid est esse diffinito, indicare: nisi contin-
 gat idem nobis notius esse & simpliciter notius. si quidem
 oportet per genus & differentias diffinire eum, qui bene
 diffinit. hæc autem simpliciter notiora & priora sunt, spe-
 cie. interimit enim genus & differentia speciē: quare prio-
 ra hæc, specie. sunt autem & notiora. nam specie quidem
 nota, necesse est & genus & differentiam cognosci. qui ho-
 minem enim cognoscit, & animal & gressibile cognoscit:
 at genere & differentia notis, non necesse est & speciem
 cognosci: quare ignotior species. Amplius illis, qui secun-
 dum veritatem huiusmodi diffinitiones dicunt esse quæ
 sunt ex ijs quæ vnicuiq; sunt nota, plures eiusdem acci-
 dit dicere diffinitiones esse. nam alia alijs, & nō omnibus

eadem, contingit notiora esse. quare ad vnumquenq; erit altera diffinitio assignanda, si quidem ex ijs quæ singulis quibusq; sunt notiora, diffinitionem oportet facere. Amplius eisdem alia, interdum alia magis nota. nam à principio quidem sensibilia, instructioribus autem factis, contra. quare neq; ad eundem semper eadem diffinitio assignanda, ijs qui per ea quæ singulis quibusq; sunt notiora diffinitionem fatentur assignandam esse. manifestum igitur quòd non diffiniendum per ea quæ huiusmodi sunt, sed per simpliciter notiora. nam solo modo sic vna & eadem diffinitio semper fiet. Fortasse autem & quod simpliciter notum, non est id quod omnibus notum, sed quod bene dispositis intellectu. quemadmodum & simpliciter salubre ijs qui bene affectum habent corpus. oportet ergo vnumquodq; talium diligenter peruestigare: vti autè disputantes ad id quod expedit. Maxime autè sine dissensione interimere contingit diffinitionem, si neq; ex simpliciter notioribus, neq; ex ijs quæ nobis, contingit diffinitionem fieri. vnus igitur locus est eius quod non per notiora, quod per posteriora, priora indicat: quemadmodum prius diximus.

Attigimus penicillo festinanti priorem huius negotij partem circa definitionem hoc libro suscipiendam. Nam si nostri sinus memores, duo assumpsimus pro ingenioli infirmitate circa terminū inquirenda, An bene assignetur definitio, uel an sit definitio quæ defenditur. Argumentis collustrauimus problema, utrū bene uel non definitio effigiaretur. Problema uero utrum definitio sit, uel non, quæcumq; proponatur, sequentibus principijs & dignitatibus certissimis examinabitur. Primum elementum, & locus ab ignotiore & posteriore in sinum congregientis effundet rationem haud frigidam ad destructionem definitionis propositæ. si quis enim colluctator definitionem defensam ignotiorē esse specie uel posteriorem confirmauerit, positionem omnibus munimētis & præsidijs & constructione priuauit. Nam definitio sine cognitionis nanciscendæ ultimo designatur. At cognitio stabilis non quibusuis paratur, sed prioribus & notioribus, ut satis abunde in libris posteriorū analyticorū dictum est. Omnis enim doctrina & disciplina fit ex præ-

Problema
examinan-
dum.

Primus lo-
cus ab igno-
tiore.

existente cognitione quæ ex causis primis prioribus notioribus quæ-
 ritur. Quare exploratum est, quod qui non reddiderit definitionem per priora
 et notiora, non definit, quod definitio ipsa parum à demonstratione diffe-
 rat. Quod si pertinacius defenderit definitionem alicuius dari per po-
 steriora et ignotiora, neque arbitretur se uinci uel impugnari quod de-
 finitio sit per posteriora consuta, ducere tamen debet incommodum et
 absurdum quod eiusdem plures afferantur definitiones, quod incurret qui-
 dem. Nam primum sustinet posterioribus assurgentem dari definitionem
 et ignotioribus alicuius. Verum eiusdem oratio per priora et notiora
 conflata magis erit definitio quam illa, quia melius definit qui per notiora
 et priora, quam qui per posteriora. quare argumento à minore ad maius
 si hic definiat per posteriora, et ille per priora. tunc demum accidet eius-
 dem plures definitiones, quod impossibile sentiet, qui percepit definitio-
 nem unamquamque orationem esse, quid est rei esse indicatam, quam unicuique
 unum quid est esse conueniat. quare unius est una definitio. Nam si plu-
 res haberentur eiusdem, et illius plures essent natura et substantia, et
 quoniam definitio quælibet eadem definito est: si igitur plures defini-
 tiones re ipsa et diuersæ, et definita plura, uel unum multiplicis erit
 natura: sed nequeunt unius plures esse natura, neque ergo plures de-
 finitiones. uerum quæ per priora et notiora oratio enuntiatur, maius
 definiendi dominium habet, quam altera per posteriora, igitur toto orbe
 eliminanda. Hoc unum quidem leuiter percurrendum non erit, cuius
 ignorantia insignes quosdam decipulis intricauit, quod prius et notius
 dicitur bifariam. Prius enim uocatur et notius quod simpliciter et na-
 tura prius et notius: hanc patiuntur notam uniuersaliora et comu-
 niora, quæ notiora et priora simpliciter pronuntiantur. idem nimirum
 prius et notius. Interdum dicitur prius et notius nobis, quod sensui
 proximum est. hac lege circumferuntur notiora et priora nobis non
 quidem simpliciter singularia omnia et compositiora. Principia uero
 et simplicia notiora et priora sunt compositis et effectis: ut punctum
 prius et notius simpliciter linea. Linea uero est superficie prior sim-
 pliciter, et superficies solido, quemadmodum unitas numero. In singu-
 lis prius et principium et notius effectis: ut elementum syllaba. At no-
 tius nobis præpostero ordine enuntiatur. nam id quod natura notissi-
 mum positum est, nobis consistit ignotissimum. ut punctum est dictum su-
 pra alia eiusdem ordinis notissimum natura, nobis uero est ignotissimum:
 et solidum siue corpus est notissimum nobis, natura obscurissimum. Co-
 mposita enim deprehenduntur sensu, at simplicia intellectu. non sensu si-

gnū siue punctū percipitur, intellectū uero supponetur cognoscendū. quare simpliciter melius est, per priora posteriora manifestare. nā magis scientificum tale est, quoniā per priora scientiā simpliciter institui-
 mus. Cæterum quibus ob imbecillitatem excellens priorum splendor
 officit, non aliter q̄ noctuæ eximia solis claritas, necessarium & per-
 opportunū fuerit forte definitiones talibus construere per ea quæ illis
 nota sunt, simulque ratio infirmitatis & imperitiæ habeatur. sicut
 enim uiris solidior apparatur cibus, infantibus autem mollior & la-
 etescentior: sic accommodare discentium animis congrua parandæ in-
 stitutionis præcepta congruet, pro cuiusuis captu & facultate. Rudi-
 bus adhuc & nondum expolitis crassiores proponantur definitiones:
 quas si non intellectus uirtute comprehendere possint, eas quidem sen-
 suum præsidio concipiant. hunc ordinem diligenter obseruant, qui me-
 titur nostrarum uirium facultates. nam omnes hi per posteriora na-
 tura, & nobis notiora, quæ natura priora sunt & notiora indicat &
 definiunt, nostræ cōsidentes benigne mentis hebetudini. ut punctum
 per lineam definiūt, cum dicunt punctum esse terminū lineæ, & lineā
 terminum superficiē, & superficiem corporis finē: in omnibus istis de-
 finitionibus quod posterius & compositius erat, in definitionē simpli-
 cioris & prioris deflectitur. Verum qui sic per posteriora definiunt
 priora, non indicant substantiam definiti, q̄ omnis definitio stabilienda
 sit genere & differentia: at genus & differentia, sunt priora specie,
 cuius solius est definitio. solæ enim species definiuntur, & omnes de-
 finiiri possunt, quod genera & differentias habeant. Quæ autē priora,
 sunt notiora specie, quod notum fiet hac ratione à significatione prio-
 ris, qua dicitur id esse prius, à quo non ualet subsistendi consequutio.
 si enim species est nota perfecte, & genus & differentia innotescūt,
 q̄ clarescat species notione generis & differentia. At genere & diffe-
 rentia notis, non est necessarium speciem cognosci: quare species igno-
 tior. nam idem est notius & prius, simul ignotius & posterius simpli-
 citer. Adhæc definitio non sit assignanda ad captū unius cuiusq̄, neq̄
 per cuiusq̄; notiora, ex eo q̄ unius nō sunt infinitæ definitiones: at in-
 certa sunt quæ unicuiq̄; notiora sunt. nam quod uni notius, alteri non
 erit: sed quippiam aliud, sic & reliquis. quare & per tam multiplicia
 & diuersa pro ingeniorū discrimine uariæ unius astruerētur defini-
 tiones: quod uni una conderetur, alteri altera eiusdem rei. Insuper hæc
 ratio maxime conuincit, quod si sequeremur in confirmandis definitio-
 nibus hominum uires & ingenium, contingeret eidem homini plures

Sole species
 definiuntur.

unius rei conficiēdas esse definitiones. Nam eidē non sunt eadem semper æque nota uel ignota: sed cum ad discēdum quis promouetur, sensibilia quasi suppetias ad opus domo educet, sine quibus frustra in scholas aditus feratur: at ista sensibiliū anticipationē instruunt ad captandam uniuersaliū & intelligibilium cognitionē, quibus instructis altiora & secretiora penetrare possunt. quare si rudibus singularia & sensibilia magis nota, demum præsumptionibus condiscūtur uniuersalia & nota sūt, manifestum est si ratio sit habenda capacitatis ingenij, q̄ nō eadē sed plures unius rei afferētur uni definitiones: sed quia id absurdum unicuiq; sani iudicij uidetur, manifestum q̄ non per notiora alicui, sed per ea quæ simpliciter notiora sunt definitio attollenda erit. sic enim effugiet rationes propositas, q̄ una & ea semper cōstans manebit definitio & fiet eiusdem. Neq; pertimescenda fuerit ratio quæ opponetur quōd simpliciter notum non est omnibus notum, igitur nō eadem fiet omnibus unius definitio & una, etiā si per simpliciora notiora definitio depingenda ueniat. An simpliciter notū non dicatur quod omnibus notum est, sed bene dispositis intellectu & intelligentibus? sicut salubre simpliciter dicitur, quod ijs qui dispositum probe corpus habēt salubre est, non quidem omnibus. Oportebit igitur tenere rationes istas & argumenta proposita, quibus differere liceat expedite in rem propositā. ut qui definiuerit per notiora nobis, in eū rationes quibus reprobātur superiores diligēter obseruare oportebit. si uero nos definiuerimus per priora nobis, dicemus nihil incommodi esse, q̄ oporteat à notioribus rem notā facere. Est enim dialectice nō ueri, ut sæpe dictū est, sed probabilis. Eadem tamen definitio, quæ neq; per notiora nobis, neque notiora simpliciter componitur, nulla ratione defendi potest: ut sunt definitiones per nomina abusiuā, uel figuris & tropis inuoluta. hoc igitur loco destruitur definitio esse, quōd per posteriora & ignotiora cōstruatur. His Aristotelis aphorismis admonendi ueniūt illi, qui in ipso philosophiæ naturalis portu impingunt misere: ut studioforum calamitati opem feramus aliquantulam, nec gratiam si possimus amicis negemus: quorum & ingenij magnitudinem & nomē admiramur & obstupescimus. Volunt enim illi Aristotelem cū inquit, Quapropter ex uniuersalibus ad singularia procedere oportet, totum enim secundum sensum notius est: uniuersale autem totum quoddā est, multa enim comprehendit, ut partes uniuersale: intellexisse per uniuersalia principia, & per singularia sensibilia: & uoculam totū multipliciter ab Aristotele dici uolunt in syllogismo illo, quo probat uniuersalia notiora esse

Simpliciter notū nō est omnib⁹ manifestum.

Amica reprehensio.

singularibus, sic: Omne totū est secundum sensum notius, at uniuersale est quoddam totū, igitur uniuersale est secundum sensum notius. Simul id dictum, Confusa magis sunt manifesta & dilucida nobis primum, posterius uero elementa, intelligunt manifesta nobis natura. Verum hæc omnia incommoda patiūtur, quòd contextum corrūpunt & intelligentiam non consequuntur. Nam Aristoteles cum præmississet ex principiorum & causarū cognitione, in unoquoq; scientiam infundi, ut perfectam immitteret rerum naturalium discentibus scientiam, uoluit eorum animos conuerti ad inquisitionem principiorum, quibus demum consequerentur propriam scientiam rerū. Assurgimus uero in principiorum cognitionem ex ijs, quæ priora sunt nobis. Incipimus à cōmuniōribus & plura cōplectentibus, ut principia simplicia consequamur. quapropter Themistius inquit, si itaq; principijs ostendendis incipimus à cōmuniōribus & plura comprehendētib; nemo miretur: quia ex illis ad particularia uenimus. Cognobilia siquidem nobis cōmunia sunt aliquanto, quàm propria: sunt enim tanq̄ cōpositiora, quàm propria. quapropter Aristoteles uoluit ex eo quod innata sit ex notioribus & manifestioribus uia, ad manifestiora natura & notiora, à confusis magis & uniuersalibus, quæ nobis primum nota sunt, ad ipsa elementa & principia & singularia progredi. Vnde manifeste liquet uniuersalia nō sumi pro principijs, & singularia pro sensibilibus: sed contra. quod claret etiam ex ipso interprete Themistio. Neque totum sumi multiplex, id quod Aristoteles statim subiungit, monstrat: q̄ nomina & definita ad definitiones cōparata confusa & commixta magis sunt, & totū quoddam significāt, quod à definitionibus membratim indicatur. Nam circulus figuram planā una linea circumductam, in cuius medio punctus est, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiā sunt æquales, una cōmuni significatione significat. At definitio in mēbra illam cōmunionem nominis multis distinctis partibus & dictionibus diuidit. Verū ut abundantius satisficiamus, etiam cōtextum adijcimus græcum. Et iam loquentem Aristotelem audias, Πέφυκε ἡ ἐκ τῆν γνωριμώτερω ἡμῖν ἢ ἄλλοις, καὶ ἀφετέρω ἰδί τὰ ἀφετέρα τῆ φύσε, καὶ γνωριμώτερα. οὐ γὰρ πάντα ἡμῖν τε γνώριμα καὶ ἀπλόως. Διότι ἀνάγκη τὸ πρότερον τὸν προάγει ἐκ τῆν ἀφετέρω μὲν τῆ φύσε, ἡμῖν ἢ ἀφετέρω, ἐπὶ τὰ ἀφετέρα τῆ φύσε καὶ γνωριμώτερα. ὅτι ἡμῖν τὸ πρότερον δὲ ἢ καὶ ἀπὸ τὰ συγκεχυμένα μάλλον, ὕστερον ἢ γνώριμα ἐκ τούτων γίνονται αἱ ἀρχαὶ καὶ τὰ σοιχῆα διακρίσσει ταῦτα. Διό ἐκ τῆν καθόλου ἰδί τὰ καθέκαστα δὲ προίεναι. τὸ γὰρ ὅλον κατὰ τῆν αἰσθησι γνωριμώτερον, τὸ δὲ τῆν καθόλου ὅλον

τὶ ὅτι πολλὰ τῶν περιλαμβανῶν ὡς μέρος τὸ καθόλου. Simul taxatur illi hoc loco qui genus & differentia admittunt priora & notiora specie, sed non totam definitionem: quum Aristoteles uelut definitionem genere & differentia assurgere, ut eam colligat notiosem specie. Insuper si genus & differentia sunt notiora & priora ipsa specie, & oratio illis conflata erit notior: quoniam non disiungitur totum à partibus simul acceptis. Adhæc si tota definitio nõ est notior specie, eã non explicabit, neque per eam demonstrabimus speciem, neque definitio principium erit. Non enim oportet, ut existimant, quæcunq; remeant simul esse & æque nota. quare desinant illi definitionem non esse notiosem nomine uociferari, eo quòd recurat cum nomine.

Alius autem, si eius quod est in quiete & definitum, per indefinitum & quod in motu est, assignata est oratio nobis. Prius enim est & notius quod manens est & definitum, eo quod indefinitum & in motu est.

Locus à motu & indefinito dissipat definitionem positam. Nam definitio omnis quæ reddetur alicuius existentis in quiete, per motum male assignatur. nam manens omne prius est ipso in motu existente. Similiter qui definitum per indefinitum definit, eodem loco reprobatur. ut qui scientiam definiret (quæ sit res immobilis & manens) esse habitum per disciplinam acquisitum, quòd disciplina in motu sit, refelleretur. similiter qui eandem definiret priuationem ignorantie, uel sanitatem morborum defectum, quòd rem perfectam & determinatam per indeterminatum explicet. Nam defectus & priuatio non est ens, ignorantia uero priuatio est, quare indeterminata. sic & morbus, ut priuationem dicat. Peccant igitur qui talia determinata per indeterminata, & immobilia per motum definiunt, quorum error hoc loco sugillatur. Non desunt quidam codices qui ita habent, ἐν τῷ ἐν ἡρεμίᾳ καὶ τῷ ὀρρωμένῳ, hoc est, si eius quod in quiete & definiti.

2
A motu et
indefinito.

Eius autem quod est nõ ex prioribus, tres sunt loci. Primus quidem, si per oppositum, oppositum diffiniuit. ut si per malum, bonum. simul enim natura opposita, & nonnullis etiam eadem disciplina utrorumq; uidetur esse: quare non notius alterum altero. Oportet autem non latere quædam fortasse aliter diffiniri nõ posse: ut duplum sine dimidio, & quæcunq; per se ad aliquid dicuntur. nam omnibus huiusmodi, est idem esse ei quod est ad aliquid quodam modo se ha

bere. quare nō est possibile sine altero alterū cognoscere: eo q̄ necessarium est in alterius oratione coassumi & alterum. Ergo cognoscere quidem oportet huiusmodi omnia, vti autem eis in his vt videbitur expedire.

Primus ab
oppositis.

Cum dixerimus orationem destrui esse definitionem quæcumq; ex prioribus non assurgeret, superest ut sciamus non prioribus constitui orationem. In huius gratiam igitur tres constituuntur loci quibus problema definitiuum non ex prioribus esse probatur. Primus in quatuor modos diducitur, quorum unus est ab oppositis destructiuus definitio nis. Nam quæcumq; sunt opposita, simul sunt. quare definitio oppositi reddita per oppositum non construitur per priora, at omnis definitio per priora est instituenda, ut dictum est, igitur male assignabitur talis per oppositum. ut qui bonum definiret malo contrarium, q̄ malum & bonum sint opposita. quare neutrum altero prius. Videtur etiam nonnullis q̄ eadē sit disciplina boni & mali, ut moralis philosophia. quæadmodum sani & ægri medicina. Cæterum nō est præmittendum silentio quædam esse quæ aliter definiri non possunt q̄ per opposita: ut relatiua per se. nam conuenit relatiuis per se, ut ad aliud referantur, & eorum esse est ad aliud quodam modo se habere. quare necessarium fuerit unum per aliud definire, cui arctissime connectitur, q̄ non sit possibile unum sine alterius occupatione cognoscere: ut duplum sine congressu dimidij definiri non potest. Porphyrius eandem sectam proxime æmulatur in sua introductione, qui genus per speciem, & contra, speciem per genus mutua reciprocatione utriusq; uoluit definire. Dictum est fecundo quodam & subtili intellectu, relatiua secundum se, quoniam unitas ut principium numeri relatiuum est, similiter punctum ut terminus lineæ, quæ tamen non definiuntur per alia correlatiua, quod per se relatiua non sint. Licebit igitur adaptare hunc locum ad propositam definitionem ut uidebitur utilis. ad destructionē quidem, quod non per priora sit tradita definitio, quia per opposita: ad constructionem uero, quod aliter non contingit definire.

Alius, si eodem vsus est ei quod diffinitur. Latet autem, cum non eodem diffiniti nomine utitur. vt si solem stel lam in die apparentē diffiniuit. nam qui die utitur, & sole utitur. oportet autem ad deprehendenda talia sumere pro nomine orationem. vt q̄ dies est, solis latio super terram. nam tunc manifestū quod qui solis lationē super

terram dixit, solem dixit. quare vtitur sole qui die vtitur.

Locus ab eodē problema definitionis infirmat, quòd nō per priora ² neq; notiora cōstruatur. Nā id omne quod idem alicui, illud neq; prius, Ab eodem. neque posterius est, sed simul: at definitio per priora emolenda uenit. quare qui nomē idē definiendū definitioni cōiunxerit, reijcitur: siue nomē quo cōtinetur definitum. Nam aliquando nomen pror̄sus idem definitioni nō immergitur, sed aliud distinctū, quo ipsum cōtinetur. quod assignanti illius definitionem per apertum fit. ut qui definiuerit solem, stellā in die apparentē, nō uidetur uti definito in definitione, q̄ solis nomen non afferatur ad definitionem illam: sed si quis perscrutetur altius ipsam naturam, nomine diei latēter concludi solem agnoscat: quod resolutione diei definitionis in partes peruium fiet. Definitur nimirum dies, solis latio super terram. quare qui in locum diei definitionem adiunxerit illius, idem nomen poni in definitione ei quod definitur, colliguescet: ac si definiretur, sol stella in solis latione super terram apprens, qua manifeste definitum agnoscitur arceri. nam dies solem includit. Quod ἡμεροφάνης dixit Aristoteles uno nomine, uersum est, in die apprens.

Rursum si eo quod ediuerso diuiditur, id quod ediuerso diuiditur diffiniuit. Vt impar est qui unitate maior est pare. simul enim natura, quæ ex eodē genere ediuerso diuiduntur. impar autem & par ediuerso diuiduntur. nam ambo numeri differentia.

Locus à differentia eiusdem diuisionis interimit definitionē positā. ³ nam quæ eiusdem diuisionis habentur differentia, sunt simul natura, A differentia eiusdē diuisionis. quare una non erit prior altera: at definitio uult per priora assurere. quare qui definiuit imparē, qui unitate maior est pare: quòd impar & par sint eiusdem diuisionis differentia, cuius una neque prior, neque posterior altera, male definiuit. Quod dictum est superiore loco ab oppositis relatiue, consimile uolumus intelligi in differentijs eorundem. Impar autem & par numeri sunt differentia, sed numerus par & numerus impar, species iudicatur. Quidam abundantem & perfectum numerum dicunt imparē & parē.

Similiter autē & si per inferiora, superiora diffiniuit. Vt parē numerū, qui bipartite secatur: aut bonū, habitum virtutis. nam & bipartite sumptū est à duobus, quæ paria sunt: & virtus, bonū quoddam est. quare inferiora hæc ¶

illa sunt. Est autē necesse eū qui inferioribus vtitur, & illis vti. nā & qui virtute vtitur, bono vtitur: eo q̄ bonū quoddam virtus. similiter autem & qui bipartite vtitur, & parte vtitur: eo q̄ in duo secari, significat bipartite secari: duo autē paria sunt. Vniuersaliter igitur dicendo vnus est locus, non per priora & notiora fecisse orationem: partes autem eius, ea quæ dicta sunt.

4
Ab inferioribus.

Locus ab inferioribus labefactat definitionem. ut si quis dicat definiiri numerum parē, qui bipartite secatur, errat: eo q̄ vsus sit nomine inferiore definitio, at definitio superioribus & prioribus connecti desiderat. nā bipartite à duobus desumitur, quæ inferiora sunt parē. nō enim quicquid par, est duo: sed quæcumq; duo, sunt par: quare & quicumque bipartite vtitur, & parte: quod bipartite secari in duo indicet, duo autem paria sunt. unde constat & definitum collocari in definitione, si resolueretur nomē in definitionem. Aristoteles habet δ̄ δ̄ίχα, quod uersum est bipartite: quadrantius diceremus duatim, seu duplicatur, q̄ δ̄ δ̄ίχα ἀπὸ τῶν δύο ἐπιληπτοῦ, id est, duatim à duobus sumitur. Similiter definitio boni hæc, habitus uirtutis, reprobatur, q̄ uirtus sit inferior definitio & illius species: est enim uirtus quoddam bonū. qui igitur uniuersalius & superius per minus cōmune & inferius definiuerit, per peram nauabit operā: ut quicūq; genus per speciem definiuerit. Vnus ergo locus est communis istis quatuor, qui dicatur à non prioribus & notioribus, destructiuus definitionis, cuius partes sint quatuor: ab oppositis, ab eodem, ab eadem diuisione, & deniq; ab inferiore. quibus omnibus monstratur definitio nō per priora dari & notiora tantum, quare destruitur statuta pro definitione oratio.

Secundus autem, si res, cum sit in genere, non ponitur in genere. Nam in omnibus huiusmodi peccatum est, in quibus non prius ponitur in oratione, quid est. ut corporis diffinitio, quod habet tres dimensiones: aut si quis hominem diffiniuit, quod est sciens numerare. non enim dictum est quid est, quoniam magnitudo quæ habet tres dimensiones: vel quid est, quoniam animal quod scit numerare. genus autem vult quid est significare: & primū apponitur, eorum quæ in diffinitione dicuntur.

5
A generis abientia,

Locus hic in tres partes diuidetur, qui secundus dicitur eorum quibus non per priora & notiora monstratur definitio posita (nam tres

ponebantur) cuius primus à generis absentia destructiuum munit argumentū contra definitionē. si enim proponatur quædam alicuius definitio, in qua genus illius non sit, destruitur, q̄ primum in definitione uera genus sit, & ipsum quid est, cui differētia ut qualitas denominās qualem aduenit. ut qui corporis diffinitionem sustinuerit esse, habere tres dimensiones, eo q̄ genus corporis non inseruerit primum definitionis cōpositioni, reprobatur. nam definiti habētis genus, id ipsum primum est collocandū, corporis autē habetur genus magnitudo seu continuū. quare notā nō substituērit definitionē, qui genus & ipsum quid prætermisit. Premetur eodem argumenti pondere, qui hominē definirēt, scientem esse numerare, q̄ hominis genus oscitanter omiserit. Nos adiecimus quæ in latino omīssa uolumine fuerāt contextui ad phrasim græcā. nā in principio ita habet, ἐπὶ γένει τῶν περὶ γένεσιν ὄντων, μὴ νῆται ἐπὶ γένει. & paulo post, οὐ γὰρ ἐπιτεταί τι ὁρ, ὅτι μέγθος ὁ τῆς ἐξ ἁ δὲ σαφές: ἢ τι ὁρ, ὅτι ἕωρ ὁ ἐπίσταται ἀριθμῶν. Ex cōsideratione generis igitur poterimus tanquam ignotam ostendere definitionem, quam destitui genere concluderimus: q̄ notior esse nō possit nomine, nisi genere & differentia constituatur.

Amplius si ad plura cum dicatur id quod diffinitur, nō ad omnia assignauit. Vt si grammaticen, scientiam scribendi quod profertur. nam indiget & q̄ legendi. nihilo enim magis scribendi quàm legendi assignat, qui diffinit. quare non alius, sed qui vtraq̄ hæc dicit: eo quòd plures non contingit eiusdem diffinitiones esse. In quibusdam profecto secūdum veritatē se habet vt dictum est, in quibusdam autem non: vt in quibuscunq̄ non per se dicitur ad vtrunq̄, vt medicinam, scientiam sanitatem & ægritudinem efficiendi. nam de illa quidē per se dicitur, de hac autem per accidens. simpliciter enim alienum à medicina, ægritudinē efficere. Quare nihil magis diffiniuit, qui ad vtrunque assignauit, quàm qui ad alterum, verum fortasse & deterius: eo quòd & reliquorum quodlibet, potest ægritudinē efficere. Amplius si non ad melius sed ad peius assignauit, cū sint plura ad quæ dicitur quod diffinitur. Nā omnis disciplina & potestas, optimi videtur esse.

Locus ab imminutione definitionē propulsat cōstructam. Debet enim ipsa totam definiti naturā explicare. quare quæcunq̄ ad omnia defi-

6
Ab imminu
tione.

niti accommodari non poterit definitio, male assignatur. Si igitur definitum unius rei est, & definitio. ut duplum sit dimidij tantum, & illius definitio tantum unius naturæ erit expressiva. Quoddam uero nomen est plurimum, ut habitus & potentia ad plura dicuntur. oportet igitur talium definitiones hæc plura continere, ad quæ dicuntur. quare qui definiuerit grammaticam, esse scientiã scribendi, male definire monstratur: quod definitum secundum se ad plura dicitur (nam ad scripturã dicitur & lectionẽ) definitio uero tantum alterã partem conclusit: quare nõ est clara & absoluta: sed reddenda erit perfecta, quæ hæc enuntiabitur, scientia legendi & scribendi: quam uere definitionem & non aliã recipimus, quod non contingat eiusdẽ esse plures definitiones. Si tamẽ definitum se haberet ad plura, ut ad alterũ quidem per se diceretur, ad reliquum uero per accidens: non magis definietur tale definitione utrumq; comprehendente, q̃ ea quæ solum alterum per se continet: sed multo minus hac definietur, quod sæpe contingat alienum esse à natura definiti id ad quod secundum accidens dicitur. Id autem quod à substantia defecit uniuscuiusq;, in definitionem non est deducendum, cũ definitio substantiam indicare debeat tantum: nisi quis plures uelit admittere eiusdem definitiones. Quare qui definiuerit, medicinam esse scientiam effectiuam sanitatis & ægritudinis, male definiuit, q̃ per se non sit medicinæ ipsam ægritudinem amplecti. similiter si definitum ad plura dicatur, quorum alterũ melius, alterum uero peius, si definiuerit per peius, uel per melius & peius, deprehenditur falsus: q̃ ratio uniuscuiusq; & substantia in meliore tantum collocanda est. ut qui potentiam per bonum & malum, uel disciplinã definiuerit esse boni & mali habitum: quod hæc sint per bonum & optimũ explicanda, nõ autem per malum, redargutionis locum non poterit effugere.

Rursum si non positum est in proprio genere quod dictum est, considerandum ex ijs, quæ ad genera sunt, elementis: quẽadmodum est dictum prius. Rursum si transiliens dicit genera. ut qui iustitiã æqualitatis habitum effectiuũ, uel distributiũ æqui. nam trãsilit, qui sic diffinit, virtutem. relinquẽs igitur iustitiæ genus, nõ dicit quid est esse (nam substantia vniciq; est in genere) est autẽ hoc idem ei quod est nõ in proximo genere ponere. Nam qui in proximo posuit, omnia superiora dixit: eo q̃ omnia superiora genera de inferioribus prædicatur. Quare aut in proximo

genere ponendū, aut omnes differētias superiori generi addendū, per quas diffinitur proximū genus. sic enim nihil erit prætermisſum, ſed pro nomine, in oratione dictū erit inferius genus. qui vero ipſum ſolū ſuperius genus dicit, non dicit & inferius genus. nam qui plantam dicit, non dicit arborem.

Locus à genere deſtruit definitionem, quòd oporteat in definitione ⁷ definiti primum genus collocare. Qui igitur definiūt numerū per ſubſtantiam, peccant, nec definiunt: quoniā genus maxime quid eſt dicit. Verum an nō dicatur propriū genus definiti in definitione, perſpicēdum eſt ex ijs locis elementisq; in quarto Topicorum ad problema generis examinandū expoſitis. Quòd ſi poſuerit quidem in genere, uerū id ſit tranſiliens & remotiſſimū quo definit, peccabit: quòd totam naturā definiti non reſoluet. nam genus tranſiliens dicitur, non propinquum genus ſed remotum. qui igitur neglecto propinquo genere conſigit ad nō propinquum, peccat, eo q̄ quid eſt planè non dicit. nam ſubſtātia definiti eſt magis in propinquo genere, quā in remoto. qui enim proprium dicit, & remota ſuperiora omnia, nō tamen contra. Qui igitur definiuerit iuſtitiam, habitum æqualitatis effectiuum, ſiue habitum æqui diſtributiū, peccat: q̄ deſeruit proximum genus iuſtitie, ut uirtutem: nō autē uicinum acceperit, ut habitū. quare & tota natura definiti nō indicatur ea definitione: in genere enim maxime continetur ſubſtātia illius quod proximum fuerit. Adhæc illud omnia ſuperiora inferit genera, ſuperiora uero non ipſum proximū inferūt. quare plus eſt ponere proximum, q̄ remotum genus. Quòd ſi quis adiūxerit definitioni remotum genus, neceſſe fuerit deſcendere per differentias continuo acceptas & ſine interruptione ad differentiā conſpirantem cū ſpecie. & definito, quibus & genus uicinum ſeu proximum continetur. Sic enim nihil prætermittet, qui pro genere proximo definitionē dicat incluſam in definitione ſpeciei ſtatutæ. ut qui hominem definire uelit per genus tranſiliens & remotū, huic adiungendæ uenient omnes differentie ſtatuto ordine & continuo quibus genera intermedia diffiniuntur homini cōuenientia, donec peruentū fuerit ad differentiam comitantem cum ſpecie. ſic igitur definietur, ſubſtātia corporea animata ſenſibilis rationalis mortalis: in qua manifeſte deprehēditur genus proximum reponi, q̄ in eius locū definitio ſtatuetur, quæ eſt, ſubſtātia corporea animata ſenſibilis. Perfectiſſima itaq; eſt & abſolutiſſima t̄

C. iij.

lis definiendi methodus, quæ à summo per differentias cōtinuo ordine dispositas ad propositum decumbat. cuius mentionē ualde ingeniosam in secundo posteriorum fecit Aristoteles. Occurret statim importunus sophistes quod eiusdem plures haberentur definitiones, cum ea sit definitio hominis, animal rationale mortale ab omnibus recepta, quæ diuersa est à superiore quam nunc protraximus à superiore genere. Huic Arist. satisfacit, qui easdē innuit: cū nihil differat nomen uel eius definitionē adferre: at, inquit, pro nomine & genere inferiori dicitur definitio, idem enim est dicere animal & substantia corporea animata sensibilis: quare unum uel alterum constituere in definitione hominis idem fuerit. Hoc tamen summopere obseruādum est, ne sumpto genere superiore omiserint cōtinuum & coniuñctum illum differentiarum ordinem: quod parū diligenter inspiciunt, qui animal substantiam animatā sensibilem definiunt. Imperfecta quidem omnis huiusmodi est definiendi ratio, quæ neque genus propinquum amplectatur, neque in eius locum definitionē admittat. In alterutram enim incidere oportet partem, uel quod per propinquū genus, uel per remotū adiunctis differentijs coniuñcto ordine dispositis diffinitio struatur. qui autē substantiam animatam sensibilem dicit definitionem animalis, differetiam deserit corpoream, quæ de natura animalis existit. quare totam non exprimit. si obieceris, animata infert corporeā, igitur qui dicit differētiam animatā, & corpoream dicit. Respondeo concedendo omnem inferiorem differentiam superiorem inferre, non tamen oportet sequi quod unio fiat possibilis generis superioris cum disiuncta differētia, ut substantiæ cū rationali, nullis intermedijs ad opus uocatis. Sicut enim forma cuiuslibet materiæ non aduenit, sed tali, uel tali, quæ requirat conueniens naturæ sui ipsius receptaculum, sic nec materia quamlibet formā sine certo foedere admittet ad entis compositionem. nō enim materiæ quæ apta est ad formā substantiæ recipiendam accommodabitur formæ humanæ receptioni, neq; homo, nisi ex certo quodam efficitur, ut in primo ab Aristotele τὸ δὲ φουκῶν ἀρχῶν docetur. nō enim homo potest esse, nisi primū sit substantia, dein corpus, post hoc uiuens, ad hæc sit animal, & in super si placeat adiungere partiæps rationis, demum per rationale mortale absoluitur hominis natura. Quare si homo non possit esse, ut sit substantia tantum & rationale mortale, quin & corpus, & uiuens, & animal: neque putandum est solo genere supremo uel remoto cum differentia definito propria assurgere definitionem. Vnde habes non hallucinari eos qui fatētur differentiam superiorem

de inferiore prædicari, quòd oporteat transiliendo genus decumbere per differentias continuò ad speciem imã. si quis taliter susceperit definiendã, quis aded ineptus est qui sensibile de rationali diffitebitur dici proprie? Alioqui neq; animal de homine dicendum erit prædicari. Nam sicut habet genus ad speciem, & illius differentia ad huius differentiam: quod & Porphyrius testatur, Quæcumq; inquires, prædicantur de genere ut genere, & de speciebus: & quæcûq; prædicantur de differentia ut differentia, & de specie. nam ratione uti prædicatur de rationali differētia, & inferioribus. Neq; dicas cum frigidulis illis, qui asserunt esse accidens quod prædicatur. Locus igitur sic intelligatur, q̄ definitio si genus transgrediatur propriũ, cui non adiunxerit differentias continuas, tanq̄ imperfecta finitio & relinquens quippiam de natura definiti improbanda uenit: q̄ genus propinquum oporteat sumere, uel remotum cum decursu differētiarum continuo, donec deuentum sit ad differentiam cum nomine obambulantem.

Rursum in differentijs similiter considerandum, si & differentias dixit generis. Nam si rei nõ specialibus diffiniuit differentijs, aut si etiam omnino aliquid huiusmodi dixit quod nullius contingit differentiam esse (vt animal, aut substantiam) manifestum quoniam non diffiniuit, nullius enim differentia, quæ dicta sunt. Videndum autem & si est aliquid quod ediuerso diuiditur dictæ differentia. Nam si non est, perspicuum quoniam non erit, quæ dicta est, generis differentia. nã omne genus ijs, quæ ediuerso diuiduntur, differentijs diuiditur. ut animal gressibili & volatili & aquatili & bipedi. Aut si est quidẽ ediuerso diuisa differentia, non verificatur autẽ de genere, manifestum quoniam neutra erit generis differentia. omnes enim quæ ediuerso diuiduntur differētiæ, verificantur de proprio genere. Similiter autem & si verificatur quidem, at non facit apposita generi, speciem. Nam manifestũ, quòd non erit hæc specifica differentia generis. nam omnis specifica differentia cum genere, speciem facit. si autẽ hæc non est differentia, nec quæ dicta est. quia huic ediuerso diuiditur.

Locus duobus superioribus expēdebatur problema definitiuũ, quo-

C.iiij.

8

A differētia

rum partes subiunximus: tertio igitur loco aggrediamur nūc eiusdem
 examen per differentiarum generis assignationem probam-uel impro-
 bam. Destruetur itaq; definitio, in qua definiti non numeratur differen-
 tia: Vel aliquid datur pro differentia, quod nullius prorsus est diffe-
 rentia: Vel si huic datae non est alia differentia, quæ assignatur oppo-
 sita in eadem diuisione generis: Vel si sit in diuisione eadē generis dif-
 ferentia opposita, non tamen de genere uerificatur: Vel si in eadem sit
 diuisione uerificeturq; de genere, non tamen generi copulata speciē fa-
 ciat. his omnibus quinque modis improbam definitionē mostramus, quod
 differentia generi adiūgenda ad definitionē non esseretur, unde igno-
 tior cōcludetur definitio. quare ad destructionem iuuabit inspicere, an
 generis differentias definitione definitior complectatur. ut qui defini-
 ret hominem animal in sublime caput erigens, quod differentiam non
 assignauerit maxime propriam seu specificam, sed accidentariam tan-
 tum, confutatur. Triplex enim proditur differentiaē acceptio, quam à
 Porphyrio uelim requiras copiosius, is nimirum communem & pro-
 priā & propriissimā fecit. nam ita habet, ἢ διαφορὰ ἢ κοινὸς τε, καὶ
 ἰδίως & ἰδιωτάτα λεγέσθω. & communem eam intelligit, qua dif-
 fert quippiam accidente cōmuni & separabili: Propriā uero, qua pro-
 prio & inseparabili accidente. Propriissimam autem qua differt quip-
 piam ab altero qualitate specifica. Nomine qualitatis differentiam sub-
 stantiaē intelligo, ut Aristoteles in quinto, τὴν μὲν τὰ φυσικὰ, τὸ ποιὸν
 λέγεται ἕνα μὲν τρόπον ἢ διαφορὰ τ' οὐσίας, οἷον ποιὸν τι ἀνθρώ-
 πος ῥῶον, ὅτι δίπτερον, ἰππος δ' ἐτετράπτερον: καὶ κύκλος, ποιὸν τι
 σχῆμα, ὅτι ἀγώνιον, ὡς τ' διαφορὰς τ' κατὰ τὴν οὐσίαν ποιότη-
 τος οὐσης. hoc est, quale dicitur uno quidem modo differentia substan-
 tiaē, ut qualenam animal homo, quoniam bipes, equus uero quadrupes:
 & circulus qualis figura, quoniam inangularis: tanq; differentia secu-
 dum substantiā qualitas sit. Quare nō ueniūt audiendi, qui differentiā
 omnem prædicamenti qualitatis uoluerunt esse. Nam si genus alicui ac-
 cidit, & species: at qualitas substantiæ accidit, igitur & species illius:
 quare si differētia species sit qualitatis, accidet illi cuius est differētia.
 nam si genus sit accidens, & species. similiter idem prædicaretur de-
 nominatiue & uniuoce de eodem. nā si genus prædicetur denomina-
 tiue de aliquo, & de eodem species aliqua. Adhæc differētia non esset
 de substantia rei definiendæ. Insuper idem species & differentia ha-
 beretur. sed quid moror in re manifesta, cum Aristoteles habeat longe
 diuersam esse qualitatem illam substantialem à qualitate accidentaria?

Primus mo-
 dus, Si diffe-
 rentia gnis
 definiti non
 assignetur.

Non minus uidentur hi exorbitare à uero, qui proprium in qualitatis prædicamēto reponi astruūt, quos ex dictis non est impendio laboriosum impugnare. nam si proprium est qualitas, & uere accidens. nam omnis qualitas est accidens. Adhæc nullum accidens conuersim de subiecto prædicatur. Verum & de his superius dictū est copiosius. Iam ad institutum redeamus. si quis in super pro differentia adiunxerit, quod nullius sit. ut qui definirēt hominē, substantiā corpus animatū animal gressibile bipes, refellitur, q̄ corpus & animatum & animal non sint alicuius differentia. Vel si pro differentia positum aliquid non habeat oppositā differentiam, destruetur. ut qui hominē definirēt animal esse disciplinæ susceptiuum: quòd animal nō diuidatur in disciplinæ susceptiuum & illi oppositam differentia. nam disciplinæ susceptiuum, non habet differentia oppositam, at genus omne diuiditur differentijs pluribus. quare si assignetur aliquid pro differentia, cui non sit opposita differentia, colligendum est non esse differentiam. si uero in eadem diuisione offenderit oppositam differentiam, non tamen uerificetur de genere, id est, de aliquo ipsius generis uel sub genere contento, manifestum non esse differentiam. ut qui hominem definirēt animal rationale continuum, quòd neq; continuum, neq; discretum. de aliquo sub animali contento prædicentur, non dicētur differentia animalis: q̄ differentia uerificentur de genere per quas genus diuiditur. Hoc loco quidam interpretantur hoc dictum, differentia diuisa non uerificatur de genere, quòd etsi differentia illa non proprie prædicatur de genere, recipit tamen genus particularem utriusq; differentia uerificationē, ut aliquod sanè animal rationale est, & aliquod irrationale. Alij dicunt, quòd differentia diuisa & altera per quas genus diuiditur, si simul sumantur, de genere prædicentur, q̄ totam generis naturā implent. Priorem non approbo intelligentiā, et si uiri sit doctissimi, cui multa debent bonæ literæ, quas ab inferis magno animi sudore, & pertinaci studio reuocauit. Nonnumq̄ tamen in multiplici scriptorū genere bonus, quod aiūt, dormitat Homerus. Differentia enim particulariter nō prædicatur de aliquo, si differentia naturā spectes. Insuper si de animali differentia hominē, quæ dicitur rationale mortale, prædicaretur, ad animalis definitionē conduceret. adhæc differentia illa diuisa minor est, & posterior animali. Quare oportet accipere, si ratione quadā defendi possit, cum genus dicit particularem utriusq; differentia uerificationem agnoscere, pro eo quo dicimus differentiam de aliquo ipsius generis & generi supposito prædicari. Non desunt qui locū hūc mutilatū asserāt;

Secundus, si nullus est differentia.

Tertius, si nullā habet at oppositā.

Quartus, si non uerificetur de genere.

Quintus,
Si generi iū
cta non fa-
ciat speciē.

Et his uerbis restituūt: Aut si est ediuerso diuisa differētia, non tamen sit uera generis differētia. sed hi suam produunt infirmitatem, qui non attingunt Aristotelis scopum, quippe qui uelit argumentis inquirere generis differētiā. uerū si sequēdi essent, nulla ratione differeretur, sed quod probandum esset sumeretur. si uero contingat etiā uerificari de aliquo ipsius generis assignatam differētiā, uerū illi adiuncta speciē constituere nequit, destruitur esse differētia. ut qui definirēt hominem animal erectū. Nam erectum et prouum sunt eiusdem diuisionis, at erectū generi adueniēs definitionem non efficit, quia speciē non referat cum genere: debet enim genus, cum differētia posse speciē constituere. His igitur quinque formulis, quas in unā contraximus à differētia generis uocatas, definitionem infirmabimus, quod generis differētiæ non inferantur cōtextui definitiuo. quare si oratio differētia monstretur carere, et definitionis imperio defecisse conuincitur.

Amplius si negatione diuidat genus. Ut qui lineā definiunt longitudinem illatabilem esse. nam nihil aliud significat illatabile, quàm quod nō habet latitudinem. accidit igitur genus participare speciē. nam omnis longitudo vel illatabilis, aut latitudinem habens est. quia de omni vel affirmatio vel negatio uera fit. quare & genus lineæ cum longitudo sit, vel illatabilis, aut latitudinem habens erit. at longitudo illatabilis, speciē est ratio. similiter autem & longitudo latitudinem habens. nam illatabilis, & latitudinem habens, differētiæ sunt. ex differētia autem & genere, est speciē oratio. quare genus suscipiet speciē orationem, similiter autem & differētiæ: eo quod altera dictarum differētiarū ex necessitate prædicatur de genere. Est autē dictus locus utilis ad eos qui ponunt ideas esse. nam si non est ipsa longitudo, quodā modo prædicabitur de genere quod latitudinem habet, aut illatabile est. oportet enim de omni longitudine alterum eorum uerificari, si quidem de genere uerificari debeat. hoc autem non accidit. sunt autem & illatabiles, & latitudinem habentes longitudes. quare ad illos locus utilis hic locus, quicumque genus unum numero dicunt esse. hoc autem faciunt qui ideas ponunt. Nam ip-

fam longitudinem, & ipsum animal, genus dicunt esse. Fortasse autem in quibusdam etiam necessarium est negatione vti diffinientē: vt in priuationibus. nam cæcū est quod non habet visum, quando natū est habere. Differt autē nihil negatione diuidere genus, aut huiusmodi affirmatione, qua negationem necesse est ediuerso diuidi. vt si longitudinem, habens latitudinem diffiniuit. nam habente latitudinem ediuerso diuiditur, non habens latitudinem, neque aliud quicquam. quare negatione, rursum diuiditur genus.

Locus à negatione differētiam expellit & deniq; definitionem interimit. qui autem diuidunt genus per negationem, & in definitione ipsam ut differentiam generis accipiūt, non dicūtur definire: ut qui lineæ definitionem produunt longitudinē illatabilem esse. nam qui sic definiunt, illatabile sumunt, ut negationi respondeat huic, nō habens latitudinem, & tantum significet. quare non bene definiunt. sic quidem definit Euclides τὴν γραμμὴν, μὴ ἔχει πλάτος, cuius & uerba Aristoteles reposuit. interpres quidem trāssert vnus, longitudinem illatabilem, alter uero sine latitudine. Cæterum q̄ sana non sit huiusmodi definitio per negationem tanq̄ differentiam producta, facile est ex cōsequētibus incōmodis agnoscere. Nam accideret genus participare speciem & differētiam, & utriusq; rationem suscipere, quo stolidius nihil dici potest: cum genus de quamplurimis prædicetur omnium. In primis tamen genus participaret speciem. Nam de omni affirmatio uel negatio prædicatur, quod contradictio sit, cuius nō est medium: at genus per affirmationē & negationem diuiditur, oportebit igitur uel affirmationem uel negationē de eo uerificari. ut de longitudine uerificabitur, uel latitudinem habens, uel non habens latitudinem: quod sint affirmatio & negatio. uerificetur ergo de longitudine longitudo non habens latitudinem, quæ est definitio lineæ, igitur longitudo speciei rationem suscipiet. nam longitudo genus est lineæ, & huius definitio mōstratur de longitudine uerificari. Idem probabitur qui assignarit longitudinē habentem latitudinem prædicari de longitudine. nam longitudo genus superficiei, rationem illius susciperet. quare quod superficies sit longitudo latitudinē habens, concludetur genus participare speciem. similiter genus ostendetur participare differētiam. Nam differētiae longitudinis sunt, habere latitudinē uel non habere, quarum necesse est alteram de

9
A negatiōe

longitudine prædicari: quoniam de quolibet est affirmatio uel negatio. quare quæcumq; illarū differētiarum ponatur prædicari de lōgitudine (nam alteram necesse est) habetur genus differētiā participare: de quo nimirū differentia prædicatur & ratio illius dicitur. quare si differentia altera illarum de longitudine prædicetur, sequitur longitudinem genus differentiam participare. An hic differendi modus sōphisticus sit, neq; omnibus conueniēs, q̄ contradictio in uniuersalibus, quarū uniuersaliter sumitur altera, oppositi ordinis consistat. quare longitudo latitudinem habens & longitudo latitudinem non habens, nō sunt affirmatio & negatio. Ad hæc neq; hæc ratio ualeat, Omnis longitudo latitudinem habet uel non habet: igitur uel habet latitudinem uel non habet latitudinem, à partibus illis coniunctis ad alterā. Nam illæ unitæ referunt totam generis naturam, & constitutiue sunt generis complexæ: at si singillatim sumantur, diuisiue fiunt, neq; de genere prædicantur amplius. Sed alio exemplo reddamus manifestū. rationale quidem & irrationale differentie diuisiue animalis de animali nō dicuntur, sed de ijs quæ sub animali cōtinentur, ut de homine & brutis: sic in proposito longitudo in latitudinem habens & in illatabile dispescitur. uerum de longitudine non prædicabitur longitudo latitudinem habens, sed de superficie: longitudo quidem illatabilis, de linea: quibus contradictio non includitur. ad contradictionem enim desideratur altera uniuersalis, quæ talibus nō cōtinetur. Valebit tamē modus hic differēdi aduersus eos, qui statuūt ideas, quiq; genus unū quid numero esse defendūt. nam unū quid numero ipsa idea, ut ipsum animal, ipsa longitudo. ad contradictionem quidem non erit opus determinatione signi uniuersalis, ut omnis uel nullius. quoniam id quod unū est numero, ut indiuiduū, uniuersalis determinationē refugit. Ineptus profecto fuerit qui dixerit, Omnis Socrates est musicus. quare si ipsum animal, uel ipsa lōgitudo unū quippiā fuerit numero, determinationē nō admittet uniuersalē, sed de eodē numero rationale & irrationale prædicabitur: similiter de lōgitudine, quæ est numero eadē, habēs latitudinē & illatabile prædicatur. quare ad illos solū est locus utilis, qui ideas ponūt, & genus idem esse numero fatentur. Nam si nō defendatur lōgitudo eadem esse numero quæ conuenit lineæ & superficiē, nullo modo prædicari poterit de lōgitudine quod latitudinem habet, uel quod illatabile est, contradictorio modo: quod alterū illorum de omni longitudine uerificari oporteret, si de genere longitudine uerificari debeat. ad contradictionem nanq; oportet prædicatū de subiecto altero dici uniuers-

saliter, sed habere latitudinem uel non habere nō potest de longitudine prædicari nisi ratione partis & speciei: quippe quōd sint quædam longitudo habentes latitudinē, ut superficies: quædā uero nō habentes, ut lineæ: quare particulares sunt tales ordines & nō contradictorij. Verū qui ideas rebus inuehunt, cōtradictionē coguntur fateri, quū ideas numero easdem iudicent: ut $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\eta\kappa\omicron\varsigma$ καὶ $\alpha\upsilon\tau\omicron\epsilon\delta\omega\mu\eta\kappa\omicron\varsigma$, id est ipsissima, ut sic dicam, longitudinem, & ipsissimū animal, ideas & genera faciunt. Neq; illud prætermittendū erit, q̄ ubi habebatur, quodam modo, reposuimus quomodo. Arist. habet, ἐῖς ἓν μὴ ἐστὶν $\alpha\upsilon\tau\omicron\mu\eta\kappa\omicron\varsigma$, καὶ ἐκατηγορηθῆσεται κατὰ τὸ γένος, id est, si non sit ipsissima longitudo, quomodo prædicabitur de genere: ut sit sensus, nisi enim ponatur longitudo tale genus idem esse numero, nullo modo ostendi potest quōd de genere prædicentur contradictoria lege, latitudinem habēs & illatabile. nam longitudo latitudinem habens, & nō habens in parte sumitur. Verum si dicatur ipsissima longitudo, q̄ in utrisq; eadem sit numero & immutabilis re, cōtradictio paratur pugnātissima. Quare dicitur industrie locus hic utilis ad ponentes ideas, quia negantibus eas non accidit quid incōmodi ex rationibus quæ productæ sint. Interdum tamen nihil absonum uidebitur in quorūdam definitionibus admittere negationem, quemadmodum in priuatiue oppositorum fines afferuntur negationes. ut cæcū apte definiemus, quod non habet uisum, quādo natum est habere: quōd natura priuatiuorum nihil esse indicat, priuatio enim nihil est. Cæterum nihil differt negatione genus diuidere (ut cum diuidimus animal in rationale & irrationale, & longitudinē in latitudinem habens & in illatabile) uel affirmatione tali, qua intelligitur negatio, ediuerso diuidi. ut si quis definiret longitudinem, habens latitudinem. nam ea & differentia hæc, non habens latitudinē, ut ediuerso diuisa, intelligitur. similiter in alijs quibus nihil quippiam intelligitur per affirmationē à negatione ediuerso diuisa. A diungi potest hic locus, ut pars sit tertij loci monstrantis definitionem ignotiorem esse locis in problema differentia uocatis.

Rursum si speciē ut differentiā assignauit. ut qui cōiucium, iniuriā cum irrisione diffiniuit. nam irrisio iniuriā quædam est. quare nō differētia sed species est irrisio.

Præter dictos quinque locos in differentia problema denominatos quæ plurimi alij institui possunt in idem, si in comparationē uocetur differentia, quibus definitio ignota comprobatur & destruitur, quia differentia non cōplecti ratione manifestatur. ut hic locus à specie destruit

In quib⁹ ad
mitti definiēdis negatio,

IO
A specie.

differētiæ assignationē, unde & definitionis interemptionē colligimus. Non enim species afferēda est pro differētia in congressum definitiuū. quare qui definiuerit conuiciū, iniuriā cum irrisione, is inseruit quidē speciē definitioni pro differētia, nā irrisio est species iniuriæ, non differētia: quare male definiuit, q̄ speciē pro differētia in definitionē deduxerit. Definitio enim solū genere & differētia assurgere debet: at qui monstrat quippiā esse speciē, ab eodem differētiæ dignitatem tollit.

Amplius si genus vt differētiā dixit, vt virtutē, habitū bonū vel studiosum. nam bonū est genus virtutis. An nō genus est bonū, sed differētia? si quidē verū est q̄ nō contingat idē in duobus generibus esse nō continētibus se in uicē. nam neq; bonū continet habitū, neq; habitus bonū. nō enim omnis habitus bonū, neq; omne bonū habitus. quare nō erunt profecto genera ambo. si igitur habitus genus est virtutis, perspicuū quoniā bonū non est genus, sed magis differētia. Amplius habitus quidē quid est virtus significat, bonū autem nō quid est, sed quale quid est. videtur autē differentia quale quid significare.

II **A genere.** Locus à genere destruit problema differētiæ. quare qui in definitione construenda pro differētia constitutiua genus assignauerit, male definit. hoc loco patet uirtutem non probe defini per habitum bonū uel studiosum, si bonum genus sit uirtutis & non differētia. nam pro differētia genus desumeretur. Cæterū genus nō uidetur esse uirtutis bonum, sed magis differētia: quòd non contingat eiusdem speciēi plura esse genera, quorum unum alteri non subiiciatur: bonum autem habitum non continet, neq; de eo prædicatur, quòd sint habitus etiam mali, ut uitia: genus autem de speciē uniuersaliter prædicatur. Neq; contra habitus prædicatur de bono, quòd quædam bona sint non in habitu consistentia, ut felicitas & operationes studiosæ. quare si non contineat unum reliquum, non poterūt dici uirtutis utraq; genera, quòd oporteret illa superioris & inferioris habitudinē admittere. uerū manifestum est uirtutis genus esse habitū, quare non erit bonum eiusdem genus, sed magis differētia. Insuper habitus q̄ in quid de uirtute prædicatur, magis autem in quale de eadem bonum prædicatur, q̄ in quid: illud uerius dicendum est genus, hoc autem magis differētia. quocirca in exemplo bonū non erat genus re ipsa: sed id dictum erat ex positione, ut desumatur pro studio. Alia tamē est boni uberior significatio.

tio, quæ etiam de humano bono dicitur. & hoc in acquisitū & innatū dispescunt: acquisitum, in bonum naturæ & fortunæ: & illud, in utile, delectabile, & honestū: & inhonestum in uirtutē & officium distrahunt. Quam si quis non refugerit boni notionē, genus uirtutis erit cōfitendum, & in quid de ea prædicaretur, simul omnes habitus studiosos conineret, ut boni rationem suscipiunt. An sint audiendi illi qui bonum in prædicamento qualitatis recipiunt, sed in nulla specie illius, tibi coniectandum relinquimus.

Videndum autem & si non quale quid, sed ipsum quid significat assignata differentia. Nam videtur quale quid omnis differentia significare:

Locus à prædicatione in quid destruit positum in definitione pro differentia esse differentiam, quod omnis differentia magis uideatur speciei qualitatem substantialē significare, q̄ ipsum quid. quare uniuersaliter id omne quod in quid prædicatur, à differentiarum ordine se iungendum. ut quicumq; uel speciem uel genus in differentiæ locū substituerit, huius hoc loco infelix monstratur conatus: unde definitio dissolutionem patietur calamitosam.

I 2
A prædicatione
tūge in quid

Considerandum autem & si secundū accidēs inest definito differentia. Nam nulla differentia est eorum, quæ secundum accidens insunt, sicuti neque genus. non enim contingit differentiam inesse alicui, & non inesse.

Locus ab accidente destruit differentiam in definitione reponi, cui accidit speciei seu definito inesse & non inesse. Nulla enim differentia est eorum quæ speciei secundum accidens insunt. etenim differentia, quemadmodum & genus, de subiecti & definiti substantia existit: quod autem substantiam & naturam complet, non contingit ab eo cuius est constitutum diuelli. quare quod monstratur definito accidere, id colligendum est à differentia constitutiua alienum. ut qui definirēt hominem, animal rationale in cælum suspiciens, eo q̄ in cælum suspiciens sit accidens homini, nõ autē differentia, dirimetur definitio constituta. ea enim ingrediuntur contextum definitionis, quæ substantiā monstrant rei & non accidens. Colligunt plus æquo ingeniosi quidam ex opposito rationis, proprium à subiecto separari intelligentia: quod, ut uolunt, insit secundum accidens.

I 3
Ab accidente

Amplius si prædicatur de genere differentia, uel species, aut inferiorū aliquid speciei, nõ erit diffiniēs. Nam nullū

eorū quæ dicta sunt, contingit de genere prædicari: eo quod genus de plurimis omnium dicitur.

14
A prædicatione differentie de genere.

Locus à differentia prædicatione uel inferiorum de genere evertit definitionem positam. quandoquidem genus debet de quàm plurimis omnium prædicari. Si igitur in definitione assignata de genere statuto prædicatur uel differentia uel species uel indiuiduū, non erit tali oratione definiēs. Nam si uere genus in ea assignaretur, de genere non prædicaretur differentia uel species uel indiuiduū. quod si non sit genus in oratione illa, neque definitio fuerit dicēda. ut qui definiret hominē, Socratē esse rationalem, uel uirū rationalem, quod de Socrate pro genere assignato differentia rationale prædicatur, assignata definitio manus dabit.

Rursum si prædicatur genus de differentia. Nam non de differentia, sed de quibus differentia, genus videtur prædicari. ut animal de homine & boue, & de alijs gressibilibus animalibus, nō autē de ea differentia, quæ de specie dicitur. nā si de vnaquaque differentiarū animal prædicabitur, multa animalia de specie prædicabūtur. nam differentia de specie prædicatur. Amplius differentia omnes, aut species aut indiuidua erūt, si quidem sunt animalia. nā vnūquodque animalium, aut species aut indiuiduum est.

15
A prædicatione generis de differentia.

Locus à prædicatione generis de differentia dirimit differentia esse quæ definitionē ingreditur speciei, demū totam definitionē ea assurgētē. Nam genus non prædicatur de differentia, sed de speciebus & indiuiduis, de quibus etiā differentia prædicatur: quod de ijs in quæ diuiditur genus, ipsa prædicatur, differentijs autē in species distrahitur genus. ut animal nō prædicatur de differentijs, sed de quibus prædicatur differentia per quas animal diuiditur, de homine, de boue, & cæteris animalibus: non tamē de differentia hominis uel bouis uel equi uel alterius animalis. Nam si de differentijs animalium prædicaretur animal, ut de gressibili & bipede differentijs hominis, multa animalia de specie prædicabūtur. de quibus enim genus animal prædicatur in quid, id animal est: quare si id prædicatur de gressibili & bipede, gressibile erit animal, & bipes animal. uerū hæc, animal gressibile, & bipes, de homine prædicatur, quæ animalia sunt, igitur multa animalia de homine prædicatur, quod est absurdū. nam homo pluribus animalibus nō constituitur. Insuper id omne, de quo prædicatur genus, est species uel indiuiduū, ut notū est ex generis ratione: & id omne animal, quod animalis definitionē re-

cipit: quare si animal de bipede uel gressibili prædicaretur, & bipes & gressibile species uel indiuidua dicerentur: quòd si hæc absurda (si absurda sint dicenda quæ impossibilia) nõ fatendum est differentiam generi subijci. Si quid igitur generi supponatur, id bene fida ratione colligendũ est nõ esse in numerũ differentiarũ adsciscendũ. quare Boetij sententia uana conspicitur in Isagogẽ Porphyrij scribētis genus prædicari de specierũ differentijs, etsi differētiæ species ipsas informāt. & in eadem opinione municipem habet Ammoniu, qui genera de differentijs & speciebus prædicari proclamat, sed non econtrario.

Similiter autem inspiciendum & si species, aut inferiorum speciei aliquod, de differentia prædicatur. Impossibile enim: eo quòd de pluribus differentia, quàm species dicitur. Item accidet differentia speciem esse, si quidem prædicabitur de ea, aliqua specierũ. nam si de differentia prædicatur homo, manifestũ quoniam differentia est homo.

Locus à prædicatione speciei uel indiuiduorũ de differentia problema differentia corruptit. si enim in definitione aliqua defendatur pars altera esse differentia de qua monstretur species infima prædicari uel indiuiduum, tota corrueat positio. nam id nature nõ quadrabit differentia. Non enim est superioris inferiori subijci, at differētia speciei est maior uel æqua, & indiuiduis superior: quare de specie prædicabitur, non autem contra. Insuper contingeret differentiam speciem esse, si ponatur de differentia aliqua species prædicari. ut si de differentia prædicetur species homo, & differentia erit homo. In hac probatione potest ambiguus esse sensus. Nam non manifestum fit si intelligatur quod homo sit differētia, uel cõtra differentia sit homo. Iac. Faber tamẽ uir profecto in literis melioribus restituẽdis strenuus, uoluit hæc ambiguitatẽ diluere, qui hominẽ esse differentia intelligit, & non differentiam esse hominẽ, si de differentia homo prædicetur. nam inquit uult esse elemētum Aristoteles quicquid apte accommodẽs de differētia prædicatur differētiã esse. inferior enim forma superiori formæ ut subiectum esse uidetur, ut rationale animato, perinde ac albedo colori. Potest & alius esse significatus, quòd si de differentia prædicetur homo, illa differentia sit species. nam si de rationali prædicetur homo, & id omne de quo prædicatur homo species, rationẽ suscipiat speciei, sequitur quòd rationale hominis rationem admittet, quare & rationale homo erit: nam cui definitio conuenit, & nomen. sed id impossi-

D. i.

16
A prædicatione speciei uel indiuiduorum de differentia.

bile, quoniã species infima solum de indiuiduis prædicatur. Neutrũ tamen intellectũ tibi præscribimus determinate sequendum, uerũ quem duxeris clariorẽ, libere deligendum amplectendũque sola ambiguitatis submonitione relinquimus. nõ enim expedit nobis in omnibus aperte proloqui, in quibus etiam gestiret & exhilararetur animus. quare in multis pisces imitanur & Angeronæ fauemus, ne Pythagoram & Harpocratem offendamus.

Rursum si non prior est differentia specie. Nam genere quidem posterior est, specie autem priorem differentiam esse oportet.

17
A differen-
tia quæ pos-
terior est q̄
species.

Locus à posteriori differentia q̄ sit species in destructionem problematis à differentia & definitionis argumentũ præbet uirile. Nã genera præiacere oportet & informata differentijs specificis cõstituere species. quare species ipsa nequit prior esse differentia, quod sit tanquã compositũ ex genere & differentia. nam genus subit materiæ uices, differentia uero formæ, quibus coalescit ipsa species, quæ totum dicitur. unde manifestũ esse potest, si species prior mōstretur ea differentia quæ assignatur in definitione, eã non recte assignari: eo q̄ differentia omnis prior sit specie quã constituit. inde colligere nõ est obscurum definitionis compositæ interitum, cuius talis differentia fuerit pars.

Considerandum autem & si alterius generis est dicta differentia, neq; contenti, neque continentis. Nam non uidetur eadem differentia duorum generũ esse non continentium seinuicem. si autem non, accidet & speciẽ eandem in duobus generibus esse non continentibus seinuicem. infert enim vnaquæq; differentiarum proprium genus, vt gressibile & bipes animal coinferunt. quare si de quo differentia & generum vtrunq; manifestum utique quoniam species in duobus erit generibus nõ continentibus seinuicem. An non impossibile eandem differentiam duorum generum esse non continentium seinuicẽ, sed addendum neque utroque sub eodem existente? nam gressibile animal & volatile animal genera sunt non continentia seinuicem, & vtriusq; eorum est bipes differentia: quare addendum est, neq; sub eodem, utroque existente. nam hæc ambo sub animali sunt. Manifestum etiam quo-

nam non necesse est differentiam omnem, proprium genus inferre, eo quod contingit eandem duorum generum esse non continentium se inuicem: sed alterum tantum necesse est inferre, & superiora huius omnia. ut bipes, gressibile, vel volatile infert animal.

Locus à distinctione generum sub inuicem non positorum differentiam in definitione ordinatam destruit. quare diligenter rimari conueniet proposita quadam definitione, an coterit differentiam alterius generis esse diuisiuam ab eo quod in definitione, cuius est pars, ponitur. Nam si coterit eam esse alterius, neque contenti, neque continētis alterum, neque utriusque ab altero contenti, non erit differentia quae ponitur in definitione. ut qui definiret hominem, animal contemplatiuum uel actiuum: quod contemplatiuum & actiuum differentiae sunt habituum, at habitus genus est distinctum ab animali, neque unum alterum complectitur, neque eidem supponitur, ut peruium est, non erit igitur contemplatiuum animalis differentia, neque hominis constitutiuam: nam omnis speciei differentia constitutiuam, & ipsa est generis diuisiuam, quod non praetermisit silentio Porphyrius, qui easdem differentias diuisiuas generum & specierum completiuas, quas omnes specificas singulari nomine nuncupandas autumauit. Prius est igitur differentiam esse diuisiuam generis, quam constitutiuam speciei. diuisio enim definitionem praecedat. quare si non sit generis diuisiuam differentia, neque speciei constitutiuam. Verum qui monstrat differentiam aliquam alterius generis non conuenientis esse differentiam, huius propositi differentiam tollit: quod impossibile sit differentiam eandem duorum esse generum non conuenientibus non continētibus se inuicem uniuocae acceptam contineri. quare & naturam duorum generum participaret dissidentium omnino, quod omnem egreditur rationis modum. Nam quoniam differentia illa ponitur duorum generum distinctorum, utrumque genus inferre uidetur: & de quo differentia illa praedicabitur, & utrumque genus. quare si de specie differentia ponatur praedicari, & utrumque genus de eadem praedicabitur. quare & species illa utrumque genus participabit, & erit duorum generum non continentium se inuicem. ut istae differentiae bipes & gressibile animal inferunt, & de qua specie haec praedicantur, de eadem & genus. quare si diuersorum essent generum, de eadem genera diuersa praedicarentur: at diuersorum generum & non subinuicem positorum diuersae sunt species & differentiae, igitur fieri nequit ut eadem sit

D.ij.

18

A distinctio
ne generum
non continentium
se inuicem

species diuersorum generū. Dilutio. Fieri nō potest ut eadem differētia sit diuersorū generum seiuicem non cōtinentium, nisi cōtigerit utraq; sub eodem contineri. Nā illud dictū in categorijs intelligitur nisi utruque sub eodem contineatur. fieri enim potest ut diuersorum generum non subiuicem ordinatorum sit eadem differentia. ut bipes est duorum generum, quorum unum alterum non comprehendit, differentia. nā gressibile animal & uolatile animal genera sunt huiusmodi, quorū utriusq; est differētia bipes. sed quia utruq; sub animali continetur, nihil absurdum uidebitur. simul manifestum est non esse uerum in omnibus unamquāq; differentiam proprium genus inferre determinatum, quoniam contingit eandem differētiā duorū esse generum non continentium seiuicem: ut bipes differentia horum generum gressibilis & uolatilis nō habet inferre utruq; illorū. nam non oportet id omne quod bipes est, esse gressibile animal: quia contingit & aliquod esse uolatile: neq; quod bipes est, sequitur esse uolatile: quia utriusq; est generis ex æquo, & alterū nō habet inferre determinate, sed cū alterius destructione. sic, hoc est bipes & non gressibile, igitur uolatile: uel sic, hoc est bipes non uolatile, igitur gressibile. aliter non contingit inferre proximum genus, superiora tamen genera citra omnem hanc determinationis legem licet inferre: ut animal, corpus, substantiam. Neque ex his colligat speciem unam duorum generum. nam illa differentia est pluribus speciebus cōmunis, sicut generibus, neq; ea differentia species indiuidua assurgit neq; similibus, quæ cōmunes sunt pluribus. sūt qui dicāt Aristotelem uel non loqui ex sententia, uel de differētijs proprijs, uel inepte dicere. quorum iudicium probare uel improbare quia gloriosum non ducimus, officiose prætermittimus.

Videndum autem & si in aliquo differentiam assignauit substantiæ. Nam nō videtur differre substantia à substantia in eo quod alicubi est. quare & eos qui gressibili, & aquatili diuidunt animal, increpāt: tanquam gressibile & aquatile, alicubi significet. An in his quidem nō recte increpant? non enim in aliquo neq; alicubi significat aquatile & terrestre, sed quale quid. nam etsi in sicco sit, similiter aquatile: similiter autē & terrestre, etsi in humido sit similiter terrestre, sed non aquatile erit. attamē si quādoq; significat in aliquo differētia, manifestū quoniā peccabit.

19
A determinatione loci
vel accidētis

Locus à determinatione loci uel alicuius accidētis reprobatur differē-

tiæ constitutionē. Nam alicubi esse, seu in loco quodam, non est de substantia alicuius, neq; quid est esse significat, definitio autem quid est esse significat: quare & quæ eā subintrant de substantia rei oportebit esse. Videndum igitur an quis definiendo acciperit pro differentiā quod alicubi significat. nam si offendatur alicubi significare, & cū alicuius determinatione dici, pro differentiā nomen acceptum in definitione, destruenda est constitutio omnis: q̄ non sit differentiā in ea. ut hoc loco contendunt quidam reprobare hominis definitionem hanc, animal terrestre gressibile bipes, q̄ dicant terrestre locū significare, & terræ inhabitationem: idem de aquatili testantur. Profecto impugnatio illa esset admodum fortis in euerfionem dictorū, si quod sumit uel arbitrantur dici, esset uerū. Ast neq; terrestre, neq; aquatile locum significat actualem, sed potentiam & aptitudinem. nam si homo intra medias aquas enatet, adhuc terrestris dicitur. Similiter & si murena uel scombri uel sepia etiam in sicco consistat, aquatiles tamen sunt. quare manifestum non terræ inhabitationē significare. Si tamen locum significaret illa uel quæcumque alia, non apte pro differentijs statuerentur. uult enim differentiā semper inesse, quod autem cū determinatione loci dicitur, mutato loco non amplius conuenit.

Rursum si affectum, differentiā assignauit. Nam omnis affectus cum magis fit, detrahit à substantia: differentiā autē nō huiusmodi est: nam magis uidetur saluare differentiā id cuius est differentiā. & simpliciter impossibile est singulum quodq; esse sine propria differentiā. nam cū non est gressibile, nō erit homo. & (ut simpliciter dicamus) secundum quæcūq; alteratur habēs, nihil eorū differentiā illius est. nā omnia huiusmodi cū magis fiūt, detrahūt à substantia. quare si aliquā huiusmodi differentiā quispiā assignauit, peccauit. simpliciter enim nō alteramur secundum differentiās.

Locus à passione fouet differentiæ interuersionem. Nam omnis differentiā constitutiua conseruat rem ipsam quā constituit. nam sine differentiā species consistere non ualet. ut si nō sit gressibile, neq; homo: at passio & affectus tantum abest ut rem ipsam conseruet, ut etiam corrumpat, & eiusdem demolitionem procuret. quare qui definiuerit hominē animal frigidum uel calidum: q̄ hæc passiones significant quæ magis rem minuunt quàm adaugeant, magis destruet quàm cōstruet. nam istis res ipsa alteratur, uerum secundum nullam differentiā al-

teratur species, neque corrumpitur: non igitur passio & affectus pro differentia ponendus est. qui igitur tali passione usus fuerit ad depingendam definitionem, ridebitur.

Et si alicuius eorū quæ sunt ad aliquid, nō ad aliud quid differentiam assignauit. Nam eorū quæ sunt ad aliquid, & differentiæ ad aliquid: vt & in disciplina. contemplatiua enim, & actiua, & effectiua dicitur. vnūquodq; autē horū, ad aliquid significat. contēplatiua enim alicuius, & actiua alicuius, & effectiua alicuius.

21
A generis
distinctioe.

Locus à generis distinctione inter speciem relatiuā & differētiā suggerere potest fomentū ad differētiæ destructionem. si enim alicuius speciei differētia asseratur, quæ nō sit eiusdem prædicamenti cum specie, destruenda erit talis differētiæ positio. quare si species aliqua dicatur relatiue & ad aliud, non autem differētia quæ illi contribuitur, non erit differentia quæ dicitur. ut qui definiret patrem animal rationale mortale, quod pater ad aliquid dicitur, non autem rationale mortale, remouentur à differentiarum nomine. Oportet enim speciem mutuari suā naturam à genere & differētis: quod si genus & species in uno sint prædicamēto, haud differētiæ longe aberūt ab eodem, quibus genus diuidatur & species cōstituatur. ut disciplina diuiditur per contēplatiuam, actiuam, & effectiuā differētiās, quæ uti genus, ad aliquid dicuntur. Omnis enim cognitio, uel ad ueri indagacionem, uel actionem, uel opus suscipitur: unde & triplex uita dicitur, contēplatiua, actiua, & effectiua. Volent animo illi hunc locum qui omnē differentiam prædicamēti qualitatis defendunt, cum monstrantur in quo prædicamento sint genera & species, differentiæ collocari.

Considerandum autem & si ad quod natū est vnum quodque eorum quæ sunt ad aliquid, assignauit diffiniēs. Nam in quibusdam quidem ad quod natum est singulum quodq; eorum quæ sunt ad aliquid, solum est vti: ad aliud autem nihil. vt visu ad videndum solum. quibusdam autē, & ad aliquid aliud. vt dolio sanè hauriat aliquis: attamen si quis diffiniuit doliū, instrumentū ad hauriēdum, peccauit. non enim ad hoc natū est. terminus autē est, ad quod natū est: ad quod sanè vtitur prudēs quā prudens, & quæ circa singulū quodq; propria est disciplina.

Locus ab ipso accidēte relatiui destruit definitionē. Cum enim quædam relatiua ad unum tantū referantur, non ea continget accommodari alijs q̄ ijs ad quæ dicuntur: ut uisus est ipse uisibilis solū, neq; cōtingit uti uisu q̄ ad uidendū uisibile, & illi tantū accommodatur. Quædam uero sunt relatiua, quibus contingit uti non solum ad id quod natum & proprie dicitur, sed ad id quod illi accidit & improprie cōuenit: ut *σελεγγίς* proprie accommodatur instrumento ad radendū apto, potest tamen quis & eodem uti ad hauriendum humorem aliquē. Considerandū igitur in relatiuis an cōtingat ijs ad plura uti: quòd si quis definiuerit relatiuū per id quod improprie cōuenit, male definiet. nam differentia reddenda est per id quod naturam & substātiā speciei informat: at quod illi accidit uel improprie cōuenit, tale nō existit: igitur omnis definiens per improprie conueniens non definiet simpliciter. ut qui definiet strigilem instrumentum esse ad hauriendum, quòd differentiam asserat penes id quod improprie conuenit, demonstratur improba definitionis constitutio. nam strigil proprie dicitur instrumentum ad radendas sordes aptum, quo ueteres utebantur in balneis maxime. Per sius, I puer & strigiles Crispini ad balnea defer. tali instrumento radūtur unctā corpora & sudores. Inuenalis, Et sonat unctis strigilibus. siue igitur pectinem significet, ut quibusdā placet sphericum, siue spongiæ speciem, siue proprie instrumentum cōcauum quo sudores stringūtur siue raduntur *σελεγγίς* (quo nomine utitur Arist. nos autem strigile appellamus) qui per id impropriū nomen & peregrinū definiuerit, peccabit: quòd definitio reddi habeat per ea ad quæ natum est unūquodq; proprie dici. Et unūquodq; esse natū proprie ad quippiam, prudentū cōsilio, autoritate, & arbitrio, discemus. illi enim sunt qui super his sententiam ferre debeāt. Idem monstrabitur & clarus de dolio, si definiatur instrumentum esse ad hauriendam aquam. nam per uinum fit dolium non esse ad id natū & institutum, sed ad uinum continendū. quare et si nonnunquam contingat uti dolio ad hauriendum aquam, id tamen proprie non adhibetur illi. quare non naturam dolij definitio illa contineret quæ redderetur per id accidētariū: sed quippiā adulterinū. sic qui definiet medicinā scientiam esse morbi, & improprie sit morbi, proprie uero est sanitatis, redargueretur.

Amplius si nō primi assignauit, quādo cōtingit ad plura dictū esse. Ut prudentiā virtutē hominis, aut animæ: & non rationalis. primū enim rationalis virtus, prudentia. nam secūdum hoc & anima & homo dicitur prudens.

23
A posteriori
re habitu-
re.

Locus à posteriore habitudine dissipat & differentiæ & definitio-
nis constructionē. Quando enim contingit quippiam ad plura dici, non
tamē æqualiter ad omnia refertur, sed ratio prioris & posterioris or-
dinem inuertit, id non uenit per posterius definiendum, aliter uitium cō-
mittet ineluibile, quoniam unumquodq; est definiendum magis per id
quod prioris est, q̄ posterioris: q̄ id sit de natura magis. quare qui fi-
niret prudentiam uirtutem hominis, aut animæ, errorem non uitabit:
nam prudētia in primis ipsius est animæ rationalis, dein animæ, tum
demum ipsius hominis. Sic & fortitudo ipsius irascibilis primum, &
temperantia ipsius concupiscibilis, deinde & animæ, & hominis. qua-
re quicumque per posteriora illa definiet, minus congrue uiuā rei na-
turam attinget, quod non sit adducta speciei differentiæ, quæ poste-
rioris & minus conuenientis afferatur.

Amplius si non susceptiuum est eius cuius dicitur diffi-
nitus affectus vel dispositio vel quoduis aliud, peccauit.
Nam omnis dispositio vel affectus in illo natus est fieri,
cuius est dispositio vel affectus. vt & scientiā in anima, di-
spositio existens animæ. aliquando autem peccant in ta-
libus. vt quicumq; dicunt q̄ somnus est impotētia sensus,
& dubitatio æqualitas cōtrariarum ratiocinationum, &
dolor separatio naturalium partiū cum uolentia. nam
neque somnus inest sensui. oporteret autem inesse, si im-
potentia sensus est. similiter autem neque dubitatio, con-
trariis ratiocinationibus inest: neque dolor, naturalibus
partibus. dolebunt enim inanimata, si dolor eis inest. ta-
lis autem & sanitatis diffinitio: si quidem commēsuratio
calidorum & frigidorum est. necesse est enim sana esse, ca-
lida & frigida. nam cuiusq; cōmensuratio, illis inest quo-
rum est commensuratio. quare sanitas inerit utiq; ipsis.
Item id quod fit, in effectiuū, aut ecōuerso accidit ponere,
sic definiētib. non enim est dolor, separatio naturaliū
partiū, sed effectiuū doloris: nec somnus, impotentia sen-
sus, sed effectiuū alterū alterius. aut enim propter impo-
tentiā dormimus, aut propter somnū impotētes sumus.
similiter autē & dubitationis videbitur effectiuū esse, con-
trariarū æqualitas ratiocinationū. quādoq; enim ad

vtraq; ratiocinātibus nobis similiter videntur omnia secundum vtrūq; fieri, dubitabimus vtrum agamus.

Locus à subiecto qualitatis plurimum ualebit ad destructionem definitionis & differentię. Nam quicumque definiuit qualitatem aliquā per subiectum cuius ponitur esse, eiusdemq; probam reddi definitionē asseruit, à subiecto hausta ratio reprobabit definitionē. nam qui monstrare poterit talem qualitatem ratione aliqua subiecto per quod definitur & cuius qualitas dicebatur esse, nō adherere, eā destruit. Omnis enim dispositio uel passio in eo est cuius est dispositio uel passio. quem admodum scientiā si dixerimus, animę dispositionem, & q̄ in anima nata sit esse, fuerit necessariū, & in cæteris simili ratione. qui igitur quampiam qualitatem subiecti accessione definiunt, cui nequit illa conuenire, grauius peccare dijudicantur. ut quicumq; definiunt somnum esse sensus impotentiam, redarguuntur, q̄ somnus non sit sensus passio, neq; qualitas: sed animalis. non enim dormit sensus, sed animal. si tamē somnus esset impotētia sensus, & q̄ somnus sit ipse sensus per definitionē firmabitur. quare asserūt sic definiētes somnū, alicuius subiecti qualitatem ad definitionem quę nusquam illius constare potest. similem incurrunt errorem, qui dubitationem esse contrariarū rationum æqualitatem definiunt. nam dubitationem inesse contrarijs rationibus oporteret: at dubitatio inest homini ob æqualitatem rationū, non autem rationibus. quibus nanque dubitatio inest, & illa dubitant: quare si dubitatio esset cōtrariorum, contraria dubitarent. Neque eundem errorem euitant qui dolorem esse separationem naturalium partium cū uiolentia definiunt. nam naturalibus partibus nō inesse potest dolor, quibus tamen adiungunt definitionē. dolerent enim inanimata, si dolor inesse posset partibus naturalibus. nam & inanimata habent partes naturales. quare si illis inest dolor, dolebūt: cuius enim est dolor, id dolore premitur: at dolor definitur separatio partium naturalium; igitur & dolor erit naturalium partium: sed non animalis. Non multo felicius definiunt, qui sanitatem esse dicunt cōmensurationem calidorum & frigidorū. nam ex illa definitionum lege necessarium esset sana esse calida & frigida, & ipsas qualitates inanimatas esse sanas: in ipsis nanq; cōmensuratio est calidorum & frigidorum, at cui talis inest cōmensuratio, per definitionem inest & sanitas, quare & sanum. Verū sanitas est hominis, nec nō animalis passio, non autem qualitatum. Adhęc qui inserunt definitioni qualitatem talem, cuius nō potest definitum esse susceptiuum, tota uia aberrare mon-

strantur: quòd definiendo effectum in effectiuo ponant, uel contra effectiuum in effecto. Nam qui somnum definit impotentiam sensus, facit sensum susceptiuum somni: at non est passio ipsius sensus somnus, alioqui sensus dormiret. Insuper somnus non est sensus impotentia, uerum magis alterum alterius est effectiuum. Nam uel impotentia sensus est effectiuum somni (propter impotentiā enim sensus uisui & communis maxime dormit animal) Vel somnus est effectiuus talis impotentia (nam quia dormit animal, impotens est sentire) quare utrūuis dicatur, compertum est effectū ad effectiui definitionē, uel effectiuum ad effectū finem corrogari: at qui definit effectum per effectiuum, uel per effectum effectiuum, singulis naturam non contribuit. quare illegitima ostenditur definiēdi ratio. Confutabitur etiā definitio doloris, quæ trahebatur hæc, separatio naturalium partiū: nam sic accidit effectū esse effectiuū, quod omnem sanā mentem transcendit. dissolutio enim naturalium partium seu separatio est effectiua doloris, non est igitur dolor separatio naturalium partium, nisi effectum sit effectiuum. Taxabitur stylo non dispari dubitationis ille finis, qui describebatur æqualitas rationū contrariarum, quæ æqualitas contrariarū rationū dubitationis sit effectiua, & dubitatio effectū. Est nimirū dubitatio passio mentis propter æqualitatem rationum concepta. Nam quandocumq; ad utranque partem rationes in idem contrariæ deflectuntur, & pondere & sententia pares, ad quas si quis animum intenderit, facile experietur ob æqualitatem rationum & similitudinem animo huiusmodi passionem illabi, qui quod magis sequendum sit, perplexus non cognoscit. quā dubitationis uiam ingressi sunt philosophi antiqui, super rerum generatione & principijs. illi enim quum impendio elaborarēt ueritatem & rerum naturā comprehendere rationibus quibusdam, quibus dederūt manus, longissime à ueritate egressi sunt, uerum eas anxietates Aristoteles in primo de principijs naturalibus, seu physica auscultatione soluit, ὅτι ἡ μοναχὸς οὐτο λυτῶν ἢ τῶ ἀρχαίων ἀπορία λέγεται γομεν μὲν πάντα. De somno si multa requiras habes Aristotelis libellum de somno & uigilia, qui abunde tibi satisfacere poterit, cuius cause omnes distincte non minus quàm ingeniose profertur, quas hac finitione cōclusit mira breuitate Aristoteles τὶ ἐστὶν ὕπνος; τὶ πρῶτον τῶ ἀιδνητῆος κατὰ ληψὶς πρὸς τὸ μὴ δὲ ἰνα ἴδωκε ἐνεργεῖν, ἔξ ἀνάγκης μὴ γινώσκον. Quid est somnus? quod est primi sensuū comprehensio, ut non possit operari ex necessitate quidem effecta. pertrāsio quod Galenus in Aristotelem obiicit libro primo de symptomatum

causis, quia parua & leuia sunt super somni generatione, qui ibidem habet cordis esse affectionem.

Amplius secūdum tēpora omnia, considerandū sicubi dissonet. vt si immortale diffiniuit, animal nunc incorruptibile esse. nam nūc incorruptibile animal, nūc immortale erit. An in hoc quidē nō accidit? nam anceps secundum amphiboliam est nunc incorruptibile esse. aut enim quoniam non corrūpitur nunc, significat, aut quoniam non possibile corrumpi nunc, aut quoniam huiusmodi est nunc, vt nunquam possit corrumpi. quando igitur dicimus q̄ incorruptibile nunc est animal, non hoc dicimus q̄ nunc tale est animal, sed vt nunquam possit corrumpi. hoc autē immortalī idem erat. quare non accidit, nūc idem immortale esse. Sed tamen sicubi accidit quod secundum diffinitionem quidem assignatum est inesse nūc vel prius, quod vero secundū nomen non inest, non erit idem. vtendū ergo hoc loco, quemadmodum dictū est.

Locus à tempore refellere potest definitionem constructam. si aliquando quod in definitione dicitur tempus, diuersum & discrepans à tempore, per definitum conceptum insinuet, destruetur definitio. Nam si definitum omnes temporis differentias ambiat, & quod definitioni inseritur eadem concludet, & contra: quare ab ipso tempore differentiae sumitur locus destructiuus, ex cuius intereptione & definitio euer titur. qui enim definiret id sempiternum esse, quod semper est futurū, hoc loco damnatur, quòd definitum per omnia tempora diffunditur, sed differentia quæ definitionem ingreditur solum futurum enuntiat. Insuper qui definiret hominem immortalem animal nunc incorruptibile, quòd immortale quod definitur, omni tempore mortis immunitatem indicet, at pro differentia positum nunc incorruptibile, omnē temporis naturam non refert, sed præsentē tantum: quare sugillanda erit tradita definitio. Verum quod hoc exemplo dictum est, intelligitur, si differentia illa quæ asseritur, tempus præsens significet. Nam nūc incorruptibile est multiplex & amphibolum. amphibolia enim est in oratione multiplici, etiamsi nullæ ipsius partes sint multiplices, uti cōtingit in differentia assumpta. Tria nempe toto ambitu significata cōprehendit. nimirum & quod nunc non corrūpitur, etsi sit corrupti-

25
Atempore.

bile, ut ferrū dicitur hoc modo quoddam incorruptibile, quòd actu nò corrumpatur. Insuper & quod non est possibile nunc corrumpi, poterit tamen aliquando. denum & nunc incorruptibile sumitur pro eo quod nūc tale est ut nunq̄ corrumpi possit. Cū igitur dicitur quoddā animal immortale esse animal nunc incorruptibile, si futura sit definitio, pro differentia nunc incorruptibile reiectis prioribus significatis, postremū ueniet amplectendum, quæ recurret cum immortalī. Vbi cūq; tamen continget diuersa intelligi tempora definito & definitione nec non differentia, oratio illa definitionem ementietur.

Inspiciendum autē & si secūdum aliud quippiā magis dicitur quod diffinitur, quàm secūdum assignatā orationem. Vt si iustitia potestas æqui distributiua est. iustus enim magis est qui eligit æquū distribuere, eo qui potest. quare non erit iustitia potestas æqui distributiua. nam & iustus esset maxime, qui posset æquum distribuere.

26
A cōparati-
one secūdū
magis & mi-
nus.

Locus à definitionū comparatione secūdum magis & minus destruit definitionem assignatā. si enim definitum aliqua definitione explicari defendatur, & quis monstret eiusdem dari orationem aliquam, quæ magis naturam & substantiam contineat, euertetur prior assignatio. ut sit quispiam definitionem iustitiæ esse hanc potestatem æqui distributiua sustinens, quòd ostendamus iustum magis esse eligentem æquum distribuere q̄ potentem, concludimus tali collatione orationum inter se iustitiam non definiri posita definitione, sed ista quæ magis naturam explicat, iustitia est habitus electius æqui distributius. quū igitur uniuscuiusque definiti ratio summe sit substantiæ expressiua, uidedum est si quis alio definiendi modo reddat substantiam quo minus definiti natura enucleetur. nam ea ratione destruemus assignatam definitionem, qua monstramus alteram magis definitum exprimere. Per orationem intellige definitionem, quod Aristoteles ἡ ὑπὸ λόγῳ ὀνομαζομένη, & in his locis sequentibus.

Amplius si res quidē suscipit magis, quod autē secūdum orationē assignatur, nò suscipit: aut contrā, quod secūdum orationem ei assignatur, suscipit, res autē non. Oportet enim aut vtraq; suscipere, aut neutrū. siquidem idem est rei quod secūdum orationem assignatur.

27
Ab ipso ma-
gis & min⁹.

Locus ab ipso magis & minus destruit definitionem & differentia. Quomodo adeo definitum & definitio inter se coniungantur, ut eandē ha-

beant naturam, necessariū est ex incrementō definiti definitionis sequatur augmentū: & cōtra, si definitio cū aduerbijs magis & minus prædicetur, & definitum: quare ubi cōsiterit definitionem magis suscipere uel minus, non autem definitum, eam destruendam hoc loco curabimus. Similiter si definitum intensiōem & graduum multitudinē admitterit, non autē definitio posita, huius interemptionem procurabimus. ut qui hominem definiuerit, animal album grammaticum, quod homo non magis neq; minus dicit, at definitio uel quod pro differentia defenditur, suscipit magis & minus, quare euertitur. & qui definiret coloratum corpus sensibile, rideretur: quod definitum incrementum suscipere possit non definitio, at oportet aut utrunq; suscipere uel neutrum neq; definitum neq; definitionem. quicquid enim alicui conuenit, & alteri, quod idem fuerit, tribuitur: quare si definitio & definitū sint eadem, & conueniat definito augmentū, & definitioni: & contra, si definitioni, & definito congruet. quare si dissentiant, euertenda ratio.

Amplius si suscipiunt utraq; quidem magis, non simul autem utraque augmentum sumunt. Vt si amor concupiscentia conuentionis est. nam magis amans non magis concupiscit conuentionem: quare non simul utraq; suscipiunt magis. at oporteret, si idem essent.

Locus à dissimilitudine intensiōis destruit definitionē assignatā, in qua monstramus diuersum esse intensiōis gradum in definito & definitione, utrisq; augmentum suscipientibus. ut qui posuerit amoris definitionem esse concupiscentiam conuentionis, impugnatur, quod conuentionis maior corrumpat amorem potius q̄ intendat. non enim magis amans magis concupiscit congressum & conuentionē, quare ex eo qd definitum non simul intenditur ad definitionis incrementum, uel contra, euertetur definitio statuta.

28

A dissimilitudine intensiōis.

Amplius si duobus quibusdam propositis, de quo res magis dicitur, id quod est secundum orationē minus dicitur. Vt si ignis est corpus subtilissimū. ignis enim magis flāma, q̄ lux: corpus autē subtilissimū minus flāma, q̄ lux. oportet autē utraq; magis inesse eidē, si quidē eadē sint.

Locus à cōparatione facta duobus secundū magis & minus à definitione orationē assignatā repudiat. si enim proponantur duæ species, quibus non similiter conueniant definitum & definitio posita, sed cui magis cōuenit definitum, ei definitio assignata minus accommoda-

29

A cōparatione facta duobus.

tur, sed alteri quidem magis, prosternetur definitionis structura. ut qui ignis definitionem suscepit esse corpus subtilissimum, hac ratione infirmabitur, quod de quo definitum & ignis magis prædicatur, de eo definitio minus: & de quo definitio magis prædicatur, de eodem definitum minus: nam ignis magis de flamma quam de luce prædicatur, at corpus subtilissimum de luce magis & minus de flamma dicitur. est enim ignis magis flamma quam lux, porro corpus subtilissimum magis lux quam flamma. quare ob dissimilitudinem illam secundum magis & minus prædicationis de duobus colligitur eversio definitionis. Nam oportet & definitum & definitionem de quibuscumque prædicentur secundum magis & minus similiter dici, quod eadem debeant esse: quare ubi diuersum concipietur uinculum, tollenda ueniet definitio. Admonuimus nomine orationis intelligendam esse definitionem, quod & alij codices ab Argyropilo traducti habent. Tenendæ sunt illæ ignis species ad huius fidem, quas in quinto libro de proprii problemate eduxit. nam carbonem, flammam, & lucem, supponebat esse species ignis ad differendum, quod & nunc facit, si teneatur ignis definitio esse corpus subtilissimum (quod græcè σῶμα τὸ λεπτὸν οὐρανόθεν dicitur) destruetur, quod cui speciei magis conuenit definitum, definitio eidem minus congruit, & cui definitio magis, eidem speciei minus definitum. Vnde manifestum est falsam illam esse persuasionem quam quis induere potest, ut ille qui suspicaretur non esse legendum corpus subtilissimum, sed corpus subtilius. Nam hoc loco conferuntur suppositis duabus ignis speciebus definitum ignis & definitio defensa corpus subtilissimum secundum magis & minus. Simul consequitur minimo labore quouis quatuor locos a cōparatione secundum magis & minus definiti & definitionis. Primus uni definito duas definitiones confert. Secundus & tertius unam uni. Quartus duobus definitum & definitionem dimetienda studuit.

Rursum si hoc quidem similiter utriusque inest propositis, aliud autem non similiter utriusque, sed alteri magis.

30
Ab ipso magis
g's.

Locus hic & ab ipso magis dicitur quo conferuntur duobus definitum & definitio astructa: quibus utriusque si definitum monstratur, ex æquo accommodari, definitio uero alteri magis, alteri minus: uel cōtra, si definitio utriusque propositis similiter congruat, definitum uero alteri magis, alteri minus, facile quouis definitionis destructionem colliget: quod oportet de quibuscumque prædicetur definitum, pariter & definitio: & contra, de quibus definitio, & definitum. quare qui fecerit ignem æqualiter prædicari de flamma & carbone, at definitionem hæc positam cor-

pus leuissimum, non similiter conuenire utrique, sed alteri magis, alteri minus, uel contra, destruetur posita definitio, esse definitio ignis.

Amplius si ad duo diffinitionē assignauerit secundum vtrūq; vt bonū, quod per visum aut per auditū delectabile: & ens, quod possibile est pati aut facere. simul enim idē & bonū & non bonū est: similiter autē & ens & non ens. nam per auditū delectabile, idem bono erit. quare quod non delectabile est per auditū, nō bono idem. nam eisdē & opposita eadem erunt. opponitur autē bono quidem non bonum: per auditum autem delectabili, per auditum non delectabile. manifestum igitur quoniā idem non delectabile per auditum, non bono. si igitur aliquid est per visum quidem delectabile, per auditum autem non: & bonum, & non bonum erit. similiter autē ostendemus quoniam idem ens & non ens est.

Locus à distinctione differentiarum euertit differentiā & definitionem propositā. si quis enim definitionem per duas differentiās reddiderit, quibus simul acceptis eam non assignat, sed utrisq; disiunctis contendit definire, quoddam eiusdem distinctas comminiscatur differentiās, reprobatur. nam eiusdem non sunt differentiæ diuisæ. plures quidem haberi concurrentes ad unam naturam non est diffidendum. Nimirum grammaticen definiemus decenter esse disciplinam legendi & scribendi, qua duæ naturæ & differentiæ ad unā integrā mutuo quodā præsidio grammatices substantiā confluunt. Verum qui quippiā per duas disiunctas definirit, nec simul ad idem acceptas, non recte definit. ut qui bonū definirit delectabile per visum, aut per auditum, q̄ eiusdem duas faciat differentias seorsum positas, ex quarum assignatione manifestam licet contradictionē colligere, reprobatur. simul enim ex proposita definitione idem esse bonū, & nō bonum sequitur. Nam bonū est delectabile per visum, & similiter bonum est delectabile per auditum. quare per definitionē boni continget quippiam esse bonum & non bonum. In primis quicquid est per auditum delectabile, id bonum est ex definitione tradita, igitur à negatione definitionis, quicquid est nō delectabile per auditum, id non est bonum: at delectabile per visum nō est delectabile per auditum, quod bonum constituebatur per definitionem: quare contingit idem bonum esse non bonum. est enim delectabile per auditum bonum, & illud idem non est per visum delectabile, igitur nō

3 X
A distinctio-
ne differen-
tiarum.

bonum per definitionem. eisdem nimirum opposita sunt eadem, at bonum & delectabile per auditum idem sunt, quare & negationes eorum non delectabile per auditum, & non bonum. Sed paucis id monstramus sic, omne quod non est delectabile per auditum, non est bonum: at omne quod est per usum delectabile, non est per auditum: igitur quod delectabile per usum, non est bonum: uerum omne per usum delectabile est bonum, igitur bonum non est bonum. Partes prosyllogismi per definitiones notescunt nimis. Non diuersam rationem sequemur ad fidem inducendam, quod idem sit ens & non ens. nam ens id est per definitionem, quod potest facere. quare quum illud idem quod potens est facere, non sit potens pati, erit consequens per definitionis negationem, quod idem sit ens & non ens. Est enim quippiam potens tantum facere, & non pati, ut deus: aliquid uero potens pati tantum & non facere, ut materia: aliquid quod utrumque potest, ut animalia. id ex Aristotele primo de generatione peruium est, & octauo physicorum, & secundo.

Amplius & generibus & differentiis & alijs omnibus quæ in diffinitionibus sunt assignatis, eis qui orationes pro nominibus faciunt considerandum, si quicquam dissonet.

32
A diffinitioe
Locus à definitione destructiuus est generis, necnon differentie assignate. Monstrabimus enim uel genus uel differentiam assignatam non proprie assignari cupiam, quia definitio generis positi uel differentie non consentiat illi, unde manifesta & ualida contrahitur destructio assignationis. ut sit aliquis qui plantam definiat animal è terra erumpens, quoniam definitio animalis hæc, substantia corporea animata sensibilis, plantæ non arridet, neque animal quadrare eidem connectimus. planta namque sensibilis non dicitur. similiter qui dixerit deum esse rationale, eum redarguemus, quod animal habens usum rationis non consentiat deo, quare neque rationale. non enim animal deo coniungitur. In quibus itaque conspiciemus uel generis definitionem uel differentie ab aliquo distrabi, & genus uel differentiam separabimus. à quo nempe definitio disiungitur, & definitum. & contra. quare siue assignetur genus alicuius siue differentia, utrum probe an improbe assignetur, per definitionem tanquam lance æquissima trutinabimus.

Si autem sit ad aliquid quod diffinitur, aut per se aut secundum genus, considerandum si non dictum est in diffinitione ad quod dicitur, aut secundum ipsum, aut secundum genus. Ut si scientiam diffiniuit, opinionem indiffusibilem: aut

etiam voluntatem, appetitū sine tristitia. omnis enim eius quod est ad aliquid, substantia ad alterū: eo quod idem sit vnicuique eorum quæ sunt ad aliquid esse, id ipsum quod est ad aliquid quodā modo se habere. oportebat igitur scientiā dicere opinionē scibilis, & voluntatē, appetitū boni. similiter autē & si grāmaticen diffiniuit, scientiā literarū. oportebat enim aut ad quod ipsum dicitur, aut ad quod forte genus dicitur, in diffinitione assignari.

Locus est destructiuus definitionis definiti relatiui propter correlatiui absentiam. si itaque proponatur relatiuū definiendum, accurate est rimandum, an in definitionem illius demittatur correlatiuum. nam si eo caruerit, firmissime colligi potest infirmam esse definitionem propositam. nimirum oportet in decernendis relatiuorum rationibus uti alterius beneficio correlatiui, aded talium adinuicem coniuncta est natura, ut alterius diuulsio alteri diuulsione infundat, & substantia unius ad alterū dicitur. quare quodcūque sit relatiuum siue per se, ut duplum, scientia, sensus, opinio, & huiusmodi: siue secundū genus, ut grāmatica, geometria, & similia, quæ secundum scientiā genus horum relatiua dicuntur non per se (nam secundum se qualitates sunt, ut dicitur in prædicamēto qualitatis) definiendum erit per correlatiuum, alioqui in uitium deciderit qui officio se non quæsiuerit ad definitionem relatiui cōpingendam siue per se siue aliter suum correlatiuum. ut is qui tanquā per somnium definiuerit scientiam, opinionem esse indissuasibilem, quod neque correlatiuum secundum se, neque secundum genus scientiam definiuerit, refellitur. oportebat enim eā definire, opinionē scibilis. nā scientia ad scibile refertur. similiter qui finiuerit uoluntatem esse appetitū sine tristitia, eodem argumento taxabitur, quod relatiui dicat definitionē neglecta ope correlatiui, ad quod tamē referendū uenit. nam id ipsum quod est, ad alterū dicitur. quare per correlatiuū erat definiendū uoluntas, sic, appetitus boni, seu appetibilis. nā pro appetibili usus est nomine boni. est quidem uniuersalius nomen appetibilis ipso bono. nā omne bonum est appetibile, non contra, quod & fur appetat aliena surripere. Ad eundem errorem conuersus fuerit, qui relatiua secundum genus citra correlatiui præsidium conabitur definire: ut is qui grāmaticæ definitionem tueretur esse scientiam literarum, quod non definitioni adiunxerit ad quod genus scientia se habeat, ut ad scibile, sed usus fuerit nomine literarum, quod idem non est cum scibili, quo erat

33
A correlatiuo.

opus: quoniam secundum genus dicitur relatiuum grammatica, oportet & ad quod refertur ipseus genus, id in definitione constituere: ad relatiuorum igitur definitiones operæ est pretium correlatiuum adferre. nam si relatiuum fuerit per se, correlatiuum est deducendum per se: ut sciëntia dicitur existimatio scibilis. si uero secundum genus, & generis correlatiuum est inferendum rationi: ut grammatica finiatur sciëntia scibiliū. Nam accessu correlatiui tanquam differentia utitur ad definitionem alterius.

Aut si cum quippiam ad aliquid dicitur, non assignauit ad finem. Finis autem in vnoquoq; est quod optimū est, aut cuius gratia alia sunt. dicendū igitur aut optimū, aut vltimum. vt concupiscentiā non delectabilis, sed delectationis. nam propter hanc, & delectabile eligimus.

34
A medio.

Locus est à medio euer siuus definitionis relatiui ad duo dicti, quorum unum ad aliud relationem habet: ut alterum sit finis, alterum ut ad finem. qui itaq; definiret tale relatiuum per id quod est ad finem, non autem per finem, male definitionem tentabit efformare. Etenim oportet semper in condendis finibus asferre, id quod maxime est de substantia uniuscuiusq;: at quod est unicuiq; optimū, id magis naturæ astipulatur. quare per finem non per medium erigendæ ueniūt definitiones, quippe qui sit maxime germanæ constitutioni congruus. Hoc loco monstramus uacillantem esse definitionem concupiscentiæ hanc, appetitum delectabilis: quoniam delectabile non est finis ad quem refertur concupiscentia: sed aliquid eorum quæ ad ipsum conferunt, uerum finis concupiscentiæ est delectatio. nā propter ipsam delectabile cupimus. oportet igitur dicere concupiscentiam esse appetitum delectationis, ut per finem definiamus.

Considerandum & si generatio est ad quod assignauit, vel actus. Nihil enim talium finis. nam magis quod est egisse & generasse finis, quàm fieri & agere. An non in omnibus verum huiusmodi? penè enim plurimi delectari magis volūt, quàm destitisse delectari: quare agere magis finem quis statuat, quàm egisse.

35
Ab actione.

Locus ab actione infirmit definitionem relatiui positā. ut quicumque per generationem, uel actum, uel motum, quippiā definiret, q̄ hæc actionis sint & eorū quæ ad finem, non fines, male definiet. nam quod fit uel operatur uel mouetur, ad aliquid tendit. non igitur rite parabit

definitionis compositionem per talia. ut qui definirēt album esse corpus quod ad albedinē mouetur, & nondum peruenit ad finem, hoc loco reijciatur: quod per motum uel generationē definiat, quæ minus sunt substantiæ propinqua quàm fines & absolutiones. Verū egisse & generasse, magis fines sunt quàm agere & fieri, quod hæc actus perfectionem nō sentiant acquirendi. id enim quod fit uel agitur nondum est perfectū. si tamen pro fine constitueretur actio, per actionem illam magis quàm per finem & absolutionem conueniret finire. nonnunquā enim in actione maior perfectio & magis finis constituitur quā in absolutione: ut in delectationibus. magis namque uolunt actū delectari quā destitisse à delectatione plurimi, exemplo Philoxeni Eryxij qui, ut testis est fidelis Aristoteles in tertio de moribus, adeo fuit cupedi uorax, uoluptatibus epularum diffusus, in uentrem furens, ut à dijs ipsis precatus sit sibi dari collum ipso gruis longius, quod in ipso tactu summum bonum colloaret, & præsentī delectatione gauderet. Huic sententiæ subscribit & Gnatho ille siculus insignis extremæ gulæ defensor, qui conuiujs accumbens emungebat nasum in pultarijs, ut abstinentibus cæteris solus pro insatiata libidine amplius epularetur. Oportet itaque, ut in summam colligamus dicta, per finem definire, uel per actionem in qua finis reponitur: aliàs lubrica fuerit omnis compositio.

Rursum in quibusdam si nō determinauit quanti, uel qualis, uel ubi, uel secundum alias differentias. Ut ambitiosus, & qualis & quāti appetēs est honoris. nam omnes appetunt honorē. quare nō sufficit ambitiosum dicere qui appetit honorē, sed addere oportet dictas differentias. similiter autē & auarus, quātas appetit pecunias: aut intēperās, circa quales voluptates. nō enim qui à qualibet uoluptate teneretur, intemperans dicitur, sed qui ab aliqua. aut rursum qui diffiniuit noctē, umbrā terræ: aut succussionē, motū terræ: aut nubē, densitatē aeris: aut ventū, motum aeris. addendū enim quāti, & qualis, & ubi, & à quo. similiter autē & in cæteris huiusmodi. nam omittēs differentiā quālibet, non dicit quid est esse. oportet autē semper ad id quo indiget, argumētari. non enim quolibet modo terra mota, neque quantacūque, succussio erit: similiter autē neque aere quolibet modo, neque quantocūque moto, uētus erit.

Locus à defectu circumstantiarum impugnat definitionem assignatam. Sunt enim quædam quæ simpliciter non consistunt & nude obambulant, sed circumstantiarum amictu adornantur: ut quantitatis, qualitatis, loci, uel aliarum, quæ differentiarum uices exercent. quare absq; illis citra offendiculū talia non definiuntur. ut qui moliretur ambitiosum (qui φιλότιμος ab Aristotele dicitur, cui opponit ἀφιλότιμος) honoris appetentem finire, non connectens qualis, neq; quanti honoris, in uanum laborabit, quod nō omnis appetens honorem, sit ambitiosus. omnes enim propemodum honoris & gloriæ igniculis inflammantur. quare adiungendæ erunt differentiæ, quibus quantitas, & qualitas, & modus exprimatür desiderij. has in plenum cogeret definitio, qui ambitiosum dicit esse plus æquo appetentem parui honoris. Nam hæc tria circa magnos honores uersantur, magnanimitas, lentitudo, & pusillanimitas. uerum hæc duo extrema, unum abundans, alterum deficiens: illa uerò mediocritas. sunt etiam hæc tria circa paruos honores, modestia, ambitio, & honoris uacuitas. illa ponitur mediocritas, cui Aristoteles nomen non dedit, hæc reliqua extrema sunt inter se pugnantia excessu, & defectu. super ijs plura ex quarto disce moralium Aristotelis. In eadem uoluntabitur salebra, qui auarum definitur pecuniæ appetentem, sine maiori differentiarum congerie. nam & liberalis & prodigus pecunias appetunt, qui non sunt nomine auari dedecorandi. quare non satis elaborata monstratur definitio, quæ deficiens sit. per differentias itaque, quibus tota exhauriatur auari insatiabilis natura, reddenda erit definitio: ut dicatur auarus qui plus iusto pecunias paruas affectat. Nam liberalitatem, prodigalitatē, & auaritiam, circa paruas pecunias constituit Aristoteles. qua differentia se iungimus à magnificentia, ruditate, & pusillitate. Nā hæc circa magnos sumptus discrimen habet manifestum. Similiter qui definiret intemperantē qui appetit uoluptates, neq; adiungat quales, & quomodo, præuariicator definitionis notabitur. Est enim intemperans, qui circa passiones gustus uersatur & tactus. qui enim mediocritatem seruat, is temperans: qui excedit modum, intemperans: qui deficit (si quis habeatur) is insensibilis. quare non est simpliciter intemperans qui uoluptates appetit, sed qui præter modū gustus & tactus ipsis se totum deuouit. Insuper qui definiunt noctem (ut passim ferme omnes) umbrā terræ, & neq; modum neq; qualitatem deferant, coarguuntur. adhæc non omnis umbra terræ, est nox. nam glebæ umbra, uel magni montis, non dicitur nox: quare ieiunam dicemus traditam definitionem. sed adiungere oportebit quippiam, ut de-

finiatur nox umbra terræ ob solis lationem à nostro hemisphærio. similiter terræ motus, quem interpres succussionem appellat, Aristoteles $\sigma\alpha\sigma\mu\acute{o}\nu$, non plane resoluetur oratione qua enuntiatur terra mota. nã nõ qualibet terra mota dicitur $\sigma\alpha\sigma\mu\acute{o}\varsigma$ & terræ motus, ut si lapide cadente cõtremsceret, sed quæ sit ex spiritu in uisceribus terræ incluso & magno impetu exitu petet. Nos super sedemus quæstioni quæ deponit scire, an aqua terræ motû possit inducere: similiter & ignis inclusus in latebris & cuniculis terræ, quod sit naturalis, non huius negotij, in quo agitur de rationum legibus. Neq; uitium id effugit qui nubem densitatem aeris finit, quum nõ omnis densitas uaporosi aeris sit nubes, sed uehemens à frigore. Neq; uentus sanè definitur motus aeris, sed oportet addere ex euaporatione terræ. Horum posteriorû generationes ex libris, qui de his quæ in sublimi sũt circumferuntur, nõ autem methaurorum, ut balbi illi balbutiunt, petendæ sunt. quibus causam, locum, modum horum omnium, quemadmodum cætera omnia semper non minus ingeniosè quàm sollicitè conclusit Aristoteles. In omnibus igitur assumptis definitionibus quod differentia omittetetur horum naturam perficientes, peccatur: quarû absentia definita suis priuantur definitionibus. quare non sunt aspernandæ huiusmodi differentia, quibus ipsũ quid consequimur.

Amplius in appetitibus, si nõ apponitur quod apparet & in quibuslibet alijs cõgruit. Vt quoniã uoluntas appetitus boni, cõcupiscentia autẽ appetitus delectationis: sed non apparentis boni vel delectationis. plerũq; enim latet appetentes, quoniam bonũ aut delectabile est. quare non necessariũ bonũ vel delectabile esse, sed apprens solum. oportebat ergo sic & assignationẽ facere. Si autem & assignauit quod dictũ est, in ipsas species ducẽdum eũ qui ponit ideas esse. Non enim est idea vllius apparentis. ipsa autem species ad ipsam speciem videtur dici: vt ipsa cõcupiscentia, ipsius delectationis: & ipsa uoluntas, ipsius boni. apparentis igitur boni nõ erit ipsa uoluntas, neque apparentis delectationis ipsa concupiscentia. absurdum enim est esse, ipsum apprens bonum, vel delectabile.

Locus à defectu differentia apparentis dissipat omnes definitionis
 37
 A defectu
 differentia
 apparentis.

neruos definiti sub appetitu contenti. nam hic locus cõmunis est omnibus in quorũ definitionibus tanq; genus appetitus residet: ut uolunta-

tis, concupiscentiæ, iræ, dicitur genus appetitus. tres enim appetitus consueverunt facere species, rationalis, concupiscibilis, & irascibilis. si igitur in reddendis finibus appetituum non admisceatur apparentis mentio, illegitima omnis definitio monstratur. ut si quis definiat uoluntatem esse appetitum boni, uel concupiscentiam appetitum delectationis, non adiungens apparentis boni uel apparentis delectabilis, non bene definit: quoniam non omne quod appetimus est uere bonum uel per se delectabile. Fur enim appetit aliena surripere, id tamen non est bonum per se & studiosum. Insuper contingit frequenter nos falli circa rerum appetitus & desideria, qui sæpe alicuius rei amore deperimus quia arbitramur nobis summam conferri totius uitæ felicitatem, si ea potiri liceat. Nam ut illo Deliaco carmine circumfertur, summe est iucundum si re potiaris amata. Dicitur, & in quibusdam alijs cõgruit, quoniam non tantum apparentis uocem appetitibus adiungimus, uerum etiã & aliquibus alijs, ut syllogismo sophistico qui apparēs appellatur syllogismus. similiter quidam apparent pulchri, ut qui seipos componētes pulchritudinem emētuntur. similiter lithargyrus sensu dijudicatur argentum, & apparens dicitur. Sicut quæ felle tinguntur, aurea apparent. quare exploratum est non tantum in appetitibus recipi apparentis formam, id tamen cõmune theorema omnibus congruit, quod proponitur, quod in quibuscũq; contingit quippiam admittere utrũq; & uere tale & apparens, per utrũq; conueniēs fuerit definire. Cæterum si per ipsum apparēs quispiam definiuerit appetitum aliquem seu in appetituum rationibus immiscuerit apparētis naturam, ad redargutionem talis definiēdi modi peropportunum fuerit disputationē deducere ad idearum positionē. Nam facta transsumptione ad ideas, seu idearum constitutionem, facile fuerit monstrare hanc definiēdi legem improbam esse, quæ per apparens contextitur. Nulla enim idea est alicuius apparentis: at idea ad ideam dicitur, quemadmodum ipsa concupiscentia ad ipsam delectationem & ipsa uoluntas ad ipsum bonum. quare manifestum est ipsam ideam non esse boni apparentis: ut ipsam uoluntatem esse boni apparentis, uel ipsam concupiscentiam delectationis apparentis, absurdum esset dicere: quum in idea nullum sit apparens bonum constituendum uel delectabile. qui igitur apparens attulerit in definitionē alicuius, reprobabitur facta deductione ad ideas in quibus nulla apparētis species conspicitur. ἀυτοπρωμιά, ἀυτοηδός, ἀυτοβόλις, ἀυτογαθόν, nomina sunt idearũ, quibus nõ conuenit apparēs bonũ. nam nulla idea ἀυτοφαινόμενον ἀγαθόν.

Amplius si sit quidē habitus diffinitio, considerandū in habēte, si quidē habentis in habitu. similiter autē & in cæteris talibus. Vt si delectatio est iuuantia, & delectabile iuuabile. Vniuersaliter autē dicēdo in huiusmodi definitionibus, quodā modo, vno plura accidit eū qui diffinit diffinire. nam qui scientiā diffiniuit, quodā modo & ignorātiā diffiniuit: similiter autē & scium & insciū, & scire & ignorare. nam primo dilucido factō, & reliqua quodā modo dilucida fiūt. inspiciendū igitur in omnibus talibus, ne quicquid dissonet: vt edo elemētis ex cōtrarijs, & cōiugatis.

38

A cōiugatis
& cōtrarijs.

Locus à coniugatis & contrarijs definitionem destruit statutam. Quoniam coniugata omnia adinuicem similiter, contraria uerò cōtrarie se habent, conueniet expendere assignatam definitionē, alicuius coniugati per reliquorum coniugatorū definitiones, semper obseruata secundū dictiones ipsas cōiugationis lege in omnibus. Nam si offendatur in aliquo coniugatorum definitio imposita discrepans, & aliena monstratur, destruetur esse definitio assignata illius, cuius in principio cōstituebatur. ut si quis definiuerit liberalitatē esse uirtutē bona elargiētem, eam rationē cōtinget infirmare per cōiugata, quod nō sit liberalis definitio, studiosus bona elargiens, neq; ipsius liberaliter agere, studiose bona elargiri. quare una horum destructa ratione, & prioris evertitur definitio. & ita dicendum in omnibus cōiugatorum definitionibus. nam unius uel destructio uel cōstructio omnibus alijs aduehit interitū uel uitam. Cæterum à contrarijs non uidebitur res magis seria posse ex alterius contrarij definitione alterius uel probitatem uel improbitatem dignoscere, nam contrariorū coniugatorū contrariæ sunt definitiones cōiugatæ. quare qui definiuerit iustitiā esse distributiua equi, & iustū equi distributiuum, & iniustitia monstratur iniqui distributiua, & iniustus iniqui distributiuus. at si alterum horum destruat, & reliqua omnia pessum ire fuerit necessarium. Hinc per manifestum sit in omnibus istis tam coniugatis quàm contrarijs, quoniam accidit aliquo modo ut is qui unum horum definit, reliqua definiat & plura. ut qui definitionem subiungit sciētiae assensum indissuasibilem, & scientē quodammodo definit, & scire: quod unius habita definitione cōiugati, facile concipiatur & reliquorum rationes. similiter quodam modo & ignorantiam, & ignorantem, & ignorare, definit scientiæ definator, quoniam imbibitur cōtrarij definitio per clara ex sumpta alterius de-

definitione. quare in omnibus istis cognoscitur peruia destructio definitionis unius ex alterius euerfione, & contrariā quicquid in uno coniugatorum admittitur, in cæteris conceditur: & quicquid in uno dissonat, in reliquis discrepat: & ita in contrarijs, quia cōtraria coniugata huius facimus loci.

Amplius in ijs quæ ad aliquid sunt, considerandū, si ad quod genus assignatur, & species ad illud quoddā assignatur. Vt si opinio ad opinatū, & quædā opinio ad quoddā opinatū: & si multiplex ad submultiplex, & quoddā multiplex ad quoddā submultiplex. si autem nō sic assignatur, manifestum quoniam peccatur.

39
A specie relatiua.

Locus à specie relatiua destruit genus, unde labe affertur definitioni. Cum oporteat genus relatiuū se habere ad genus alterum, ut species relatiua ad aliam, si constituatur genus quod non referatur ad aliud genus sicut species ad speciem, interimitur. ut sit genus opinio, species uero illius quædam opinio: in super aliud genus opinatū, cuius species quoddam opinatum: manifestum est in his, ut se habet opinio ad opinatum, ita quædam opinio ad quoddam opinatum. quare si opinio dicatur genus alicuius opinionis, & opinabile alicuius opinabilis colligetur genus. similiter ut multiplex ad submultiplex refertur, ita quoddam multiplex ad quoddam submultiplex. quare si species fuerit multiplicis quoddam multiplex, sic & submultiplicis quoddam submultiplex: & si non hoc, neq; illud. quare si assignetur genus quod non se habeat ad genus ut species ad speciem, male constituetur. Sit igitur hic primus locus à specie relatiuorum depromptus, seu à proportionem specierum.

Videndum autem, & si oppositi opposita diffinitio. Vt si dimidij ea sit, quæ opposita est ei, quæ est duplicis. nam si duplex est quod in æquali superat dimidium, & dimidium quod in æquali superatur.

40
A definitione correlatiui.

Secūsus in relatiuis locus appellabitur à definitione correlatiui. Nā si alicuius relatiui assignetur definitio, oportet manifestam fieri correlatiui definitionem ratione oppositionis. nam quia relatiua sunt opposita, & definitiones talem ferent conditionē. ut si duplicis dicatur definitio, quod in æquali superat dimidium, & monstratur correlatiui, ut dimidij, opposita definitio hæc, quod in æquali superatur. Si tamen oppositi non esset opposita definitio, destruenda ueniet. ut qui definerit patrem animal rationale, quod non sit per oppositū, destruitur. oportet.

tet enim in relatiuis oppositis, oppositas esse definitiones. Per oppositi nomen, relatiuum insinuamus.

Et in contrarijs autem similiter. Nam contraria contrarij oratio erit, secundum vnam quandam complexionem contrariorum. vt si adiutiuum quidem effectiuum boni est, nociuum effectiuum mali, aut corruptiuum boni. alterum enim horum necessarium est cōtrarium esse, ei quod ex principio dictum est. si igitur neutrum contrarium est ei quod ex principio dictum est, manifestum quoniam neutra erit earū, quæ posterius sunt assignatæ, contrarij oratio. quare neq; quæ ex principio assignata est diffinitio, recte assignata est.

Locus à definitione contrarij destruit compositam definitionem. Si igitur proferatur cuiusdam definitio cuius habeatur cōtrariū, perspicuum est si contrarij definitio sit cōtraria alterius rationi: quòd si nulla ex parte opponi alteri colligatur, sequetur prioris cōtrarij definitione corrumpi. nam haberet ratio si sane constitueretur contrarij definitionem contrariam. ut si definiatur adiutiuum seu ὀφέλιμον, si uelis, effectiuum boni, & illi contrarietur nociuum, necessarium fuerit definitionē huius alterius rationi contrariari, siue effectiuum mali siue corruptiuū boni: q̄ si neutrum horum contrarietur superioris cōtrarij rationi, est manifestum quòd bene assignatur adiutiui definitio. nam sicut contrarium nomen nomini contrariatur, sic rationi ratio. quare si quid diuersum accidat, perperā assignari putandū est. Additur, secundum unā complexionē contrarietatu, nam multiplicēs contrarietatum modulos secūdo libro recensuimus. quare si aliquo horū modorū nō contingat contrarij rationē alterius definitioni cōtrariari, funditus diruenda est. Sit igitur primus locus in contrarijs à definitione dictus.

41
A definitio
ne cōtrarij.

Quoniam autem quædam cōtrariorum priuatione alterius dicuntur (vt inæqualitas, priuatio æqualitatis videtur esse: inæqualia enim, quæ non sunt æqualia, dicuntur) perspicuum quoniam quod secundum priuationem quidem dicitur contrarium, necessarium est diffinire per alterum: reliquum vero non iam oportet per id quod secundum priuationē dicitur, diffinire. nam accideret alterutrum per alterutrum cognosci. Considerandum

igitur in cōtrarijs huiusmodi peccatū. vt si quis diffiniuit æqualitatē, contrariū inæqualitati. nam per hoc quod secundū priuationē dicitur diffiniuit. Amplius sic diffiniētem necesse est eo quod diffinitur vti. Patet autem hoc, si accipiatur pro nomine oratio. nā quia nihil refert dicere inæqualitatē vel priuationē æqualitatis, erit æqualitas contrariū priuationi æqualitatis. quare eodē erit vsus.

42
a priuatiue
contrarijs.

Locus secundus in contrarijs à priuatiue contrarijs dirimit contrarij definitionē. Contrariorum enim quædam sunt quæ formis actus existentibus adinuicē decertant, ut album & nigrum, calidum & frigidum: & huius salis contraria. Quædam uero priuatiue contrariantur, quod alterum alterius actus priuationem indicet, ut æqualitas & inæqualitas contrariari dicuntur. Pro discrimine igitur horum constituentur duo præcepta quibus cōtinebitur certa indagatio definitionis talibus impositæ. In primis definitioni contrariorum priuatiuorū inseruiens locus statuitur. si igitur instituatur definitio eius quod secundum priuationem dicitur, conspiciendum erit, an in tali definitione reponatur id quod secundum habitum illi est oppositum. Nam si non, destruēda est ratio assignata: quod necesse sit priuatiuum contrariū per alterum secundum habitum definire, ut inæqualitas apte definitur priuatio æqualitatis, & inæqualia non æqualia dicentur. si uero definiendum sit alterum cōtrarium quod secundum habitum dicitur, non etiā ueniet definiendum per alterum contrariū quod secundum priuationem appellatur: non enim mutuum esse potest utriusq; ad definitiones erigendas præsidium. quare qui definiuerit æqualitatem per inæqualitatē, peccabit, dicendo æqualitatem esse id quod est contrariū inæqualitati: quod in definitionem cōtrarij secundum habitum dicti priuationem deducat oppositam. Insuper qui definiunt cōtrarium secundum habitum per priuationem, illi afferunt definitum in definitionem, & utuntur ipso nomine quod definitur in definitionis structura: at nunquam definitum ingreditur suam definitionem, quoniam idem seipso esset notius & prius. quod notū fiet si pro nomine colloctur definitio. detur itaq; ut definiatur contrarium secundum habitum per priuationē, ut æqualitas dicatur cōtrariū inæqualitati: si igitur pro nomine inæqualitatis trāfferatur definitio quæ est priuatio æqualitatis, demum cōsequemur hanc esse definitionē æqualitatis, cōtrarium priuationi æqualitatis: in qua uidetur clare nomē quod definitur collocari. q̄ si id con-

ædere sit stolidi & attoniti prorsus hominis, neque habitus per priuationem definitur, neque priuatio sine habitu.

Si autē neutrum contrariorum secundum priuationem dicitur, assignetur autem oratio similiter. Vt bonum contrarium malo. manifestum quoniam malum contrarium bono erit. nam sic contrariorum similiter oratio assignanda. quare rursus eo quod diffinitur accidit uti. inest enim in mali oratione bonum. quocirca quoniam bonum est malo contrarium, malum autem nihil differt vel quod est bono contrarium: erit bonum, contrarium boni contrario. perspicuum igitur quoniam eodem usus est.

Locus tertius à contrarijs secundum habitum dissipat definitionem instructam. *Quemadmodum in singulis reddenda est definitio per clara, sic & in contrarijs secundum habitum: at quæ simul sunt, æquas notiones produunt, contraria uero secundum habitum simul sunt, quare non licet unum per reliquum definire. Quod si quis unum per alterum studuerit definire, eadem sequentur ipsum incommoda, quæ prius producta sunt. ut qui finierit bonum esse quod malo contrariatur, eadem ratione definitur & malum contrarium bono, cum discriminis nullum reddi possit argumentum. quare sese mutuo iuuabunt mutuis congressibus, sic accidet unum esse clarius altero, & contra: sed id omnia nature monstruositate superat. Ad hæc definitum ingrederetur definitionem & seipsum definiret. nam bonum defenditur finire per contrarium, & contra: igitur si bonum sit contrarium malo & malum contrarium bono, ratio habetur à definito ad definitionem bonum esse contrarium contrario boni. quod si id comprehendat definitum, & definitio boni quæ statuebatur contrarium malo. nam nihil refert an pro nomine mali reponatur quæ asseritur illius definitio. hinc clarissimum fiet idem nomen definitionem propriam consarcire, quod non tantum falsum, sed & impossibile existit.*

43
A contrarijs
secundum
habitum.

Amplius si quod secundum priuationem dicitur assignans, non assignauit cuius est priuatio. ut habitus aut contrarij aut cuiuscunque est priuatio. Et si non in quo natum est fieri addidit, vel simpliciter, vel in quo primo natum est fieri. ut si ignorantiam dicens priuationem, non scientiam priuationem dixit, aut si non addidit in quo natum est fieri, aut addens non in quo

primo assignauit. vt q̄ nō in rationali, sed in homine, vel in anima. nam si quodlibet horum nō fecerit, peccauit. similiter autē & si cæcitatē nō visus priuationē in oculo dixit. oportet autem bene assignantē quid est & cuius est priuatio assignare, & quidnā est quod priuatū est.

44

A subiecto
vel habitu
priuationis.

Locus à subiecto uel habitu priuationis in perniciem definitionis. Discussi sunt aliquot loci in definitionē relatiuorū & contrariorū siue simpliciter dicantur siue secundū priuationē. Nūc uero duo constituuntur in definitionem priuationis. Prior est à subiecto & habitu. Nam id quod secundū priuationē dicitur est explicandū per subiectū, quod priuari indicatur, & per habitū cuius est priuatio, siue cōtrarius sit siue non. simul temporis nota desideratur. quare qui hæc omnia prætermiserit priuationis finitor, nō resoluet planē priuationis naturam, quare peccabit. ut qui ignorantia definit esse priuationē non adiungens cuius habitus fuerit illa priuatio, uel si nullo modo addit, in quo nata est fieri subiecto, uel in quo primo, uel quo tempore. nam oportet dicere ignorantiam esse priuationem sciētiae in anima rationali. quando aptus est discere seu scire. Primo quidē scientia est in anima rationali quæ intellectiua est, ut in subiecto proprio: dein in anima: deniq; in homine. nam quod anima rationalis sit sciens, anima dicitur sciens, & homo. Similiter qui cæcitatē definiens dixerit priuationem esse non determinās cuius fuerit, & in quo, & quo tempore, ieiunus reputabitur. nam pretium est operæ, ut dicatur simul cuius fuerit priuatio, ut uisus: & in quo, ut in oculo: & quo tempore, ut tempore determinato à natura. nam catuli ante legitimum tempus non dicuntur cæci, licet non uideant. Neque obscuritatem silentio operire placuit, qui domi habemus quosdam codices græcos uarios esse, quod in quibusdam tali contextu legitur, ὅτι οὐκ ἐπὶ τοῦ λογισικῶ, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ ἀνώφω. In alijs sic ὅτι οὐκ ἐπὶ τοῦ λογισικῶ, ἀλλ' ἐπὶ ἀνθρώπω.

Videndum autē & si nō secundū priuationē dictū, priuatione diffiniuit. Vt & in ignorātia videbitur esse huiusmodi peccatū, ijs qui nō secundū negationē ignorātiā dicūt. nam quod nō habet scientiā, nō videtur ignorare, sed magis quod deceptū est. propter quod neq; inanimata neque pueros dicimus ignorare. quare non secundū priuationem scientiæ, ignorantia dicitur.

45

A priuatione

Locus qui est à priuatione infirmat definitionē nō priuatiui. Quum

enim priuatio quædam sit imperfectio, fieri nequit ut definiatur non priuatiue dictum per priuationem: quod definitio substantiam uniuscuiusque & perfectionem congregat. qui igitur definiuerit ignorantiam esse priuationem scientiæ, male definiuit, quod non priuatiuum per priuationem enucleet. Ignorantia enim est qua quis falsam rei scientiam obtinet, seu, ut inquit Aristoteles primo Poste. per syllogismum facta deceptio. & ea traditur duplex: aut enim immediatarum rerum, aut quæ per medium uincuntur. & utraq; rursus duplex: aut simplex apprehensio, aut per syllogismum deducta. vnde manifestum quod ignorantia non secundum negationem dicatur, sed secundum dispositionem. quod monstrari potest, quoniam pueri, bruta, & inanimata, non dicuntur ignorare, quæ tamen non habent scientiam. uerum si ignorare esset non scire, hæc omnia ignorarent. quare ignorare non dicit priuationem & omnimodam negationem, sed magis prauam affectionem circa cognitionem. qui itaque definiuerit ignorantiam per priuationem, cum non sit priuationis uox, in uanum laborabit. Occasione huius reuocanda est in memoriam duplex ignorantia acceptio. nam altera est prauæ affectionis, quæ conuenit illis qui disciplinas & scientiam ementiuntur, ut sophistæ: de qua hoc loco intelligitur, quæ priuationem non indicat. Altera uero priuationem scientiæ (qua penitus rudes & ignari sumus, ut pueri hoc modo dicuntur ignari) dicit, & negationem scientiæ. & de ea dictum est loco superiore proximo. Habeatur igitur ex loco, quod id omne quod non est priuatiuum si priuatione definiatur, inepte elucidetur. quoniam differentia non redditur.

Amplius si similibus nominis casibus, similes orationis casus aptantur. Vt si adiutiuum est effectiuum sanitatis, adiutiue est sanitatis effectiue, & adiuuans efficiens sanitatem.

Locus à casibus destruit definitionem. Cum enim oporteat casus definiti casibus definitionis respondere, conspiciendum est si possint consimiles casus adaptari. nam si non ferant consentaneos casus, destruenda ueniet definitio. quare si adiutiuum definiatur sanitatis effectiuum, & adiutiue dicitur sanitatis effectiue, & adiuuans efficiens sanitatem, nam si quippiam dissentiret in casuum ordinibus, & definitio euerteretur.

Considerandum & in idea, si aptabitur dictus terminus. nam in quibusdam non accidit, ut quemadmodum Plato diffiniuit, mortale addens in animalium definitionibus. idea enim non erit mortalis: ut ipse homo. quare non aptabitur

46

A casibus.

ad ideā diffinitio. Simpliciter autē in quibus apponitur effectiuum aut passiuum, necesse est dissonare in idea terminū. nam impassibiles & immobiles videntur esse ideæ ijs qui dicūt ideas esse. aduersum hos autem & tales orationes vtiles sunt.

47
Ab idea. Locus ab idea destructiuus termini. si alicuius fuerit assignata definitio, congruum fuerit inspicere si dicta definitio accommodetur ideæ. nam si non, diripietur oratio instructa: ut qui definiuerit hominē animal rationale mortale, uti uisum est Platoni, non sane hominem finiuerit, quia talis definitio non congruere potest ideæ hominis, seu ipsi homini. nam ἀνθρώπου πῶς τοῦσδε hominis dicebatur idea, quoniam idea ipsa est impassibilis immortalis: ideo non conueniet illi definitio tradita, cum in ea mortale contineatur. Et uniuersaliter in quibuscūq; definitionibus adiungitur uel effectiuum, uel passiuū, tales definitiones non quadrabunt ideis. nam ideæ sunt immobiles & perpetuæ & impassibiles, uel saltem tales ab idearum affectis defenduntur. quare aduersus idearū defensores tales orationes quibus monstrantur ideæ non consentire siue dictis siue dicendis locis, cōueniens fuerit accommodare disceptationi.

Amplius si eorū quæ secūdam æquiuocationē dicūtur, vnā diffinitionē omniū communē assignauit. Vniuoca enim, quorū vnā est secūdam nomē oratio. quare nullius eorū quæ sub nomine sunt, assignatus est terminus, eo q̄ similiter ad omne, æquiuocū adaptatur. passus autē hoc est & Dionysij, vitæ terminus: siquidē ea motus est generi nutriēdi naturaliter inseruiēs. nihil enim hoc magis animalibus q̄ plantis inest. vita autē non secūdam vnā speciē videtur dici, sed altera quidē animalibus, altera plātis inest. cōtingit igitur & secūdu electionē sic assignare terminū, ac si uniuoca, & secūdam vnā speciē omnis vita diceretur. Nihil autē prohibet & eū qui cōspicit æquiuocationem, & alterius uult diffinitionē assignare, latere non propriam, sed communem utrisque orationem assignare. sed nihil minus si utrius modo fecerit, peccauit.

48
Ab æquiuocatione. Locus ab æquiuocatione dirimit diffinitionē statutam. Quoniam rebus ipsis quas unum nomē complectitur, duo uocabula ars dedit, ut ex his alia homonyma, alia synonyma uocaret, inspiciedum est si definitio

synonymis committatur, uel homonymis. Nam quia adiungitur homonymis, destruitur definitio communis, siue is fuerit ignorans, qui assignauerit omnibus illis æquiuocis definitionem, siue intelligens, quoniã synonyma facit quæ homonyma dicuntur, ob id quòd tribuat unam definitionem omnibus illis secundum nomen, at uniuoca sunt quorum una est ratio secundum nomen. Cæterū nullius eorū sub nomine communi homonymo talis oratio definitio potest esse, quæ omnibus illis similiter accommodetur, quorum sunt naturæ dissentientes plurimū ab inuicem. quare singulis suam definitionē concedi oportet. Illa nimirum cōmunis quibus assignata definitio non naturā rei indicare potest, at oportet ut termini una sit natura quæ cōprehendatur & elucidetur: proinde non erit definiens, qui pluribus & homonymis unam definitionem constituerit. In hunc delapsus est errorem Dionysius ille Academiae ueteris propugnaculum, qui uitam definiuit motum esse generi nutriendi naturaliter inseruiente. Verum quia talis definitio instructa omnibus uiuētibus ex æquo confertur. Viuūt enim & plantæ & bruta & homines, ob id eadem species uitæ omnibus his congruere non potest. Alia nanq; est uita plantæ, alia bruti, alia hominis. nã plantæ est uegetatiua, bruti sensitiua, hominis rationalis. quare uita ad hæc multiplex: quòd si multiplex sit, nulla potest horū sub nomine una esse definitio. Omitto Laurentium Vallensem, qui q̄ plantæ non sint animalia, colligat non uiuere. Siue igitur Dionysius intellexerit multiplicia esse, quibus attulerit terminum omnibus communē, siue non, uitio non caret. Contingit enim interdum secundum liberam electionem, aliquē assignare definitionē homonymis, qui non ignorat proprias horum definitiones, neque dubitat æquiocationem & homonymiam, uult tamen omnibus illis tanquam uniuocis dare unam definitionē nomine multiplici conclusis. Verum definitio omnibus illis commissa, non eo ualidior corroboratur. quare utrouis modo æquiuocis una definitio impartitur siue temere siue sponte (quòd æquiuocis nō insit una natura) damnabitur. Pertransēo quæ dicantur ὁμόνυμα, συνώνυμα, πολυώνυμα, ἑτερόνυμα, παρόνυμα, quæ omnibus uulgatissima sunt. Cæterū illud unum subiungam ex Augustino in dialectice, ne aliorum scriinia supplare uidear, Homonyma in duas partes diuidi. Aut enim fortuitu sunt, aut hominum uoluntate nascuntur. Fortuitu, cum quodam casu simile nomen alteri quis acceperit. Voluntate, cum similitudo nominis ex industria hominis affigitur. horū quatuor sunt genera, ἁμῶς κατ' ἀναλογία, ἄφ' ἑνός, πρὸς ἑ, id est similitudo, ut homo pictus

Et uerus in sola similitudine: Proportio, ut principium animalis cor, sic aqua fontem dicimus: ab uno, ut à medicina, medicinalis sciētia, medicinalis usus, medicinale præceptum, hæc cūcta descendunt: ad unum, ut potio salubris, medicus salubris, ferramentum salubre, hæc ad unū, scilicet salutem, diriguntur. Colligimus igitur ex hoc loco siue homonymis fortuitis siue uoluntarijs, definitionem siue ulro siue non contributā uanam esse: quæ æquiuocorū non sit definitio, neque differētia, neque genus.

Postquæ autē quædam latent æquiuocorū, interroganti quidē ut uniuocis utendū. Nam nō adaptabitur alterius terminus ad alterum. quare videbitur nō distinguendum hoc pacto. oportet enim in omne, uniuocum adaptari. eadem autem respondenti, distinguendum est.

49
Ab æquiuocis definitis latentibus.

Locus ab æquiuocis definitis latentibus profligat definitionē. Quæ sæpe contingat ut proponantur nomina, quæ nō deprehendūtur utrius sint uniuoca an æquiuoca, per opportunum fuerit cupientibus redarguere, illis æquiuocis tanquā uniuocis unam definitionē afferre, qua admissa et cōcessa supererit demonstrare positam definitionem omnibus nō congruere, quibus parabatur, quæ illa sint diuersæ naturæ: nō enim accommodabitur terminus et definitio unius alteri diuersæ naturæ. quare destruetur definitio quæ omnibus sub definito multiplice non cōpetit. Verum quia omnium statuitur ratio, eam omnibus conuenire fuerit opus. Definitio enim uniuocis omnibus adaptatur quorū est definitio. quare admissa illa definitione æquiuocorum, cogeretur respondens fateri distinctorum specie et æquiuocorum esse unam definitionem, nisi dictis reclamare uoluerit. et hæc pro munere differētis. Verum si respondens defendat definitionem aliquam nominis multiplicis, et redarguatur ab opponēte, quod omnibus sub nomine multiplici nō insit, studebit demonstrare significatis solum cōmunionem uocis conuenire, quare illis omnibus non assignatur definitio. ut sit quispiam qui definiat motum esse transmutationē secundum locum, obijciat differēs de alteratione, de augmentatione, quod motus sint, nō autem mutationes secundum locum: dicet respondens definitionē illam fuisse tantū motui locali creditam, qui propriūssimus est, nō cuius motui: quod sit uox multiplex. qua distinctione usus omnem perfringet differētis impetū, et sophistæ insolentiam. nam hic locus proprie nō est dialecticus, sed sophisticus. Verum quia aliquando non licet decertare in aliquos aperto Marte et libera differēdi lege ob morositatē, eos adoriri studet diale-

eticus quouis molimine:quodd si iusto congressu nequeat consequi,tanquam insidias parabit rationes parum dialecticas. quarum ductu & præmolitione cum illis contentiosioribus digladiabitur. hoc loco igitur conueniet uti in litigiosos.

Quoniã autẽ quidã respondentiu, vniuocũ quidẽ dicũt esse æquiuocũ,quãdo nõ accõmodatur ad omne assignata oratio,æquiuocũ autẽ vniuocũ,etiã si ad vtrũq; accõmodetur:præcõfessione vtendũ pro talibus,aut præcolligendũ q̃ æquiuocũ vel vniuocũ aut vtrũq; fuerit. Magis enim cõcedunt nõ præuidẽtes,quod futurũ est vt accidat. Si autẽ nõ facta cõfessione dixerit aliquis vniuocũ æqui-uocũ esse, eo q̃ nõ accõmodatur & in hoc assignata oratio,cõsiderãdum si huius oratio accõmodatur & ad reliqua. Nam manifestum,quoniam vniuocum erit reliquis. si autem non,plures erunt diffinitiones reliquis.nã duæ secundum nomen orationes accommodabuntur ad eandem,quæ prior assignata est,& quæ posterior.

Locus à determinatione definiti ad definitiuum problema plurimũ utile. Quoniam varij sunt respondentes,modo consistentes nomen definitũ multiplex, modo simplex (nam nomẽ simplex asserunt esse multiplex,quando subaugurantur definitionẽ traditã non omnibus ipsius definiti significatis adiacere. Aliquando cõtrã æquiuocum nomen protestantur esse vniuocum, dum illis irrepserit opinio qua existimãt omnibus illius homonymi signis consentire assignatam rationem) necessarium fuerit uti præcõfessione, ut determinetur utrum sit multiplex, an simplex id cuius definitio assignatur: ne super sit respõdẽtib; subterfugij locus, dum suam fidem & sententiam opponenti patefecerit. Qui uero nondum sua secreta crediderit,neq; responsione aliqua obstrictus est,tam ad affirmationem q̃ negationẽ paratus est, ut dicat uel simplex uel multiplex esse definitũ,quemadmodum si definiatur animal substantia corporea animata irrationalis, quoniã definitio illa quæ assignatur omnibus animalibus non conceditur, statim respondens ob ignorãtiam sustinebit nomen esse multiplex animalis: quare non posse unam omnibus animalibus cõmunem dari,qua responsione gloriabũdus se occurrisse strenue decantabit omnibus. Interdum etiã cõtrã accidit, ut dicant quod homonymũ est esse synonymum, quando una communis pluribus æquiuocis definitio impartitur. ut si definiatur motus,

50
A determinãtione des finiti.

actus mobilis ut mobile, tumultuario quodam iudicio coniiciet nomen motus esse simplex & uniuocum ad omnes motus, ob id quod definitio illa omnibus motibus coaptetur, nec aliter uidetur his aduenire omnibus quae uniuocis definitio. proinde differens non poterit facile disputare in tales, propter inscitiam qui dicant modo uniuoca esse æquiuoca, modo contra, nisi præconfessione usus fuerit ante omnem disceptandi constitutionem. nam facilius suam reddent censuram in ipso primo negotij apparatu, quod nondum præuideat quid inde consequatur: at præconfessione habita non erit magni laboris tales redarguere. ut si definiuerit bonum esse quod bonos natum est facere, disceptator requiret protinus utrum bonum sit simplex, an non. quod si dixerit simplex, monstrabit arguens talem definitionem non omnibus bonis, ut utilibus conuenire: & sic euertet definitionem statutam, uel redarguet nomen esse simplex. si uero æquiuocum confiteatur definitum nomen cuius rationem assignauit, conandum erit asserere unam definitionem illius definiti dicti æquiuocæ: quæ si inueniatur, non effugere uidebitur redargutionem tali præconfessione accepta. Aut utruque fuerit, dixit pro heteronymo uel polyonymo.

Rursum si quis diffiniens aliquid eorum quæ multipliciter dicuntur, & oratio non accommodatur ad omnia, & quia æquiuocum esse non concedat, nomen etiam dicat non ad omnia accommodari, quoniam nec oratio dicendum ad talem, quæ nominatione quidem oportet uti quæ tradita est, & assequuta est, & non dimouere quæ talia sunt, tametsi nonnulla dicenda non sint similiter multitudini.

51
Ab authoritate.

Locus ab authoritate & consuetudine destructionem definitionis adferre potest. Nam si quis definiuerit nomen multiplex & homonymum, quod tamen non dixit esse tale in principio, aliqua oratione, quæ omnibus sub nomine conclusis minime contribui monstratur, ea reprobatum esse definitio: etiam ubi respondens dixerit, ut elabatur potius quam dissoluat rationem, nomen quod definitur esse nequaquam multiplex, neque illis conuenire quæ proponuntur, quibus definitio non insit: sed tantum hæc significare constantem asserat, quibus definitionem cognoscit adesse, eo quod oporteat uti nominibus receptis, non autem pro arbitrio fingere contra uulgarem omnium sententiam uoces. quare parum ualere monstrabimus ad noua quædam signa animi apparare, quæ nominibus sit utendum cum multitudine, etsi rebus accommodare oporteat.

nomina cum sapientibus. Nimirum qui de nomine certat, rem ipsam se prorsus nescire indicat. Si quis igitur definiat motum uel aliud quoduis multiplex, cuius definitionem assignatam omnibus significatis non congruere doceat cōgressor, ineptus respondens & assertor illius fuerit, dum confugit ad nouam nominis definiti institutionem, et si in principio non prædixerit esse multiplex, neq; recantet, quod receptæ significationis nomina immutanda non sint, præcipue quando non agitur de certa rerum impositione. quare postq̄ monstratur definitio nomini æquiuoco assignata nō conuenire omnibus significatis (quoniā non licet respondere nomen quod definitur solum conuenire his, quibus definitio cōgruere conspicitur) sub nomine multiplice, dissoluetur.

Si autē alicuius cōplexorū assignetur terminus, considerandum est auferēdo alterius corū quæ cōplectuntur orationē, si est & reliqua reliqui. Nam si nō, manifestum quoniā neq; tota totius. vt si quispiā diffiniuit lineā finalē rectā, finē plani habētis fines, cuius mediū superadditur extremis: si finalis lineæ oratio est, finis plani habētis fines, recte oportet esse reliquū, cuius mediū superadditur extremis: sed infinita neq; mediū neq; extrema habet, recta autē est: quare nō est reliqua reliqui oratio.

Locus à remotione definitionis partis alicuius cōplexi destruit totius compositi definitionem. Quum autem definiantur & simplici nomine expressa & compositis nominibus enūtiata, uidendum est sitne simplex, an complexū quod definiendum proponitur. si autem compositum fuerit, cuius definitio defenditur, conueniet disquirere firmā uel infirmam constitutionem definitionis assignatam per partium destructionem abinuicem, quibus distractis afferuntur propriæ definitiones. demum considerandum est, an auferendo ab altero horū quæ in complexione collocantur definitionem propriam, reliqua oratio manens sit definitio reliquæ partis. nam si non maneat definitio, quæ fit reliqua oratio reliqui definiti facta subtractione definitionis, quæ alteri parti respondebat, tanquā manifestum colligitur destructio definitionis toti composito adiunctæ. Oportet enim si alicuius cōpositi sana constituantur definitio, per subductionē definitionis alterius partis, quæ reliqua sit orationē reliquæ partis relinqui definitionē: ut hominis albi totius compositi hæc definitio congrua conspicietur, animal rationale mortale coloratum disgregatiuum uisus. quod si hominis auferatur defini-

52

A remotio
ne partis.

tio à compositione, quæ superstes fuerit oratio, remanentis partis ut albi, cōstabit definitio, hæc uidelicet, coloratum disgregatiuum uisus: uel contra, si albi submoueatur definitio, reliqua oratio derelictæ partis mōstrabitur definitio. Hoc loco destruetur definitio lineæ finalis rectæ hæc assignata, finis superficiæ fines habētis, cuius mediū superadditur extremis: ꝓpter ablationem aliquarū definitionum à toto partibus respōdentiū, quæ reliqua fit oratio nō est permanētis partis definitio. Diuidatur quidē totū compositū quod definitur in partes, & definitur linea finis plani seu superficiæ: nā id quod terminat superficiē est linea. Insuper finalis definitur habens finem. Oportebit igitur huius rectæ, quod reliquum fit definitionē esse hoc, cuius medium superadditur extremis: at datur linea recta quæ neq; medium, neque extrema habet, ut quæ infinita est: igitur talis oratio non erit definitio huius reliquæ. unde & totius complexi quæ assignabatur tota oratio definitio nō esse mōstratur. nam postq̃ parti totius complexi quæ contribuitur partialis oratio illius definitio non est, neq; totius tota constituta oratio definitio erit. Ex hoc non inferas infinitam actū esse lineam. nam ut testis est fidelissimus Aristoteles in tertio physicorum, non est infinitum aliquod actū, neque tamen mathematicis eripitur facultas de omnibus ad opus tractandi, qui non infinito utantur, sed si quantū uolunt consequantur, satis habent. similiter sola cogitatio est quæ lineam datam in immensum prouehit. neq; forte est talis linea, qualem illi affirmant.

Amplius si, cum sit cōpositū quod diffinitur, æquimēbris oratio assignetur diffinitio. Aequimēbris autē dicitur oratio esse, quādo quot fuerint cōposita, tot & in oratione nomina & uerba fuerint. necesse est enī in talibus ipsorū nominū cōmutationē fieri aut omniū, aut aliquorū: eo ꝓ nihil plura nūc, q̃ prius nomina dicta sunt. uerū oportet eū qui diffinit, orationē ꝓ nominibus assignare, maxime quidē omnibus. ꝓ si nō, at saltē in plurimis. sic enim & in simplicibus qui nomē cōmutat, nō diffiniturus est. ut pro tunica, uestē. Amplius autē maius peccatū, si & per ignotiora nomina commutationem fecerit. ut pro homine albo, terrigenam candentem. neque enim diffiniuit, cum minus sit clarum quod sic dicitur.

53
Ab æqualitate.

Locus ab æqualitate subuertit definitionem depictam. Quum oporteat definitionē simplicis esse orationē & genere & differētia assur-

gentem, necesse fuerit cōpositi definitionē pluribus partibus constare q̄
 compositum quod definitur. nam nomina compositi definiuntur ora-
 tionibus. quare tota oratio quæ cōplectetur nominum definitiones spa-
 tiosior fuerit & prolixior composito definito. ut qui susceperit defini-
 re brutū quadrupes, hoc composito reddet magis perpetuam oratio-
 nē & pluribus coalitam, hęc, animal irrationale habēs quatuor pedes.
 cuius definitionis membra esse multo plura partibus definiti compositi
 omnibus in cōfesso est. Si quis igitur alicuius cōpositi finem descripse-
 rit, quo non plura membra concludantur q̄ definito, infeliciter explo-
 detur. ut qui sustineret tunicæ albæ definitionem esse, uestem candidā:
 nam talis oratio non pluribus constipatur quàm definitum propo-
 situm, quare est dirimenda. Vnde æquimembrem definitionem appellat,
 quæ æquales partes habeat cum definito: quam si quispiam alicuius
 assignauerit definiti compositi, male definit, quòd in tali struenda defi-
 nitione necessarium sit nominum in nomina alia fieri transmutatione,
 quum tot & æqualia contineātur in definito nomina ac in definitio-
 ne. uerum nominū in nomina æqualia transmutatio definitio esse ne-
 quit, quemadmodum nominis in aliud nomen transmutatio nunquam
 diætur definitio. quis enim auderet profiteri nomen simplex alicuius
 simplicis esse definitionem? nemo me hercle bene institutus uocabit ue-
 stis finitionem tunicam, quòd definitionis sit genus oratio. quare neq;
 compositi cuiusdam fatebitur definitionē esse eam orationē, qua tan-
 tum permutatio uocum obseruatur in pares uoces, eo quòd non plura
 cōtineantur nomina in definitione assignata, quàm in definito: quibus
 solis natura rei definiendæ reuelari nequit. Oportet nimirum finitorē
 pro nominibus orationem reddere, si definire uelit. maxime quidē pro
 omnibus nominibus & singulis orationem asserre cōuenit ad defini-
 tionem erigendam. quòd si nō pro omnibus nominibus orationes affe-
 rantur, saltem pro plurimis necessarium fuerit nominibus ipsius com-
 positi accommodare orationes in definitione. nam sufficit in aliquibus
 ut plurima transferantur ad orationes. ut definimus syllogisumum de-
 monstratiuum, syllogisumum esse ex ueris & primis immediatis priori-
 bus notioribus causisq; conclusionis: non tamen syllogisimi nomē trās-
 mutamus in orationē, neq; naturā syllogisimi euoluimus. Id autem con-
 tingit in quibuscunq; genus assignatū in definitione ad eò manifestū est,
 ut uideatur uel uanu uel tædiosum definire pluribus uerbis. cum igitur
 syllogisimi uis ad eò cognita sit, ut omnibus pateat, tanq̄ otiosam quādā
 uerborū congeriē fugientes præmittūt syllogisimi rationē, & negotiū

Amotio ca
uilli.

conuertūt ad demonstrationis explicationem. Idem dicendum de defini-
tione syllogismi dialectici (qui definitur syllogismus ex probabilibus)
& syllogismi litigiosi ratione. Cæterum dum conamur indicare ube-
riorem esse definitionē definito, uenit in mentem id quod in primo To-
pi. diximus de definitione, & quodam loco circa proprii problema, de-
cens honesti esse terminū, uel adiungendum esse termino: ne quis com-
minetur, & nos recantare arbitretur. neque enim uolumus idem esse
terminum, & adiunctum termino: qui cōmutationem nominis in aliud
nomen apertius nō putamus esse definitionem, sed bene quippiam de-
finitioni annexum. Similiter si æquimembris fuerit oratio pro defini-
tione posita, ut nominibus clarioribus assurgens, talis definitionis non
poterit ferre neq; nomen neque naturam, et si definitioni coniūgatur.
Maxime quidem is à definitionis finibus digredi cognoscitur, & tota
(quod aiunt) uia aberrare, qui æquimembrem affert definitionem &
æqualem, cuius nomina in quæ facta est æqualis permutatio, obscu-
riora sunt nominibus definiti: quod neq; definitionē afferat, neq; quip-
piam definitioni adiungendum tali permutatione. ut qui hominum al-
bum definiret terrigenam candentē, hanc ignominia non effugit: quod
neq; definitionem, neq; illi propinquum constituat. hoc igitur loco de-
struitur definitio esse alicuius, quæ æqualis illi ostenditur.

Considerandū autē & si per cōmutationem nominum,
nō idē iam significat. ut qui contēplatiuam scientiā, opini-
onē contēplatiuā dixit. nā opinio sciētiae nō idem (at o-
portet, si debet & totū idē esse) nam contēplatiuū quidē
cōmune in utriq; orationibus est, reliquū uero differēs.

54
A cōmuta-
tione nomi-
num diuer-
se notionis.

Locus hic à commutatione nominum diuersæ notionis destruit de-
finitionem assignatam. quare considerandum est diligenter, an in no-
minum transmutatione eadem significant nomina in quæ fit commu-
tatio, cum nominibus definiti. Nam si nomina pro definitione accepta
quæ commutantur, non respondeant in uirtute eadem nominibus defi-
niti, destrueretur definitio talibus nominibus assurgens, ut hanc defini-
tionem contēplatiuæ scientiæ esse remouenus, opinionem contēpla-
tiuam: quod præter id quod est æquimembris, commutatio fiat nominis
in definito latentis in aliud nomen uarij significatus: nempe transmu-
tatur scientia in opinionem, at scientia non est eadem opinioni: nam
sciētia est necessariorum & existētium, opinio uero est magis non entis
quàm entis, & contingentium: at oportet, ut seruetur definitionis di-

gnitas, non alia significant partes definitionis quam definitum, alioqui tota definitio non erit definito eadem. nam quorum partes dissentiunt, tota conuenire non possunt. cum igitur in his duabus orationibus predictis non omnes coniungantur partes, sed solum contemplatiuum utrisque complexis est commune, cum in utroque collocaetur, quod relinquitur uero est diuersum. nam scientia & opinio differunt, quæ relictæ sunt per ablationem contemplatiui utrique orationi communis, quare fieri nequit ut altera alterius sit definitio: nam oportet partes easdem esse omnes, si complexa & composita eadem dici promereantur, quod compositum à suis membris non distinguatur. quare si partium distinctio tam uehemens sit, ut distrahatur composita: & permutatio nominis in aliud nomen, potens fuerit ad diiudicandam diuersitatem inter definitum compositum & definitionem: quorum partes non consentientes monstrantur. Idem arbitrandum est si simplex in aliud simplex commutaretur: ut qui hominem uirum definirer, quod alterum sexum dicat, non reliquum.

Amplius si alterius nominum commutationem facies, non differentiam sed generis commutationem fecit. ut in eo quod nuper dictum est. ignotius enim contemplatiua, quam scientia. nam hoc quidem genus, illud autem differentia: omnibus autem notius genus, nam communius. quare non generis, sed differentiam oportebat commutationem fieri: eo quod ignotior est. An hæc quidem ridicula reprehensio? nihil enim prohibet differentiam quidem notissimo nomine dici, genus autem non. sic autem rebus se habentibus manifestum quoniam generis, & non differentiam secundum nomen commutatio facienda. si autem non nomen pro nomine, sed orationem pro nomine commutat, manifestum quoniam differentiam magis quam generis definitio assignanda est: eo quod cognoscendi gratia definitio assignatur. nam minus differentia quam genus nota.

Locus à generis manifesti permutatione & non differentiam, dirimit definitionem statutam. Quoniam contingit in nominum ad nomina transsumptione eum non mediocriter peccare, qui præposterum imitatur ordinem: dum nota in alia transfert, at quæ ignota sunt ualere sinit, & intacta relinquit: studiosam decebit nauare operam circa nominum in definitione constitutorum transsumptionem, quod aliquorum est inexorabilis transmutatio. quare qui talia aspiraret traducere ad alia, ridiculum co-

namen tantum præstaret. ut qui conaretur genus transferre ad aliud nomen, & non differentiam, grande piaculum uidebitur subito uelle committere: quòd omnia confundat & perturbet, etenim notius transfert ad aliud, & ignotius consistere patitur, quod ad notius tradendum uenit. quem errorem offendit huius definitionis permutas genus, non differentiam, quæ est scientia contemplatiua: quum genus scientiam ad opinionem traducit relicta differentia & non permutata: cuius exempli nuper & superiore loco meminimus. genus autem quia differentia communius est, notius esse debet. quare differentiam permutatio in nomen aliud erat facienda, & non generis: quòd commutatio instituat, ut notius quicquid habeatur uariatione, aliàs uana hæc & ludicra circumferetur permutatio, quæ nihil lucis emittat. Cæterum si contingeret differentiam nomine dici clariore quàm genus, tunc permutandum ueniret genus in clarius nomen, & non differentia. quare nõ oportet leuiter reprobare qui genus euariant & non differentiam, nisi prius innotuerit generis translatum nomẽ clarius esse differentie nomine. nihil enim prohibet, quo minus differentie nomẽ manifestius uisatur quàm nomen generis: et si genus ipsum natura notius sit ipsa differentia, & simpliciter prius. Cũ igitur permutatio omnis claritatis gratia inducatur, dato generis nomine obscuriore in clarius transire debet, postergato differentie nomine manifestiore. & hæc de commutatione nominis ad nomẽ intelligi uolumus: quia si pro nomine nomẽ nõ permutaretur, sed nomẽ transferretur in orationem & definitionem, magis trãssumenda est differentia quàm genus, quòd differentia cognita genus perlucidum ostendit: at genus palam esse potest in latebris delitescente differentia. Simul quia genus notius est differentia, at quod ignotius est, magis explanatione indiget: definitio autem ea est maxime quæ obscuris & ignotis splendorem diffundit. quare magis definienda erit differentia quàm genus, & commutatio in definitionem illius, quàm huius querenda.

Si autẽ differentie terminũ assignauit, considerandũ si & alicuius alius cõmunis est assignatus terminus. Vt cum imparẽ numerũ, numerũ mediũ habentẽ dixerit, determinandũ est quo pacto mediũ habentẽ. nam numerus quidem cõmunis in utrisque orationibus est. imparis autem coassumpta est oratio: habet autẽ & linea & corpus mediũ, cum non sint imparia: quare non utiq; erit definitio

hæc imparis. si autem multipliciter dicitur medium habens, determinandum quomodo medium habens: alioquin reprehensio erit, aut syllogismus, & non diffiniuit.

Locus à definitione communi destructiuus est definitionis differentia. sicut enim destruntur definitio alicuius, quæ omnibus non concedatur suppositis: sic quæ est pluribus & non uni tantum conueniens, evertitur. quod opus sit ad integritatem definitionis, eam conuerti cum eo cuius fuerit assignata. quare qui constituerit differentia terminum & definitionem (dum eam transfert ad definitionem) communem pluribus, & superiorem differentia, cuius ponitur definitio, præclarissimas illas leges, quibus definitio se ipsam cõseruat, inique dirumpit. quæ admodum ex exemplo docet is qui defendit, quonia impar numerus definitur, numerus medium habens. nam hæc oratio medium habens definitio constituitur imparis (numerus enim in utroque collocatur tantum definitio quam definitione assignata) at medium habens conuenit magnitudinibus: ut lineis, superficiebus, corporibus: quæ plus satis compertum est non esse imparia. quare postquam conuenit alijs ab impare, profligabitur. Cæterum si respondens dicat, medium habens multiplicem esse orationem, & magnitudinibus, & numeris conuenire multipliciter: non protinus effugiet redargutionem, quod indefinite & sine distinctione constituerit imparis coassumptam definitionem. nam horum quæ multipliciter dicuntur, præscribenda est nota, quam definitione uult contineri. quare reprehendetur qui non adnotat, illam certam multiplicis significationem seu medium habentis, uel argumentatione fideli reprobabitur. dicta definitio imparis, quod communis sit, & non propria. Medium quidem in numero impari, est unitas quæ numeri cuiusuis basis & principiam appellatur, non numerus. Laurentius Vallensis tamē putauit unitatē esse numerum. quare si eum sequeremur, definitio imparis enumerata non omni impari communicaretur: quoniam unitati non posset conuenire, quæ numerus esset impar. Proinde damnat Aristotelem qui negauerit unum esse numerum, sed tantum posuerit numeri principium: quasi (inquit) principia rerum non sint ipsarum partes. Suam insuper sententiā auctoritate à mulieribus sumpta (si dijs placet) potius quam à uiris ad hunc modum fulcit: Duæ mulieres, quæ duodecim gallinas cum gallo pro indiuiso habebant, pepigerunt inter se, ut oua quæ pari numero quotidie nascerentur, essent huius: quæ impari, essent illius. Nascentur aliquando singula. Dic, oua hæc cuius erunt? an neutrius? minime: sed eius cui imparis numeri oua debentur.

56
A definitio
ne cõmuni

Aristoteles
reprehenditur à Laurentio.

ergo unum ouum numerum facit. Itaque melius de intellectu uerborum muliercule non unquam sentiunt, quam summi philosophi: illæ enim uerba ad usum trahunt, isti ad lusum: hæc ille. Nescio quid isti dicerent ad hunc locum & superiorem, qui negant differentiam de differentia prædicari.

Rursum si id cuius quidē orationē assignauit, est eorū quæ sunt: quod autē sub oratione, nō eorū quæ sunt. ut si albū quispiā diffiniuit, colorē igni permixtū. impossibile enim incorporeum corpori permisceri. quare non erit color igni permixtus: attamen album est.

57
A definito
superiore.

Locus à definito superiore destructiuus est definitionis compositæ. Nam oportet si definitum alicui cōueniat, & definitio: quod si definitio nulli insit, neq; definitū. Qui igitur assignat alicuius definiti rei cuipiā competētis definitionem nulli conueniētem, tanquam ineptus definator reijciatur: ut qui albi alicui congruētis ponit definitionem esse colorem igni permixtu. quoniam id quod tali definitione cōtinetur, & sub ipsa explicari mōstratur, nō est. ut color igni permixtus nequit esse aliquis: q̄ sit impossibile incorporeum, ut colorem, corpori, ut igni, permisceri. quare definitio illa nulli accommodatur: at id quod defendebatur illa definiri, alicui inest. nam album albis inest, quorū frequēs est multitudo. quoniam igitur album inest alicui, definitio autem posita nulli inest, nūmero definitionum excludetur ipsa quæ assignatur definitio albi. id quod sub oratione est, dicitur quod definitione assignata significatur.

Amplius quicūq; nō diuidūt in ijs quæ sunt ad aliquid ad quod dicitur, sed in pluribus cōprehendentes dicunt: aut omnino, aut in aliquo falsum dicūt. Ut si quis medicinā disciplinā entis dixit. nā si nullius entii medicina est disciplina, manifestū quoniā tota oratio menda est. si autē alicuius quidē, alicuius autē nō, in aliquo menda. nam oportet de omni. si quidē per se, & nō secundū accidēs entis esse dicitur, quemadmodū in alijs se habent ea quæ ad aliquid sunt. nā omne disciplinatū ad disciplinā dicitur. similiter autē & in alijs, eo q̄ cōuertuntur omnia ad aliquid. omne enim disciplinatū, ad aliquid. Cæterū si is qui nō per se, sed secundū accidēs assignationē fecit, recte assignauit: nō ad vnū, sed ad plura vnūquodq; eorū quæ ad

aliquid dicuntur, assignauit. nihil enim prohibet, idē & ens & albū & bonū esse. quare qui ad quodlibet horū assignauit, recte assignauit. si quidē is qui secundū accidens assignauit, recte assignauit. Præterea autē impossibile est huiusmodi orationē propriā assignati esse. nā nō solū medicina, sed plures aliarū disciplinarū, ad ens dicuntur. quare vnaquæq; entis disciplina erit. manifestum igitur quoniā talis nullius est disciplinæ diffinitio. propriā enim & non communem oportet diffinitionem esse.

Locus ab indeterminato correlatiuo demolitur definitionē relatiui. Quoniā est necessarium omne relatiuum habitudine uicissitudinariam cum altero & quidem indissolubilem habere, cuius esse ad alterū destinatum est, & alterius aduentu tantum cognosci potest: qui unum relatiuum defenderit definitione aliqua probe enucleari, nō ad opus uocato correlatiuo, sigillatur. nam præter id quod nō manifestet definitū talis definitio per communia quædam discurrens nō coercita correlatiui modulo, aut prorsus mendax erit, aut partim. ut quicumq; medicinam deposuerit esse disciplinam entis, q̄ naturam nō indicet medicinæ, talis oratio definitionis non sortietur nomen: ad hæc uel tota definitio mendose de definito dici, uel in parte ostendetur: quorum utrunq; plurimū odit plusquam odio Theonino ipsa definitio. Nam si nullius entis medicina probetur uel assignetur disciplina, clarum fiet totam definitionem de medicina false enūtiari. si autem dicatur medicina alicuius entis esse disciplina, & alterius non, cuiuscumq; entis nō fuerit medicina, de omni tali definitio compacta præter ueri claustra prædicabitur. non enim omnia entia scit & considerat medicina, sed morbida & salubria, quare de omnibus non dicitur: at oporteret medicinam per se & nō secundum accidens ad omne ens dici: quemadmodum in alijs relatiuis, quæ per sua correlatiua definiuntur. illa semper ad quæ per se & nō per accidens dicuntur, mutuo referuntur adinuicem uniuersaliter. ut omne disciplinatum ad disciplinā, & cōtra, omnis disciplina ad disciplinatum. eodē modo in alijs relatiuis. quare & medicina si recte definiretur per disciplinā entis, ad ens per se referretur & nō per accidens. quare cōtra omne ens ad medicinam diceretur, quod manifeste falsum esse deprehenditur, ob id q̄ relatiua omnia conuertuntur. ut omne disciplinatum ad aliquid id est disciplinam dicitur, & cōtra: & ita in alijs. at medicina & ens non conuertuntur, quia non omne ens ad medicinam

58

Ab indeter
minato cor
relatiuo.

refertur, igitur perperam assignari dicitur, tali modo medicinæ definitio per nomen entis, ad quod per se non refertur, ut declaratum est. Nam quæ per se dicuntur ad aliquid, & eadem conuertuntur ad inuicem: At illa quæ per se non dicuntur ad aliquid, sed per accidens (ut si ad communius quoddam assignentur) non conuertuntur, quoniam id posset non ad unum dici tantum, sed ad plura, quod secundum accidens dicitur assignari eadē ratione. quare ad illa non poterit conuerti uniuersaliter. sed medicina dicitur ad ens secundum accidens. nam quia per se ad salubre ipsa refertur, & ipsum salubre est ens, dicitur eadē ad ens referri. Cæterum docemus oportet nullā faciendā esse assignationē relatiuorū secundum accidens argumēto deducēte ad incōmodum. Constituamus igitur aliquē huius defensorē, qui non secundum se sed secundum accidēs recte assignari relatiua protegat. tunc continget unumquodq; relatiuorū non ad unū dici, sed ad plura, consimili ratione: quod uni nihil prohibeat multa accidere. nam eidem inesse possunt ens, albū, bonū, magnum, sciens, ambulans, & huiusmodi infinita. quare si medicina recte assignetur secundum accidens relatiuum entis, & eadē boni & magni & cæterorū omnium secundum accidēs erit relatiuum bene assignatum: quoniam (ut supposuimus) relatiuum secundum accidēs recte assignari defenditur. sed impossibile est unius relatiui infinita esse correlatiua: ut natura relatiuorū facile indicatur. quare auferenda est illa positio, quæ relatiuum defendebat bene secundum accidēs assignari. Adhæc si medicinæ diceretur ens correlatiuum, & definiretur eodem, non posset habere propriam definitionem medicina, quod non solum medicina sit disciplina entis, sed physice, astrologia, & multæ aliæ, quæ ipsius sunt entis disciplinæ: itaq; manifestum hanc definitionem medicinæ contributam omnibus disciplinis communem esse, & non magis medicinæ quàm alijs. quare medicinæ nō est dicenda definitio assignata, quæ cæteris contribuatur. Oportet enim uniuersuiusq; definitionem esse propriam, & conuertibilem. Plures aliæ disciplinæ ad ens dicuntur, hæc particula secludit ipsam sophisticam & sophisticata, quæ non sunt rei existentis, & ipsius entis: licet disciplina cōmuniore dici potest nomine, ut deducit Plato in sophista, & testatur cum reddit discrimen inter sophisticam & philosophum: quos non facile cōspici posse asserit, sed alia (inquit) ratione sophista, alia philosophus intuitum refugit oculorum. nam sophistes in non entis tenebras aufugit, & diurna cōsuetudine tenebris illis offunditur: idcirco summa difficultate discernitur. Philosophus uero entis ipsius ideæ ratiocinatione semper inhærens, ob re-

Philosophus
& Sophistes
cognitu diffi-
ciles.

gionis illius splendorē haud facile cernitur. nam uulgarium animarum oculi diuinitatis radios sustinere non possunt.

Quandoq; autē diffiniūt nō rē, sed rē bene se habentē aut perfectā. Talis autē & rhetoris & furis terminus: si sit rhetor quidē qui potest quod in unoquoq; est uerissimile cōsiderare, & nihil prætermittere: fur autem qui clām sumit. perspicuū enim quoniā cum talis uterq; hic quidem bonus rhetor, ille autem bonus fur erit. non enim qui clām sumit, sed qui uult clām sumere, fur est.

Locus à perfectione & habitu dissipat definitionē rei per se. Quū aliud sit id ipsum per se & bene se habens: qui itaque rem per se definiunt per perfectionem uel habitum exercitiū, male definiunt: q̄ substantia in ipso bene non singulis contribuatur, ut in quibus non cōnaturale & insitum ipsum bene cōspicitur, sed tantum labore & industria acquisitum est. quare diuersa debet esse definitio rei per se, & rei bene habētis. proinde qui accommodabit definitionem rei bene habētis ipsi rei simpliciter, male definiet: quōd solum partē alteram rei exprimat. ut qui definiuerit rhetorem, qui potest in unoquoque quod est uerissimile cōsiderare, & nihil prætermittere, is cōtribuit rhetori per se definitionem, quæ conuenit perfecto & bono rhetori: quare non totam rhetoris dilucidat naturam. nam qui deserit quædam eorum quæ conferūt ad fidem rei propositæ, quiq; rem ipsam nō modis omnibus, qui cōtingere possunt, cōfirmat, priuabitur nomine rhetoris. Sūt enim rhetores alij perfectiores & præstantiores alijs: ut Demosthenes Aeschine apud græcos, & Cicero Quintiliano apud latinos celebrior extitit. Hos tamen inferiores quis iudicaret priuādos rhetoris nomine? Fortasse illi quicquid credibile dici poterat eleganter & copiose effundebant, & absolutissime negotium omne oratorium peragebant, & ob id oratores perfecti dicentur bono iure, si qui hoc titulo honestandi ueniant. Hi uero, rhetores tantum dici gaudebunt. Vt breuior fiam, accepta occasione, prætermitto illam quæstionem à Quintiliano libro duodecimo productam, sintne Demosthenes Cicerōque oratores habendi, qualiter Cicero dicendus perfectus orator, & utrum eloquentia eidem defuerit. Simulq; ne uidear alienis, ut æsopica cornicula, plumis in sole scere. Cæterū quod ad rem nostram facit, persequamur. Diximus illegitimam assignari definitionē rhetoris illam, quæ conueniebat rhetori perfecto, quōd non idem sint rhetor & rhetor perfectus, sed alte-

59
A perfecti-
one & habi-
tu.

rum totum relinqui congrue dici potest. quare postquam illa definitio, quæ struebatur erat rhetoris perfecti tatum, non totam naturã euoluit definiti assignati, quod reddatur secundum perfectionem. uerum rhetor dicendus est, qui uult & conatur inuenire & comprehendere omne credible ad fidem rei propositæ ingeneradam. Simili macula notatur, qui furem definit eum, qui clam sumit: hæc enim est ipsius perfecti furis & insignis, qui clandestine aliena potest sumere quodam habitu & cõsuetudine furãdi, & mirum in modum callide exercet, qualem forsan diceret Viriatum, uel Verrem, uel aliquos piratas insignes eiusdem sentinæ. Sunt & alij fures qui nondum cauti satis clandestine nequeunt sumere & surripere, uolunt tamen & incumbunt, ut id facere possint: quod sufficit, ut dicantur fures. Quare notum est ex loco, si res definiatur simplex & per se, definitione quæ conuenit perfecto, male definietur.

Rursum si quod propter se eligendũ est, ut actiuũ, uel effectiuũ, uel quolibet modo propter aliud eligendũ assignauit. Ut qui iustitiã, legũ conseruatiã dixit: aut sapientiã, effectiuã felicitatis. nam conseruatiũ & effectiuũ eorũ sunt quæ propter aliud eligũtur. An nihil quidẽ prohibet quod propter se eligendũ est, & propter aliud esse eligendum? At tamen nihil minus peccauit, qui sic diffiniuit quod propter se est eligendum. nam unicuiq; optimum, in substantia maxime: melius autem, quod propter se eligendum, quã quod propter aliud. quare id & diffinitionem oportebit magis significare.

60
Ab his quæ
per se nõ dicuntur.

Locus ab effectiuo, uel actiuo, uel medio, disgregat definitionem boni per se. Nam cum oporteat omnem definitionẽ indicare quid est unũquodq;, numq; assurgat boni per se definitio cõuocatione boni effectiuũ, actiuũ, uel alterius gratia accepti. q; hæc omnia per se nõ sint bona. quare naturã enodare nõ ualent boni per se. exempla nulli nõ clara textus profert huius. Si quis dicat idem potest esse per se bonum & propter aliud, ut uirtutes omnes per se sunt bonæ, & ad felicitatẽ destinatur: igitur potest definiri bonum per se per effectiuum, uel actiuum, uel per id quod alterius gratia est. Dicitur quod nõ minus peccabit qui definierit bonum per se, quod etiã est propter aliud per id quod propter aliud est seu alterius gratia, q; prius ubi bonum per se tatum considerabatur & definiebatur per id quod propter alterũ est, quia unũ

quodq; per id quod optimum est uenit definiendum: at melius quod per se eligendū, q̄ quod alterius gratia: igitur per illud definiendū, non autē per istud: licet utrūq; eidem conueniat. quare uel per utrūq; erit definiendū, uel tantū per id quod melius illi inest: at melius est & naturalius quod per se inest & ratione sui, q̄ quod alterius gratia.

Considerandū autē est & si is qui alicuius diffinitionē assignauit, aut hæc, aut quod est ex his, aut hoc cū illo diffiniuit. Nam si hæc quidē, accidit vtrifq; & neutri inesse. vt si iustitiā, temperātiā & fortitudinē diffiniuerit. nā si sint duo, vterq; autē alterū habeat, vtrifq; iusti erūt, & neuter: eo q̄ vtrifq; quidē habēt iustitiā, vterq; autē nō habet. Si autē nondū quod dictū est admodū absurdū videtur, eo q̄ & in alijs accidat huiusmodi (nihil enim prohibet vtrofq; habere minā, cū neuter habeat) attamē contraria inesse eidē, omnino absurdū videbitur esse. accidit autem hoc, si hic quidē ipforū temperantiā & timiditatē habet, ille autē fortitudinē & intemperantiā. nam vtrifq; & iustitiā & iniustitiā habēt. nam si iustitia, tēperantia & fortitudo est: & iniustitia, timiditas & intēperantia erit. Et omnino quæcūq; ad argumentandū idonea q̄ nō idem sunt & partes & totū, omnia vtilia ad id quod nūc dictū est. Videtur autē qui sic diffinit, partes toti easdē dicere esse. maxime autē accōmodate fiūt orationes, in quibuscūq; manifesta partiū est cōpositio: quemadmodū in domo & in cæteris talibus. manifestū enim quoniā cū sint partes, nihil prohibet totū nō esse. quare non idem partes toti.

Locus à repugnantibus profligat totius definitionē. Quoniam totū ipsum explicari potest modis pluribus. nā interdum per partes in recto elatas, ut qui diceret domus est ligna, & lapides: Interdum per partes in obliquo omnes redditas, ut qui finit domum esse ex lapidibus & lignis: Aliquando per partes, quarum una recto, altera obliquo casibus exprimitur, ut qui defendit quòd domus est tectū cum lignis & lapidibus, considerandum est quonam modo horū trium definiat totum, an per partes ipsas in recto, an in obliquo, an mixtim in recto & obliquo definiat. quod admodū dixit succincte, cū inquit, Συνομαρξ̄ υἱ̄ ἔστι τὸς ὄρισμὸς ἀπὸς ἰδ̄ ὄς, τὰ δ̄ εἰ, ἢ τὸ ἐκ τῶ τω π̄, ἢ τὸ δ̄ εἰ μὲν. τὰ δ̄ εἰ

61
A repugnā
tibus.

ἐπιείθετο. nam his tribus modis contingit, ut totius reddatur definitio, de quibus restat agendum. Primus igitur qui seipsum obijcit bono iure est per partes definiendi totum modulus recta inflexione pronuntiatas. nimirum prior est nominatiuus obliquo, quare præponenda quæ recto quis eloquitur casu quàm quæ obliquo. qui destruetur à repugnãtibus. nam qui hoc definit totũ, id est, qui totum esse suas partes dicit, eo quoddã accidant repugnãtia ex tali modo finiẽdi, reprobabitur tradita definitio: ut sit Xenocritus qui definiat iustitiã esse temperantiã & fortitudinem (is enim uolebat iustitiã in rebus assumẽdis dici temperantiã, in perpetiẽdis fortitudinẽ) quoniam accidit ut utrisq; in sit iustitia & neutri, quod pugnãtia uidetur indicare, contẽnitur. si enim sint duo homines, quorũ uterq; alteram partem habeat: quẽadmodũ si Socrates tãtum temperãs sit, Plato uero fortis, neuter iustus est: quoniã neq; Socrates simul temperans est & fortis, neq; Plato similiter. at iustitia definitur temperãtia & fortitudo esse. Vtriusq; uerò iusti monstrãtur, ob id qd habeãt iustitiam. nam utriq; habent temperãtiam & fortitudinẽ, igitur per definitionem positam, suscipiunt iustitiã. Quod si quis pro magno incõmodo nõ duxerit fateri utrosq; esse iustos, neutrũ tamen esse iustum: quoddã etiã in alijs cõsimile quippiã admittatur, nullam habes cõtradictionis opinionẽ (Quid enim prohibet duos possidere nomisima aliquod, uel nummũ argẽteum, neutrũ tamen possidere per se eundem, qui communis sit utriq; neutri proprius? huc modum possidendi nõ esse impossibilem norũt plane religiosi qui incolunt repurgata peristeria. nam quicquid ibi continetur, cõmune fit nulli proprium) attamen (opinor) nõ tam perfrictã fuerit frontis qui nõ propudiosum ducat cõcedere cõtraria eodem hospitio residere, quod eũdem pugnãtia admittere cõtingeret. quare ut hanc labem euitet, conueniet plurimum à definitionis illa formula, quæ per partes attollitur dicto modo abscẽdere. Nam si iustitia recte definiatur esse temperantiã & fortitudo, & iniustitia uere describetur intemperãtia & timiditas, quoddã cõtrariorum contrariã sint rationes. Alteri horum duorũ ut Socrati temperanti in sit timiditas, Platoni uero forti intemperãtia: tunc accidit utrosq; esse iustos & iniustos. at hæc pugnant adinuicem ex diametro. quare definitionis modus per partes talis habitudinis euertendus est, à quo deriuãtur hæc stolidissima cõtrariorum monstra. Vtriusq; quidem iustos firmanus, quoddã utriq; fortitudinem & temperãtiam habeant: & iniustos, quoddã utriq; timiditatem & intemperantiã similiter monstramus, per definitiones assignatas iusti & iniusti.

In locum uoculæ prodigalitatis quam habebat uulgaris latinus codex, reposuimus intemperatiam, ut constituatur contrarium temperatiæ, quemadmodū fortitudini timiditas seu ignauiā opposita ponitur, & definitiones illæ ex contrarijs assurgāt. adhæc ἀκολασία qua dictio-
ne usus Arist. id est intemperatīa, lasciuia, cui opponitur σωφροσύνη: ut clarum satis est. Vniuersaliter autem in quibuscumq; partes nō sunt eadem toti: ut in omnibus compositis diuersarum partium, hic locus admodum apte constituetur à repugnātibus ad destructionem defini-
tionis totius per partes: quoniam qui obseruat hanc definitionis legem, partes easdem toti facere uidetur. quare si partes dissentiant toti, fa-
cilis deprehenditur destruendi ratio. In compositis autē partes omnes eiusdem generis habentibus locus non conueniret, quōd partes & totū nō dissonēt: ut aeris quælibet pars aer est, & aqua aqua, & aliorum quæ cognata dicuntur: quare locus sit in compositorum definitiones dissimilium partiū, nam maxime possumus in talibus demonstrare par-
tes toti non esse easdem, quando compositio partium manifesta est: ut in domus structura, cuius partes nō sunt eadem domui: quōd possint esse partes, ut ligna, lapides, non existente domo. ita in cæteris iudican-
dum similibus, in quibus si mōstretur partium distinctio à toto, & de-
finitio per partes totius destruitur.

Si autē nō hæc, sed quod ex his est dixit id esse quod dif-
finitur, primū quidē considerandū, si nō natū est quippiā
vnū fieri, ex ijs quæ dicta sunt. Quædā enim sic se habēt
adinuicē, vt nihil ex eis fiat. vt linea & numerus.

Locus à partibus nihil potentibus facere dissoluit definitionem to-
tius assignatam. Cum enim definiatur quoddam totum nō esse partes
(nam si totum partes esse definiatur, qua ratione differendum sit pro
manifesto superiore loco haberi arbitramur) sed ex partibus esse, hu-
ius rectam definitionem aliquot locis examinabimus. De tali nanq; se-
cundo ordine dicendum præmiseramus. In primis ergo posita alicuius
totius definitione, quæ exprimitur per partes in obliquo intercedente
præpositione ex, an non sit ex partibus, quibus definitur, totū natum
fieri considerandum. nam si nihil assurgere possit his, quibus adiacet
præpositio ex, statim definitio ipsa, quæ talibus redditur, interimenda.
Non desunt enim quamplurima ex quorum coniugio nihil progignere
possibile est. huius nempe sunt genij omnia accidentia. nam quantumuis
ipsa miscearis & copulaueris adinuicem, unum totum nunquam con-

62

A partibus
nihil cōpos-
nere poten-
tibus.

fitues. Proinde qui corpus definiuerit esse cōpositum ex lineis & numeris, quia lineis & numeris nihil cōponi potest, corporis euertitur definitio esse præassignata. oportet enim si totū alicui conueniat, & definitionē: at ex partibus quibus definitio struitur, nihil effici potest alicui congruens: quare nunq̄ remeabunt huiusmodi nomina & rationes. idem diceretur, si album definiretur, color igni permixtus.

Amplius si diffinitū quidē in vno aliquo natū est primo fieri, ex quibus autē dixit ipsum esse, nō in vno primo nata sunt fieri, sed ytrūq; in vtroq;. Nam manifestū quoniā nō erit ex ijs illud. in quibus enim partes, & totū necesse est inesse. quare nō in vno totū primo esset, sed in pluribus.

63
A subiecti
vnitate.

Locus à subiecti vnitate eneruat definitionē totius factam per partes intercessu præpositionis ex. Sūme enim desideratur, ut in quo vno primo sit definitū, & partes, ex quibus assurgit definitio, in eodē sint. quare si discrepent subiecti vnitate definitum, & id quod ex partibus est coalitū, quo definitio contextitur, necesse fuerit ut ridicula mōstretur definitio. ut qui prudentiam esse ex fortitudine & temperantia diceret, quemadmodum Aristo Chius, reprobatur: quōd prudentia sit vnus subiecti, ut ipsius animæ rationalis primo: at tēperantia in cōcupisibili, & fortitudo in irascibili, & non in vno subiecto. quare est manifestum ex illa subiectorum distinctione, nō recte componi prudentiæ definitionem assignatam, neq; ex illis definitum assurgere: quum in vno subiecto definitum sit, definitio vero ex partibus non in vno primo potest esse, q̄ duobus in subiectis diuersis collocētur utræq; partes. Dicitur est primo, quoniam & partes & totum in homine & anima recipiuntur: sed id ut in posteriore.

Si autem & partes & totū in vno aliquo primo, considerandum si nō in eodem, sed in altero totū, & in altero partes. Nam in quo totū, in illo & partes esse videntur.

64
A distincti-
one subiecti

Locus à distinctione subiecti labefactat definitionem totius ex partibus. Nam non solum oportet in quo vno primo totum est, & partes esse: sed & in eadem illius vnus parte pror̄sus consistere. quare si non in eodem sunt primo & totum quod definitur & partes ex quibus assurgere & definiri dicitur, cōstituta ex partibus huiusmodi definitio ex plodetur. ut qui definiret uirtutē esse ex fortitudine, tēperantia, iustitia, & prudentia, reprobatur: quoniam omnibus in anima etiā positus, in eadem parte eiusdem nō collocētur partes & totum: at ui-

detur in quo totum est, in eodem partes collocari. Verum cum partes illæ ab unitate subiecti plus absint quàm si q̄ dicitur manifestū est non in eodem omnes primo cum toto residere.

Rursum si cum toto corrūpantur partes. E conuerso enim oportet accidere, partibus corruptis totū corrūpi. toto vero corrupto, nō necesse est & partes corrumpi.

Locus à destructione partiū ex totius destructione concutit structā totius definitionē. Nam oportet partibus destructis totum eueri, at nō contra: quod partes, ut interierit totū, permanere possint. quocirca qui finit totū quoddam ex partibus assurgere, cuius interitus mēbris præsentissimū propinat uenenum, is non mediocriter à sana definitionis prææptione exorbitare dicitur. ut qui definiuerit animal esse ex brutis & homine assurgens: uel corpus, quod ex superficiebus consistit, quoniā toto quod definitur destructo, partes ex quibus constare dicitur, corrumpuntur: nam si non sit animal, neq; brutum, neq; homo. Similiter destructo toto corpore & trina dimēsiōne, & superficie una dimensionum corrumpitur. quare sit peruium non esse definiendū totum ipsum ex partibus, quæ corrumpantur per totius corruptelam, & partes totius illius sunt principia, at omne principū est effecto natura prius: igitur non oportet corrupto posteriore & effecto, principia & partes destrui.

65
A partū de
structiōe to
to destructo

Aut si totū quidem bonū uel malū, partes autē neutrae: aut e conuerso, partes quidē bonæ uel malæ, totū autē neutrum. Nam neq; ex neutris possibile bonū quippiam uel malum fieri, neq; ex bonis uel malis neutrum.

Locus à dissimili propulsat definitionē totius. Nam quando id definitur quod bonū est, & partes bonæ sunt: & quādo malum, eius malæ sunt partes: & neutrius, neutrae: & contra, si partes sunt bonæ uel malæ, & totum tale: & si neutrae, & totum. quapropter si definiatur totum quod bonum uel malum sit, ex partibus neutris & indifferētibus, ut uana cōtemnetur. Similiter cōtra, si totum sit indifferens, partes uero sint bonæ uel malæ, quibus definitur totum, dirimenda fuerit definitio. nā neq; ex neutris partibus totū bonū uel malum attollitur, neq; ex bonis uel malis partibus totum indifferens cōstituitur. quare si partes dissimiles toti in malitia uel bonitate, totius exploditur ex partibus ratio. ut qui finiret uirtutem ex affectibus uel potentijs effici, improbat: quod partes toti dissimiles habeantur. & hic locus de bonis

66
A dissimili;

simpliciter & per se & malis intelligatur: non autem effectiuis bonorum, & secundum quid bonis.

Aut si magis quidē alterū bonū, q̄ alterū malum, quod autē ex his, nō magis bonū q̄ malum. Vt si imprudentia ex fortitudine & falsa opinione. magis enim bonū fortitudo, q̄ malū falsa opinio. oportet ergo & quod ex his est, sequi illud quod magis est, & esse vel simpliciter bonū, vel magis bonū, q̄ malū. An hoc quidē nō necessarium, nisi vtrūq; sit per se bonū vel malum? multa enim effectiuorū per se quidē nō sunt bona, mixta autē quibusdā, sūt bona: aut e cōuerso, vtrūq; quidē bonū, mixta autē, malū vel neutrū. maxime autem manifestum quod nunc dictum est, in salubribus & morbificis. nam quædam medicamentorum sic se habent, vt vtrunque quidem sit bonū: si autem vtraque dentur mixta, malum.

67
Ab ipso magis tali.

Locus ab ipso magis tali destruit totius definitionem. Quemadmodum dictum est, totius boni partes sunt bonæ: & cōtra, partium bonarum totum est bonum, & in malis consimiliter, & neutris. sic compositum ex aliquibus, quorum alterum secundum magis, alterum secundum minus, ipsum magis sequetur. quare in definitione reddenda ipsius compositi ex bono & malo, quorum bonū est magis bonum quàm malum, si per malum uel non magis bonum definiuerit, totius naturam oratione is nō complectetur, q̄ per id quod magis inesse dicitur non definiat. ut qui dicit imprudentiam ex fortitudine & falsa opinione, huius partes cōstituūtur fortitudo & falsa opinio: at fortitudo magis est bonum quàm falsa opinio malum: quare oportebit quod ex his assurgere ponitur, ipsum quod magis dicitur, sequi, ut dicatur uere simpliciter uel magis bonum. quemadmodum si quid albedinem & nigredinē, uel calorem & frigus suscipiat inæqualibus mēsuris & gradibus, ad partem uergit copiosioris. habes & in ponderibus rem perspectissimam. Et hic locus in his quæ simpliciter bona uel mala sunt, intelligitur, uti superior, quo dicebamus ex partibus duabus bonis, totum bonum componi: & utrisq; malis, totum malum: q̄ nō oporteret, nisi utrunq; per se bonū esset uel malum: quòd multa quæ nō sunt bona, per admixtionem sunt bona: & contra, quæ bona habentur, in compositione mala uel neutra putātur. id manifestum fit in salubribus & morbificis. nam quæ separata bona sunt, eadē cōmixta nō: & cōtra, quæ mala erant,

bona sunt adiunctione. huius causa est, quod quæ excederēt aliqua qualitate, admixtione temperatur cōtrarij: ut calidum & frigidum uehementēs mitigantur adinuicem agētia. Idem facile in saporibus, & liquoribus agnoscat. quis enim commixtionem uini & lactis feret? Quis modicam uini ablutionem nō tolerabit? at purum quis non aspernabitur? Similiter nō oportet, si quid solitarium melius sit, aliud uero minus bonum, quod compositum ex his sit magis bonū quā malum, nisi id in bonis per se & simpliciter & malis dicatur: quod uides uinum esse melius lacte, at compositum ex utrisque nō est magis bonum quā minus malum, quod totum ineptū sit ex his constans. nō enim quoduis agit in quoduis, neque quodcumque cuiusque miscetur: sed conueniens conuenienti.

Rursum si quod ex meliore & peiore est, nō est totum peiore quidē melius, meliore autē peius. An neque hoc necessarium, nisi per se sint, ex quibus componuntur, bona? nam in ijs quæ non per se sunt bona, nihil prohibet totū non fieri bonum. ut in ijs quæ modo dicta sunt.

Locus à medio destruit totius definitionem ex partibus oppositis. 68
A medio.
Nam quando totum definitur ex meliore & peiore partibus oppositis æqualiter, per opportuna uidetur totius constitutio, quæ media fuerit inter melius & peius: non enim facinus unius partis super alteram dominū, neque excessum. quare una alterā nō superabit, sed æquis uiribus concurrent ad totius constitutionē. proinde neque peius erit, neque melius simpliciter: sed mediam amplexabitur naturam, ne detrectare alteri parētum uideatur pugnantium uiriliter. ut definiatur cōtinentia ex recta ratione & mala cupiditate: eam oportet esse meliorem peiore, ut mala cupiditate, & deteriorē recta ratione: quod si aliter contigerit, destruenda ueniet definitio. Hic locus est intelligendus, ut duo superiores, in bonis per se & simpliciter. non autem in alijs bonorum effectiuis, uel ad aliud conferētibus: quod in his nihil prohibeat ex meliore & peiore cōstitutum non esse medium inter utrumque, sed prorsus malum.

Amplius si cognomine est totum alteri. Non oportet enim, ut neque in syllabis. nulli enim elementorum ex quibus componitur, syllaba cognominis est.

Locus ab uniuoco definitionē totius interimit: quod oporteat partibus ipsis totum esse nequaquam synonymum. quare qui definit totum ex 69
Ab uniuoco
partibus, quæ cū toto eodem nomine consentiunt, male definit. ut is uir-

tutem ex fortitudine, iustitia, prudentia, & temperantia esse definiēs: quòd partes omnes nomen totius recipiant & rationem, infirmatur. Operæ est enim pretium, ut partes nomen totius non agnoscant, alioqui totum de partibus prædicaretur. quæ admodum syllabarum partes, non cum syllabis eandem possident nuncupationem: quæ illæ elementa & literæ sint, de quibus non dicitur syllaba. non enim potest esse litera una seu elementum syllaba: quoniam syllaba comprehensionem & collectionem significat literarum, quæ in multitudine tantum comparitur. huius nostræ sententiæ si quæras grauiorem assertorem, producimus Platonem in Theæteto, qui non pœnitēda super elementis & syllabis subiecit. Vult itaque locus quòd si totius partes, ex quibus definitur sint eiusdem nomen rationemque recipientes totius, destruetur esse definitio, quæ assignatur ex talibus. nam partes singulæ sunt à toto dissentientes re & ratione. quare non possunt esse uniuocæ toti. Quod Aristoteles habet, συνώνυμοι τὸ ὅλον θάτερον, reliquimus interpretatum, cognomine totum alteri, quòd Faber philosophiæ miles generosus rem clariorem arbitretur, si dicatur cognomine quæ uniuocum esse, quare nolimus in nomine torqueri. Vnum tamē dicemus, quod non putauerimus hos esse hæreticos (quorū proh dolor tanta undique irrepfit multitudo, ut uix super sit Gallia illibata, quin parte aliqua cōspurcari uideatur talibus) qui defenderēt synonymum sumi pro uniuoco, ut cōsuevit dici: nam oportet partes & totum habere diuersas rationes. quare si easdem habuerint totum & partes, destruetur definitio ex talibus constans.

Amplius si non dixit modum compositionis Non enim sufficiens est ad cognoscendum, quòd dicat ex his. nam non quod ex his, sed quod sic ex his, est cuiusque compositorum substantia. ut in domo. non enim si quolibet modo componantur hæc, domus est.

70
Ab indeter
minata cō-
positione.

Locus ab indeterminatione compositionis male torquet definitionem totius ex partibus dictam, quæ nullum compositionis modum obseruet, nullum ordinem partium comonesciat. quum tamē certa partium structura totum ipsum restituat. proinde architecti non satis habent si ligna, lapides, lateres, & cætera domui ædificandæ utilia congregarint: uerum manum eis disponēdis adhibēt diligentem, quòd ex omnibus membris uarie dispersis & nullum ordinem tenentibus, domus non cōstet. Neque enim dices hominem esse, si partes trasposueris sine delectu, li-

et easdem omnes possideat, sed monstrum quoddam & prodigio simile. Non aliter ipsam dispositionis legem ducimus in totius depromenda ratione spectandam, quod cumulus tantum partium enumeratus non naturam & substantiam totius efferat, nisi easdem digesserit compositionis modus, & inter se certo deuinxerit ordine: qui igitur definiuerit domum esse ex saxis, lignis, & lateribus, male contendit reddere naturam totius: quod nullam partium dispositionem commedet, in qua tota uis & substantia domus est posita. Compositio enim formae accommodatur, quae perfectior est materia, contra Antiphontem, ut monstratur in secundo physicorum. Similiter qui diceret hominem esse ex carne, ossibus, nervis, musculis, cartilaginibus, & reliquis membris: ob id ipsum quod compositionem non doceat partium, qua substantia collocatur, reprobatur: neque ex illis simpliciter sit & quouis modo homo. Distinctionem inter formam, compositionem, & ordinem, ex physicis discas. His igitur nouem modis totius & integri definitio probabitur, uel reiicietur: quae ex partibus assurgere dicitur.

Si autem hoc cum illo assignauit, primum quidem dicendum quod hoc cum illo, aut hoc & illud dicitur, aut quod ex illis. Nam qui dicit mel cum aqua, vel mel & aquam dicit, vel quod ex melle & aqua. quare si cuilibet eorum quae dicta sunt idem confitebitur esse hoc cum illo, eadem conuenienter dicere quae quidem ad utrumque horum prius dicta sunt.

Iamdudum nos expectabat postrema huius legis definiendae portio, quam aliquot membris totam perficiemus. & ne ab antiquo more degeneremus, decisiones totius loci referent: si prius annotauerimus hoc postremum negotium esse collocatum in definitione totius perscrutanda, quae attollitur cum recto & obliquo, interiecta praepositione cum: ut quando definimus quippiam esse hoc cum illo. Primum igitur locus erit ad duobus modis definiendi superioribus nuper absolutis: quod haec sit, uel quod ex illis: qui haud ignauam nauat operam ad trutinandum, si tunc apta totius definitio, quae hoc cum illo dicit ipsum esse. Interdum enim nihil differt effari hoc cum illo esse quippiam, & ipsum esse haec, uel ex illis ipsum. ut qui definit, oenome, esse mel cum aqua, non aliud profecto eloqui apparet, quam oenome esse mel & aquam, uel esse ex illis, id est melle & aqua. quare ex locis duobus praedictis facile fuerit haurire differendi usum in definitionem totius, quae assignatur per hoc cum illo. quod idem confiteatur tali modo definitio cum illis, qui duos definiendi modos

G. iij.

71

A finitionibus per haec & ex his.

obseruabant, per hæc, & ex ijs. proinde non parum adferet commodi utriusq; cognitio industria ad uim definitionis totius nanciscendâ, quæ per hoc, cum illo, succenturiatur: quoniam quæcumq; ad utrumq; prædictum modum deflectuntur, eadem omnia ad hunc postremum peropportune aduocantur. De quibus, quia putamus (et si non abunde) mediocriter satis dictum fuisse, ne uerbum quidem inculcabitur.

Amplius diuidenti quoties dicitur alterū cum altero, cōsiderandum si nullo modo hoc cum illo. Ut si dicitur alterū cum altero, aut ut in aliquo eodem susceptiuo: ut iustitia & fortitudo in anima, aut in loco eodem, aut in tempore eodem, nullo autē modo verū sit quod dictum est in his: manifestum est quoniam nullius erit assignata diffinitio. eo q̄ nullo modo hoc cum illo est.

72
A diuisione

Locus à diuisione destruit totius definitionem expressam per definitiones hoc cum illo insinuantes. Quoniam autem hoc cum illo significat, idem subiectum seu in subiecto eodem esse, quemadmodum dicimus fortitudinem esse cum iustitia, quia in eodem sunt subiecto, ut anima, fortitudo & iustitia: Vel hoc cum illo locum indicat eundem, ut Socrates cum Platone dicitur esse, quia in eodem loco: Vel denique idem tempus, ut Aristoteles cū Alexandro magno fuisse prædicatur, quia in eodē tempore: accurate uidendum est an quæ per hoc cum illo totius redditur definitio, unitatem subiecti, uel loci, uel tēporis respuat. nam si neq; consenserint subiecto, neq; loco, neq; tempore, quæ definitione tali explicantur, destruenda erit talis definitionis constitutio, quæ per hoc, cum illo, contextitur. ut qui definiret uirtutem esse continētiam cum temperantia: quia neq; in eodem subiecto primo sunt, neq; tempore, neq; eodē loco, destruitur: q̄ oporteat esse simul, quæ hoc modo definiuntur. quemadmodum qui definit uirtutem esse iustitiā, temperantiam, prudentiam cum fortitudine, is obseruat & subiecti unitatem: quia hæc in anima constituuntur. & qui corpus tribus assurgens dimensionibus cum superficie dicit, locum eundem mōstrat: in eodem enim in quo corpus, & superficies illius. demum qui fortitudinem seu uirilitatem audaciā cum recta intelligentia tradit, temporis notam demonstrat. Facillimus igitur est huius loci contextus, qui uelit hoc cum illo nō posse dici per eiusdem loci uel subiecti uel temporis depulsionem.

Si autē diuiso quoties dicitur alterū cū altero, verū erit in eodē tēpore utrūq; esse, considerandū si cōtingit nō ad

eundē vtrūq; dici finē. Vt si fortitudinē diffiniuit audaciā cū recta intelligētia. cōtingit enim audaciā quidē habere spoliādi, rectā autē intelligentiā circa salubria: sed nondū fortis qui in eodem tēpore hoc cum illo habet.

Locus à finis partium abinuicem distinctione expugnat totius definitionem per hoc cum illo prolatam. Si autem acceperimus ea quæ definitione taliter enuntiata comprehenduntur, esse eiusdem subiecti, loci, & temporis. nō enim oportet omnia quæ sic definiuntur loco superiore destrui per distinctionē subiecti, loci, & temporis: sed cōtingit illa quibus definitur totum, horū utrūq; & quod per hoc, & quod per cū illo dicitur, simul esse. quare considerandū est summopere utrū ad eundem finē destinētur an nō: quoniam si non ad eundē finē utrumq; definitionē totius consarciēs contigerit dici, inconstans mōstratur definitio cōdita. ut qui fortitudinē describit esse audaciā cum recta intelligētia, licet audacia & recta intelligētia sint in eodem subiecto, loco & tēpore: ex eo tamen q̄ ad eundem finē contingit nō dici, uel q̄ nō referantur ad idem, labascit. audet enim quis aliena impetu omni diripere, quod grassatorum manus truculentissima nefandis ausibus sæpe cōprobat. quare si audaciā habet quis spoliandi, & rectam intelligentiā is idem potest habere, ut circa salubria, uel alia: quæ non ad morū prohibitam subleuandam proponuntur. attamen tam præclarum fortis nomen non reportabit. quis quæso studiosum uelit appellare, nisi cui mala pro bonis sunt, iniquissimum, truculentissimum, homicidam, omnium legū perfractore? quare si nullus depopulator, nullus prædo, nullus pirata sit studiosus: neq; fortis dicetur, quantumuis bonus fuerit medicus. quare notū est, ut fortis appelletur quispiam, nō sufficere ut audaciā cum recta intelligentia nactus fuerit in eodē tempore, sed oportet & audaciā & rectam intelligentiā circa honesta & terribilia mortis pericula in bello.

Amplius si & ad idē ambo dicuntur. ut ad medicatiua. Nihil enim prohibet & audaciā quādā & rectā intelligentiam habere ad medicatiua: attamē nec sic fortis, qui hoc cum illo habet. neq; enim ad alterū, eorū vtrūq; oportet dici, neq; ad idē quodcunq; sit: sed ad fortitudinis finē. ut ad bellica pericula, aut si quid magis est illius finis.

Locus à discrimine finis inter totum & partes dissipat totius rationem, q̄ oporteat in bene fida totius definitione totum ad idem ordi-

73
A distinctis
finibus partium.

74
A distinctis
finibus totius
& partium.

nari cum partibus. quapropter qui definiunt fortem eum esse qui audeat quippiam cum recta intelligentia, hoc nomine male audiunt, quod non ad eundem finem totum & partes dirigi necesse sit, etsi partes inter se de fine conuenerint, nec non tempore, loco, & subiecto. Nimirum nihil obstare uidetur, quo minus idem audacia habeat & recta intelligentiam in his quae pertinent ad medicatiua & salubria, quam non paruae chirurgus dignitatis habeatur, qui uirili & erecto animo morbis medeatur periculosiss, quibusque ulceribus impuris, tetriss, & foetidiss medicamenta admouet etiam foedi odoris. nam habet cataplasmatiss nunc sanare morbos, & eos qui in ala, aut in inguine abscesserunt maxime, nunc adustione. curatur etenim rectissime illa abscissus his, qui lati, processusque eruperunt multiplici in uenosis partibus. Nunc incisione, ut inflammationes & tubercula, quae in acutum se colligunt aptissime & quae parte solida non extant sanitatem per illam recipiant. uerum haec munia obire nemo poterit, qui pusilli fuerit animi & plusquam muliebris, in quibus tamen tota chirurgi conseruatur authoritas. Idem dici de medico potest, qui sciens est, & cuius usus non in manu esse cessione, sed in actione exultat. Oportet enim medicum adesse esse firmum & constantem in urinae cuiusuis etiam ut uelis graue olentis contemplatione (ne dicam in stercore agnitione) ut quasi putares iuste eum oppletae naris & nullius gustus esse. quare magno opere conducit ad utraque, medicinam digne administranda animi sublimitas: cuius omne opus & negotium in foetidiss situm. proinde is qui foetores execratur, utriusque ineptissimus fuerit assecla. uerum tamen is fortis non uocabitur, qui stabilem habet animum & audentem cum recta intelligentia in morborum curatione & medicamentis, & talis sit medicus. nam fortis pro fine habet pugnam honestissimam pro patriae tuela & bono. qui uero sic audeat cum recto intellectu, sanitatem conspiciat. Cum igitur non oporteat ad alterum finem dici utrumque, eorum quibus definitur totum per hoc cum illo, quod ad eum ad quem totum destinatur, destruetur posita fortitudinis definitio, audacia cum recto intellectu. Caeterum non tantum sufficit ut ad eum finem & totum & partes, quibus constat definitio, quae per hoc, cum illo enuntiat, instituantur: uerum etiam ad eundem finem consimili modo. ut non bene definitur fortis, qui audeat cum recta intelligentia quouis modo in periculis bellicis. nam talis fortis non congruit, sed qui audeat cum recta intelligentia, & omnibus uestitur constantiarum ornamentis. In plenum conuenit ad quod refertur totum & eius partes quae afferuntur in definitionem, ad illud ipsum ordinetur.

Quaedam autem sic assignatorum, nullo modo sub dictam

Chirurgi triplex opus.

cadunt diuisione. vt si ira, tristitia est cum opinione par-
uipendendi. nam & propter huiusmodi opinionem tristi-
tia fit, hoc vult indicare. propter hoc autem fieri aliquid,
non est idem ei quod est, hoc quidem cum illo esse, secun-
dum vllum dictorum modorum.

Locus à distinctione definitionis quæ per hoc cum illo effertur ex-
trudit alicuius totius definitionem, quæ ementitur rationem, quæ per
hoc cum illo dicitur. Contingit enim quædam definiri sic per modum
illum, quo dicimus hoc cum illo, apparenter, ob uocū consimilem stru-
cturam & obliquitatem huius cum illo: quarum præstigia uafra men-
tis scatere elucidabit diuisio in sua membra huius modi definiendi, quo
dicimus hoc cum illo. ut sit non dilutæ estimationis assertor definitio-
nis iræ hanc proferens, tristitia cū opinione paruipendendi, eam athle-
ta generosus instrumento diuisionis ualido dissecabit & prorsus deij-
ciet: qui neq; tristitiam, & opinionem paruipendendi monstret accipi
iram, neq; ex tristitia & opinione paruipendendi: neq; iram sumi tri-
stitiam cum opinione paruipendendi, ut intelligatur idem tempus, idem
subiectum, idē locus, idem finis: atqui id omne quod definitur per hoc
cum illo, necessariū est in aliquod horum membrorū uenire. fit igitur
ut illis destructis omnibus partibus & totū corruat: partes autē om-
nes distrabūtur assumptæ ab assignata definitione, quoniam talis de-
finitio in hanc recidit, ira fit tristitia propter opinionem paruipeden-
di, & hunc sensum sustinet definator definitionis statutæ: at manifestū
est ipso partiū discursu & reuolutione assumptarū nullam esse par-
tem, quæ non dimoueatur ab illo definitionis sensu: igitur non est di-
cēda talis definitio per hoc cū illo. huic nempe quod dicitur aliquid fie-
ri propter hoc si nullus modus idē fuerit huius, quod explicatur hoc
cum illo, nemo in ambiguitatem trahere potest euerisionē in principio
statutæ definitionis, quæ per hoc cum illo circumferrebat.

75
A diuisione
definitionis
quæ per hoc
cū illo dat.

Rursum si horū compositionē, dixit totū. Vt animæ &
corporis cōpositionem, animal. primū quidē consideran-
dum si nō dixit qualis cōpositio. vt si carnē diffiniēs aut
os, ignis & aeris & terræ dixit cōpositionem. non enim
sufficit cōpositionem dicere, sed & qualis determinandū.
nō enim quolibet modo cōpositis his, caro fit: sed sic qui-
dem cōpositis, caro: sic vero, os. Videtur autem neq; esse
omnino cōpositioni idē neutrū eorū quæ dicta sunt. nam

cōpositioni omni dissolutio cōtraria: dictōrū autē neutri, nihil. Amplius si similiter est verisimile omne cōpositum cōpositionem esse, vel nullū, animalīū autē vnumquodq; cum sit cōpositum, non est cōpositio: neq; profecto aliorum compositorum vllum cōpositio erit.

76
Ab indeter-
minatis par-
tibus.

Locus ab indeterminatione partium corrumpit definitionē totius. Si enim definiat quis totum per compositionem partium seu rectius esse compositionem partium, non mediocre admiserit erratum. ut qui dicit animal esse animæ & corporis compositionem, animal totum quidem est, partes vero anima & corpus: quod qualis sit cōpositio dicere debuisse. nō enim quæcumq; partium cōpositio totum efficit, sed quam naturalis ordo constituit: quare is de substantia rei non negabitur. Qui autem carnē definiret uel os esse cōpositionē ignis, & aeris, & terræ, peccabit: q̄ compositionem talium partium legitimam non concluderit, neq; quouis modo compositis illis membris fiat caro, aut os: consentiret enim hæc adiunxiō. uerum sit caro ex cōpositione talium in certa mediocritate: os uero sit etiam ex compositione eorundem, sed alio certo temperamento, quod huic conuenit tantum. Ad hæc cōpositio partium & totum nō sunt idem, nam eisdem definitione eadem insunt, & de eisdem eadem dicuntur: at cōpositioni partium dissolutio contrariatur, toti uero dissolutio non contrariatur. neq; enim ossi, neq; carni, & similibus dissolutio aduersatur: quia substantia absoluta est, cui omnes nihil cōtrariari uno ore proclamant. Scimus enim grauissimos philosophia professores, qui non pertimescunt ingenue cōfiteri formam substantialem substantiali contrariari: neq; id repugnare Aristotelis axiomatibus arbitrantur, q̄ hunc de toto ente naturali uolunt intelligendum, cum substantiæ nihil cōtrariari docet. Nam, inquiunt, substantiales formæ minus possunt idem subiectum cohabitare, quam accidētariæ: at hæc contrariæ ponuntur, igitur illæ. Verum si hæc ratio firma sit, eadem specie inter se & solum numero differētia, contrariabūtur: ut forma Socratis, & Platonis forma sunt eadem specie, numero tantum differentes: quæ contrariantur, quia in eodem simul non sunt, neque possunt esse. Si enim Socrates & Plato sint eiusdem speciei, & formæ inter se: at cōtraria omnia sunt in contrarijs generibus, uel genera contraria, uel in speciebus contrarijs. Similiter imago imagini cōtrariaretur, quum lignum habēs formam mensæ, uel alterius artificialis, aliam non simul admittat. sed hæc attigisse sufficiat. Adiuugitur

Sit ne substantie contrarium.

superioribus ratio alia quæ persuadere conatur compositionem partium nullam esse compositum. Nam probabile est, quod in uno similiū dicitur, & in reliquis similiter omnibus recipiatur: & quod in aliquo negatur, in reliquis omnibus remoueat: at unumquodq; animal cum sit compositum, nō est partium compositio, igitur nullum compositum est partiū compositio: nam quod in uno destruitur, & in reliquis probabile est omnibus euertatur. Similiter si unumquodque animal cum sit compositum, esset partium compositio, & omne compositum uerisimiliter diceretur partium cōpositio. quia ex particularis assumptione per suppositionē & præcōfessionem, quod in uno dicitur, in omnibus cæteris putatur dici, uniuersale colligi potest proloquium.

Rursum si similiter in aliquo nata sunt esse contraria, diffiniuit autē per alterū: manifestū quoniā nō diffiniuit. Si autē nō ita est, plures accidet eiusdē diffinitiones esse. quid enim magis qui per hoc, q̄ qui per alterū diffiniens dixit: eo q̄ similiter utraq; nata sunt fieri in eodem. talis autē animæ est diffinitio: si quidē est substantia disciplinæ susceptiua. nam similiter & ignorantia est susceptiua.

Locus ab altero contrario similiter subiecto conueniēte effringit definitionē subiecti, eo q̄ talis definitio per alterum contrariū, cuius ipsum subiectū est similiter susceptiū ac alterius cōtrarij, naturā subiecti integrā haud absolut. nā qua ratione diceretur unū contrariorū esse de natura subiecti, & reliquū: quare uno nō tota uis cōtineretur, neq; duobus consarciri est possibile contrarijs: quare tanq̄ mutila & uaga reijcietur. Adhæc pertinaciter sustinēti, neq; huic rationi acquiescenti, uia ratione indicabitur, quæ ad incōmodum sua uirtute hūc pertrahet, talē definitionem per contrariū alterū fūtile esse. Sit igitur ut uelit bonam esse definitionē per contrariū alterū effusam: sequetur hoc optima differendi lege contra omniū hominū receptā authoritatem, uere dixerim portentū, q̄ eiusdem plures constitueretur definitiones. Nam sicut illa dicitur esse definitio subiecti, quæ assurrexerit unius cōtrarij accessu, ita & reliqui adiunctione simili: at hæc eadem non erit superior, quæ admiserit contrariū: quare si hæc efficiatur definitio & illa, eiusdem habentur plures. Quid enim magis definet per unū q̄ per alterū, cum ex æquo utriusq; subiectum, quod definitur, dicatur susceptiū? quare uel utroq; definetur contrario, uel neutro ueniet definiendū: non autē utroq; contingit finiri, quia plures haberentur eiusdē rationes, igitur

77
Ab altero
contrariū
similiū.

neutro definitur. Qui ergo definit animā, substantiā disciplinæ susceptiuiā, hac labe foetet. nam definiretur & anima, substantia ignorantia susceptiua alia ratione: cum sit ipsa similiter contrarij utriusq; capax. Videant isti qui gloriolas efflant inanes, sit ne anima substantia, qui diffidentur substantiarum alias esse corporeas, alias incorporeas, pro nihilo ducentes Porphyrij diuisionem, & corpus pertinaci quadam opinione (qua ferme hoc hominum genus intumescit) proficetur publico theatro summum esse genus. at nescio an audeant diffiteri corporeum cum corpore recurrere posito summo genere, & esse differentiā. id si admiserint, & fateri coguntur differentiā generi summo æquam. Considerarem libens, an substantia de corpore prædicatur, ut superius uel æquum, & quomodo. non autem ut æquum prædicatur, quod nō omnis substantia sit corpus. Similiter si omne ens sit substantia uel accidens, anima uero non est accidens. Adhæc requiro differat ne corporea ab incorporeis, non enim eadem sunt: & utrum differentia tantum accidentaria an substantiali. non tantum accidentaria dici potest. quod si substantiali differant, neq; genere excluduntur. Præterea, Nōne anima de hac anima prædicatur, non ut differentia, neq; proprium, neq; accidens, igitur genus uel species. Similiter de ea non æquiuocæ, nō denominatiue, igitur uniuocæ dicitur. Pluribus agerē argumētis si assertorum positionem satis haberem cognitam, & eorundem mentem tenerem. proinde iam cano cepto receptui, ne uidear obstrepere haud facile perspectis uanis deceptionum laqueis.

Oportet autē si nō ad totam habeat aliquis argumētari definitionē, eo q̄ nō nota sit tota, ad aliquam partiū argumentari si sit nota, & nō bene assignata appareat. nam parte interempta, & tota definitio interimitur.

Pro totius negotij coronide summa adiiciuntur quatuor documenta, quæ uidentur ad leuandū laborē institui & abundantia maiore differētis aliqua ex parte, quorū primū est. si disceptans nō habeat in totā definitionē quod obijcere possit, eo q̄ nota nō sit, ei per opportunū fuerit cōcurrere ad partes illius definitionis, & eas præsertim recipere, in quas argumentari potest: ubi uero pars male assignari proditur, ut genus & differentia, tota euertitur definitio posita. nam parte finis trucidata, tota perit definitionis constitutio. quare conueniens erit hoc refugium ad partium reprobationem seu disceptationem. ex qua non minor imbibitur usus quā in inito certamine in totā definitionem. qui igitur totā non potest impugnare, admouendo in illam argumēta, quia

In eos qui diffident diuisionē substantiæ.

Ad abundātiā quatuor documēta. Primū, inco gnita definitio ē ad partes trāscendū.

tota non innotescit satis aperte, sed partem aliquam illius, ob id quòd ipsam non esse genus uel differentiam indicare potest, præclarum insituisse opus existimabitur. nam quicquid ualet ad destructionem generis uel differentie, & ad definitionis interitum.

Quæcunq; autè obscuræ sunt diffinitionū emédanti & cōdescribenti ad manifestandū aliquid & habendū argumentū, sic cōsiderandum. Necessè est enim respōdentem aut suscipere quod sumptū est ab interrogate, aut eundem declarare quid temere est ostensum à definitione.

Dum multa definitionum obscuritate laboramus, tempestiua fuerit trāsumptio ad notiores definitiones, in quas argumentū & ratio ar-
 mari possit prompte. nam disceptator per traductionē ad aliā clariorē omni neglecta fuligine nanciscetur paratiorem congregiendi copiam, qui non transmutet, nisi in aliam impugnatione faciliorē (ea enim debet esse transmutantis sagacitas, ut ad opportunius transferat) si uero translationem in aliam non admisit respondens, cogitur aperire distinctionē statutæ definitionis ab alia in quā trāsumptio facta erat, & quid temere dicatur, monstrare, uel recipere traductionem definitionis obscuræ in aliā manifestiorem. Absurdus profecto nimis fuerit, qui neq; permutationem in aliam fieri clariorem patietur, neq; proferet, quo minus permutetur in illam, causam. Magnopere ut edum fuerit hoc præcepto, ubi uisuntur usq; adeo morosi respondentes & definitionis assertores, ut dedignentur differenti mentem & positionem elucidare. Aggressor enim tunc non habet quid comminiscatur, quid obijciat, quòd non intelligat definitionē. hoc unum illi superest, ut effingat quandam aliam definitionem notam, in quam transferat illam quæ incerta & caliginosa in principio defenditur, & demum in eā differat.

Amplius quemadmodum in congregationibus solent legē inducere, & si sit melior quæ inducitur, interimit anteriore: sic & in diffinitionibus faciendū, & diffinitio alia ferēda. Nam si apparet melior & magis manifestās quod diffinitur, perspicuū quoniam interempta erit quæ posita est. eo q̄ nō sunt eiusdem plures diffinitiones.

Quemadmodū impendio difficile est agnoscere leges rite latas esse, ut in politicis habetur, sed opus est multo tēpore, & euentu ad cognoscendum præstantiam & utilitatem, proinde fit sepe ut adueniantur annorum serie, qui intelligantur prioribus & antiquis accommo-

Secundum,
trāsumptio
definitionis

Tertiū, de
finitionis
unitas.

datiores, & hæc ob id inuentis cedant. Neque enim oportet omnibus temporibus easdem leges esse peropportunas, etiam si bonæ fuerint: uerum tempore rerum omnium inuētore conduntur nouæ leges, quas antiquis reiectis & emortuis meliores crediderint. sic in definitionibus instaurandis, si habeatur alicuius definitio, & rursus noua eiusdem comperiat, quæ congruentior appareat priore recepta, alia destruitur: quod eiusdem non habeantur duæ definitiones, quare melior erit dicenda, & non altera. hoc modo monstratur motus non esse in genere inæqualitatis, uel priuationis, neque per id definiri, quod magis in actu & in potentia sit.

Ad omnes autem diffinitiones non minimum elementum ad seipsum, solerter diffinire propositum, aut apte dictum terminum assumere. Necessè est enim ueluti ad exemplar considerantem, & quod minus est ijs quæ oportet habere diffinitionem, & quod appositum est superflue, inspicere. quare magis argumentis abundare. Quæ igitur circa diffinitiones sunt, intantum dicta sint.

Quartum,
Definendi
legem habe
re præ ocu
lis summū
præsidium ad
copiam.

Ultimum ad abundantiam differendi in definitionis problema documentum non mediocre existit, quod admonet tam feliciter exercenda ingenia esse, ut possint omne propositum in non perspecto tempore definire, uel bene assignatas definitiones assumere & admittere. Quod ut consequantur, necessarium fuerit animam attollere ad quoddam uelut exemplar, quo tanquam regula certissima iuuentur ad cognoscendum quæ immixta fuerit definitio, quæ superflua. Nam qui certam habet definiendi legem, tali supra quam dici potest leuatur ad præcipue definiendum unumquodque. quare & ad augurandum quæ malæ fuerint definitiões assignatæ profuerit scire, quæ huic legi dissentiant. nam huic repugnantes ut uitiatæ, multis argumentorum incur sibus affligentur: de quibus dictum est in hoc libro. nam que rationes & quot admoueri possint ad problema definitionis defensum siue bonæ siue simpliciter, qua potuimus industria cõmentum sumus. Quinq; enim sunt circa definitionem inquirenda in primis, an in sit, an cõuertibiliter, an genere & differentia cõposita sit, an bona sit definitio, & denique: an sit simpliciter definitio. Prima inquisitio locis accidētis secundo libro terminatur, secunda tertio, tertia quinto, at quarta & quinta hoc clauduntur, quæ duobus locorum ordinibus examinantur. prior locos habet, quibus trutinatur quarta addubitatio, & posterior quintam inquisitionem suis munimentis infirmat uel confirmat. sed iam uideas quasi in procinctu singula.

QUINQVE PRIMI LOCI OB OBSCVRITATEM

non bene definiti quippiã indicant, reliqui quinque ob superfluitatẽ.

Primus, ab æquiuoco	6	à communi nomine
2 à metaphora	7	ex ablatione
3 ab inconſuetis nominibus	8	à parte inferiore
4 à contrarij definitione	9	à frequenter dicto
5 à definiti ignorantia	10	ab additione.

INFIRMATVR DEFINITIONIS POSITIO HIS

ſequentibus locis.

Primus, ab oppoſitis	27	ab ipſo magis & minus
2 ab eodem	28	à diſſimilitudine intẽſionis
3 à differẽtia eiũſdẽ diuiſiõis	29	à cõparatiõẽ facta duobus
4 ab inferioribus	30	ab ipſo magis
5 à generis abſentia	31	à differentiarũ diſtinctione
6 ab imminutione	32	à definitione
7 à genere tũ proprio, tũ cõi	33	à correlatiuo
8 à differentia	34	à medio
9 à negatione	35	ab actione
10 à ſpecie	36	à circumſtantiarum defectu
11 à genere	37	à defectu driã apparentis.
12 à prædicatione in quid	38	à coniugatis
13 ab accidente	39	à ſpecie relatiua
14 à prædicatione differentie	40	à definitione correlatiui
de genere	41	à definitione contrarij
15 à genere prædicatẽ de driã	42	à priuatiue contrarijs
16 à prædicatione ſpeciei	43	à cõtrarijs ſecundũ habitũ.
17 à driã quæ poſterior ſpecie	44	à ſubiecto priuationis
18 à diſtinctione generum	45	à priuatione
19 à determinatione loci uel	46	à caſibus
alterius	47	ab idea
20 ab affectu	48	ab æquiuocatione
21 à generis diſtinctione	49	ab æquiuocis definitis
22 ab accidente relatiui	50	à definiti determinatione
23 à poſteriore habitudine	51	ab authoritate
24 à ſubiecto	52	à partis remotione
25 à tempore	53	ab æqualitate
26 à cõparatiõẽ ſecũdũ magis	54	à diuerſorum cõmutatione

55	à generis permutatione	68	à medio
56	à communi definitione	69	ab inuoco
57	à definito superiore	70	ab ideterminata cōpositiōe
58	ab ideterminato correlatiuo	71	à fruitionibus per hæc &
59	à perfectione & habitu		ex his
60	ab ijs quæ per se nō dicuntur	72	à diuisione
61	à repugnantibus	73	à distinctis partium finibus
62	à ptibus nihil cōponētibus	74	à distinctis totius & partium finibus
63	à subiecti unitate	75	à diuisione huius cum illo
64	à subiecti distinctione	76	ab indeterminatis partibus
65	à partium destructione	77	ab altero contrariorum.
66	à dissimili		
67	ab ipso magis tali		

ANTONII DEMOCHARIS
 RESSONEI IN SEPTIMUM LIBRUM
 TOPICORUM ARISTOTELIS,
 HYPOMNEMA.



Trum autem idem an diuersum secundum propriissimum eorum, qui dicti sunt de eodem, modorum dicendum. Dicebatur autem propriissime idem, quod numero vnum.

Mirum alicui uideri non debet, qui coniunctionem huius libri cum superiore intuetur, si Aristoteles hunc superiori proxime coniunxerit. cuius rationem precipuam hanc esse autumamus, quoniam problemata eiusdem numero et diuersi affinitate magna cum definitione consentiunt: quemadmodum monstratum est euidentissime primo libro, dum quatuor praedicatorum definitiones quaeremus, in quae omnia problematum genera recidere dicuntur. nempe in confinia et ordinem definitionis quaestionem de eodem et diuerso secundum numerum pertrahendam docuimus. At discutuntur hoc libello quaestiones eiusdem secundum numerum et diuersi, proinde post exactum locorum definitioni subseruientium traditionem, hic liber utiles proferet admodum locos ad constructionem eiusdem et diuersi secundum numerum, et destructionem: qui suppeditabunt etiam praesidium definitioni spectandae. Nam qui potest, quoniam hoc est huic idem uel diuersum numero, in singulis corroborare, facili negotio et eadem industria definitionem eandem esse definitio concludere ualebit. similiter quibus arguemur locis illud diuersum esse numero ab aliquo, eisdem poterimus ratiocinari definitionem assignatam a definito seungi. Porro cum multiplex sit idem, nam genere, specie, et numero, ut dictum est in primo Topic. decenti officio doctoris, qui non sinit misere iuuenum animos ambagibus et sermonibus dubiis discrucari, in ipso uestibulo ipsum idem praescribit Aristo. et insigni albo designat, ad quod tanquam ad scopum animum dirigere congruat, cum inquit, Dicendum est de eodem secundum propriissimum modorum qui dicuntur de eodem, quem modum explicans propriissimum, subnectit: Dicebatur autem idem propriissime, quod unum est numero. Est profecto idem numero, propriissime idem multis nomi-

De ordine
libri huius.

Tractatus
huius.

Multiplex
idem.

Idem propriissime.

nibus. nam & omnes modos eiusdem amplectitur, & infert quodam potestatis iure. numero siquidem eadem omnia, tum specie, tum genere, & (si placet adiungere) analogia eadem dicuntur. nam quæ numero eadem, & specie: & quæ specie eadem sunt, & genere: & quæ genere eadem dicuntur, & analogia sunt eadem. Verûtamen nõ oportet quæ genere eadem sunt, & specie: & quæ specie, & numero: ut agnoscenti definitiones palã fit. at ea quæ differunt, præposterũ ordinem sequuntur. nam quæ differunt genere, & specie: & quæ specie, & numero. nõ tamen contra, quæ differunt numero, oportet specie disiungi: neque quæ specie dissonat, genere discrepare: quod Aristoteles in quinto metaphysicis luculente prodidit. Vnde maxima differetia & diuersitas est generũ, & maxima unitas est eorũdem numero: quia eadem specie non sunt simpliciter eadem & proprie. nemo arbitratur, nisi hebes, fatēbitur uirum mulieri esse eundem, uel Hectorem Achilli, eiusdem tamen sunt speciei. Dicere uero eadẽ genere, esse simpliciter eadem, pias offenderet aures. quis enim ferret hominem esse eũdem canis, uel asino: nisi qui simul sit homo & canis, uel homo & asinus? quare illa cõgrue eadem propriissime dijudicantur, quæ numero eadem recipiuntur, & secundum substantiã eandem dicuntur: quæ ratione non differunt, sed sola nominũ appellatione, ut uestis & tunica: & quæ definito & definitione efferuntur, ut homo & animal gressibile bipes. Nõ enim eadem numero, propriissime dicuntur omnia, sed hæc tãtum quæ suscipiuntur eadem numero primo modo: at quæ secundo modo & tertio eadem numero, ut proprio & accidente exprimuntur, neq; propriissime eadem erunt, neque huius instituti. uerum idem proprio, ad proprium transmittitur, & quintum librum: idem accidente, ad accidentis positionem: idem uero genere, & specie, ad generis problema. Neq; falso & leuiter æstimare oportebit, hoc libello solum tractandum esse de problematibus eiusdem numero & diuersi, quum tria completatur discutienda. Nam & problema eiusdẽ locis examinandũ statutis, adhæc locos definitionis cõstructiuos, demũ usum & facultatẽ construendorũ & destruendorũ problematũ, monstrata omniũ multiplici natura: quare & in hæc tria non uerebimur hunc libellũ distinguere, ut faciliorem sternamus uiam ad huius cognitionem aspirantibus.

Considerandũ autẽ ex casibus & cõiugatis & oppositis. Nam si iustitia idem est fortitudini, & iustus forti, & iuste fortiter. Similiter autẽ & in oppositis. nam si hæc eadẽ, & opposita his eadem secũdum quamlibet dictarum oppo-

Multiplex
idem numero.

fictionum. Nihil enim differt hoc vel hoc modo oppositum sumere: eo quòd idem est.

Primus locus ad disceptandū in problema eiusdem numero, est constructiuus & simul destructiuus: qui à casibus, & coniugatis, nec non oppositis denominabitur. Nā si idem sit primigeniū primigenio, & deflexū deflexo: & cōtra. Si uero nō idem sit denominans denominanti, neq; denominatū denominato: & cōtra. ut reprobabitur Menedemus Eretrienſis, qui multitudinē uirtutū ac differētiā sustulit. nā idem tēperatiā, ac fortitudinē, & iustitiā esse numero defendit: & nō differre nisi nominibus, ueluti gladius & ensis: q̄ fortis non sit idem numero cū iusto & tēperate, neq; idem sit uiuere fortiter & iuste & tēperate. ut si idem est peccatū & mors, & peccare & mori: q̄ si nō idem hoc, neq; illud. similiter in oppositis utrūq; facile est ostēdere modū, & constructiuū, & destructiuū. Nā si duo duobus opposita sint eadē numero, & ea quibus opponuntur eadem numero erunt: q̄ si non sint eadem numero hæc, neq; illa: & conuerso ordine, in quibuscunq; oppositionis modis. nihil enim differt hoc modo, uel illo oppositionū opposita sumere, quoniā consimilis ratio in omnibus obseruabitur. ut si sit idē iuste uiuere & studiose, & idē erit iniuste uiuere & uitiose, & iniustitia & uitium, & iniustus & uitiosus, à contrarie oppositis ratio detrahatur. & si idē numero sit homo & uir, & non homo & non uir idē: ita in reliquis oppositis utrūq; differendi modū facile est nancisci. Forſan uehemēti instabis ratione auctoritate Aristotelis in tertio physicorum, qui inquit, quòd non oportet si doctio & ediscētia sint idem, discere & docere eadem esse. An Aristoteles non arguat à coniugatis, qui ordinem uariū monstrare uelit inter rem eandem, ut ab agēte ipsa profluit, & in passo recipitur. Quod docens ait, non enim eadem omnia ijs insunt, quæ quolibet modo eadē sunt: sed solum quibus esse idem est. At uero neq; si doctio & disciplina sunt idem, & discere & docere idem erunt: sicuti neq; si spatium unū distantiuū sit, & distare hinc illuc, & illinc huc unū & idem. cuius uerbis solū indicatur q̄ rei eiusdem uaria ratio habeatur. ut si conædatur idem esse doctio & disciplina, non tamen sequi oportet ex eo, idem esse discere & docere: nam quanuis sit eadem distantia qua hinc illuc, & illinc huc quid sit distās, non tamen idem est hinc illuc, & illinc huc distare. Reuera autem neque doctio & addiscētia idem est, neq; passio idem est & actio, sed ea quibus insunt. doctrina enim nihil aliud est, quàm id quod docendo condiscendōq; paritur, ediscētia uero est susceptio doctiois. doctio ipsa

Prim^o locus à coniugatis casib⁹ & oppositis.

Obiectio uehemens.

doctrinæ traditio. Neq; idem fecerim doctioem & doctrinam, neque disciplinā & ediscētiā: q̄ alia dicūt mutationē, at nō reliqua. Vult igitur Aristoteles quōd non oportet si doctio sit eadem ediscētiæ, quōd idem sit ediscere & docere. in qua ratione uides transmutationē extremorum constitui seu conuersionem fieri, & nō argumentari à cōiugatis. Si tamen proponeretur sic, si doctio est eadem ediscētiā, igitur docere est idē ediscere, ualida fiet ratio, & à cōiugatis traberetur. uerum q̄tum hæc argumētatio à superiore dissideat, notū sit paulo uim rei probādæ rimatius intuētibus. Proinde putamus rectius Argyropyli textum sic habētem: At neq; si doctio & disciplina sint idem, idem erit & docere ac discere, in hunc esse conuertendum: At neq; si doctio & disciplina sint idē, idem erit & discere ac docere: quod Aristoteles obseruauit maxime. nā aliter uim nō haberet sua ratio ad id quod profequitur: cuius uerba hæc sunt, ἀλλ' οὐδ' ἂν ἢ διδασκίῃ τῆ μαθήσει & αὐτῷ, καὶ ἐ μανθάνει τῶ διδασκαίῃ τὸ αὐτό.

Rursum ex effectiuis & corruptiuis, & generatiōibus & corruptionibus, & omnino ex ijs quæ similiter se habēt alterū ad alterū. nā quæcūq; simpliciter eadē, etiā generatiōes eorū & corruptiones eadē, & effectiua & corruptiua.

2
Ab effectiuis, corruptiuis.

Locus ab effectiuis, corruptiuis, à generationibus, & corruptionibus ad utranque partem problematis eiusdem numero plurimum ualens, & à proportione seu ijs quæ similiter se habent, ut unū ad unū, ita reliquū ad reliquum. Quæcūq; enim simpliciter eadē & propriissime sunt, & eorum generatiōes sunt eadem numero, & eorundem corruptiones erūt eadem: & quæcūq; sunt eadem numero, & effectiua eorum sunt eadem numero, & corruptiua. & contra, si aliquorum sint eadem generatiōes, uel corruptiones, uel effectiua, uel corruptiua numero, & illa eadem sunt: quōd si non hoc, neque illud. ut si homo & terrigena idem sint unmero, & generatiō unius est eadē numero alterius generatiōi, ut ex semine humano & anima rationali: & corruptio utriusq; erit eadem, ut dissolutio corporis & animæ: & causæ conseruantes eadem, ut nutrimentum idem & sanitas: & destruentes eadem, ut ieiunium & morbus: & ita de reliquis arbitrandum causis & effectis, tam constructiue quàm destructiue.

Considerandū autem & quorū alterū maxime dicitur quoduis esse, si & alterū ipforū secundū idem maxime dicitur. Sicut Xenocrates beatā vitā & studiosam assigna-

uit eandē: eo quod omniū vitarū maxime eligēda studiosa & beata. vnū enim maxime eligendū & maximū. similiter & in alijs huiusmodi. oportet autē vtrūq; vnū numero esse, quod dicitur maximū & maxime eligendū. si autē nō, non erit ostensum quod idē. nō necessariū enim si fortissimi Græcorū sunt Pelopōnesij & Lacedæmonij, eisdē esse Pelopōnesios Lacedæmonijs: eo quod nō vnus numero Pelopōnesius & Lacedæmonius. sed cōtineri quidē alterū ab altero necessariū: vt Lacedæmonij à Pelopōnesijs. si autē nō, accidet seipsis inuicē esse meliores, si nō cōtinentur alteri ab alteris. necesse est enim Pelopōnesios meliores esse quā Lacedæmonios, si nō cōtinentur alteri ab alteris. nā omnibus reliquis sunt meliores. similiter autē & Lacedæmonios necesse est meliores esse Pelopōnesijs. nā & isti omnibus cæteris sunt meliores: quare se inuicē meliores fiūt. manifestū ergo quoniam vnū numero esse oportet quod optimū & maximū dicitur, si debeat quod idem sint ostendi. propter quod Xenocrates nō idē assignauit. nō enim vna numero beata & studiosa vita. quapropter nō necessariū eadē esse, eo quod ambę maxime eligēdæ, sed altera sub altera.

Locus ab ipso maxime seu superabundantia constructiuus est eiusdem numero. Nam quæcūq; dicuntur secundum aduerbium maxime, illa necesse est eadem esse numero, nisi alterum sub altero contineatur: quod fieri nō possit ut gradus idē supremus pluribus impartatur. quare scrutinio quodam interiore considerare oportet, an dentur duo quorū de altero si cū aduerbio maxime aliquid dicatur, de reliquo etiam prædicatur illud cum eadem aduerbij determinatione: quoniam si offendantur utrumq; eandem prædicationem superlatiui admisisse, concludendum est tutissime illa esse eadem numero: nisi sub altero vnū contineatur. Verum id exemplis patefaciamus. sit Xenocrates, qui dicat beatam uitam esse maxime eligendam, uides in tali effato maxime eligendum de beata uita prædicari. si itaq; illud idem prædicatum de aliquo alio dicatur, ut de studiosa uita, eo quod omnium vitarum maxime est eligenda quæ studiosa fertur, connectetur iusta ratione quod uita studiosa & uita beata sunt idem numero. nam de utraq; maxime eligendum enuntiat: at vnū numero necesse est maxime eligendum & eli-

3
Ab ipso ma
xime.

gibilissimū & maximū dici. An alterū sub altero cōtinetur? quare Xenocrates in pseudographiam lapsus est, qui hoc genere argumenti uolebat firmare beatam uitam esse eādē numero studiosæ, quōd utraque maxime eligenda appellaretur. Nam manifestum est non esse eadē numero, sed alterā sub altera contineri tantum. nam beata uita continet studiosam, quemadmodum felicitas uirtutem. Non ignoramus esse quibus placuit & uisum est, ut intelligeretur per uitam studiosam actius, quæ proprie studiosa dicitur: & per uitam beatam contemplatiua: quos permittimus sequendos. Verum Aristoteles habet, & ἡ εἰς ἀρετὴν μὲν ὁ ἐν δ' αἰμῶν ὁ ὕδ' ὁ σπρδ' αἰὸς βίος. at ἐν δ' αἰμῶν felix dicitur, σπρδ' αἰὸς uero (ut testis est idem in prædicationē) ἀπὸ τῆς ἀρετῆς. nam τῆς ἀρετῆς ἕχαρ σπρδ' αἰὸς λέγεται, sed nō denominatione à uirtute. Cæterum in omnibus similiter quibus ipsum maximum duobus cōgruit, illa eadē sunt numero, siue numeris, siue magnitudinibus, siue uirtutibus, & potentijs insit. uel unum sub alio continetur, quia non est necessarium si fortissimi Græcorum dicantur Peloponnesij, & Lacedæmonij similiter fortissimi, eosdem esse numero Peloponnesios Lacedæmonijs. nam notum est non eosdem esse numero, quoniam regio est diuersa quam incolit Peloponnesius, alia quam Lacedæmonius: at quæ eadem numero censentur, in solo eodem & loco existunt, altero in loco existente. quare sub altero alteram necessario est. Porro Lacedæmonij à Peloponnesijs amplectuntur, quod omnis Lacedæmonius sit Peloponnesius, at non contra. Nam Peloponnesij dicuntur qui Peloponnesum peninsulam incolunt, à Pelope olim regnatore eius ita nuncupatam. Lacedæmonij uero qui Lacedæmona in signe Laconicæ regionis oppidum inhabitant. & hæc regio est in Peloponneso Achiæ regionis pars. quare si in Peloponneso ut pars Lacedæmoniorum sit solum, & Lacedæmonij Peloponnesij erunt, non contra. Nam in Peloponneso sunt Argolis, Laconice, Messenia, Arcadia, Elis, Achaia. Si plura desideres, ad Strabonem libro octauo, nono, decimo confugas, Plinium libro quarto, & Homerum secundo Iliados. Dicuntur igitur utriq; fortissimi Lacedæmonij & Peloponnesij, at id sit Lacedæmoniorū ratione, qui omnium habentur fortissimi Græcorū. nā quia Lacedæmonij erant fortissimi, dicebatur Peloponnesij fortissimi. Nam postq̄ non sunt ijdem, oportet alios ab alijs contineri, alioqui pugnantia sequentur. nā ex significatione fortissimi est notum, si Lacedæmonij sint fortissimi, omnibus reliquis sunt fortiores. Similiter & Peloponnesij omnibus alijs erunt fortiores. quare si nō continerent alij alios, essent seiuertem for-

tiores, quod est repugnans. Clarius habebis exemplum & familiarius, si Galliarum Picardos dixeris fortissimos, quod Bellouaci sint fortissimi, qui partē Picardiæ inhabitant. Qui sint Bellouaci, is qui scire percipit, legat Cæsaris cōmētarios, qui inter Belgas testatur fidelissime eos & uirtute, & authoritate, & hominum numero ceteros superare. de quorum laudibus pleno uolumine scribendum esset, nisi, dum nostrates pergerē decantare, uiderer mihi esse encomiastes. sit huius loci perioche tota, quod quibuscumq; quippiam cum aduerbio maxime conceditur, necesse est uel eadem numero esse, uel alterum sub altero: quare non erit simpliciter differendum per hunc locum, ut credantur aliqua esse eadem numero, quod de his ipsum maxime dicatur: sed cum hac conditione, nisi unum sub alio contineatur.

Rursum cōsiderādū si cui alterū idē, & alterū. Nā si nō sunt ambo eidē eadē, manifestū quoniā nec sibi inuicē.

Locus ab eisdem uel diuersis uni tertio cōstruit & destruit aliqua esse eadem numero. si quis enim dicat aliqua esse eadem numero propriissime, necessarium est cui unum horum idem fuerit seu conueniat, & reliquum: quod si unum non sit idem illi tertio, neq; reliquum. ut si locus & materia dicerentur esse eadem, oporteret cui conueniret in unitate locus, eidem & materia: at locus est idem, ac terminus corporis cōtinentis ultimus immobilis, non autē materia: igitur nō sunt eadem numero, quod eidem tertio non sint eadem. Monstrantur esse eadem lapis, & petra: quod eidem tertio eadem sint, ut saxo. Manifestum enim est quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se, quemadmodum in mathematicis proloquiū circūfertur q̄ clarissimum, Quæcūq; magnitudines esse æquales dicuntur, operæpretium est, cui una fuerit æqualis, & reliqua: quod si una alicui coæquetur & non reliqua, concluditur harum inæqualitas. sic in disciplinis cæteris eadem spectantur, per unum tertium cui comparantur.

Amplius ex ijs quæ his accidunt, & quibus hæc accidunt, considerandū. Nam quæcūq; alteri accidūt, & alteri oportet accidere: & quibus alterū eorū accidit, & alterū oportet accidere. si autem aliquid horum dissonet, dilucidum quoniam non eadem.

Locus à subiyciendi & prædicādi modis accidentium construit & destruit problema eiusdem. Nam oportet eisdem numero eadem inesse, quare plurimū cōuenit perpendere propositis duobus accidētibus quæ

4
Ab eisdē vni
tertio & dis
uersis.

§
A subiycien
di & prædis
cādi modis
accidētū.

eadem dicuntur numero, si quid uni insit horum, & reliquo: similiter si unum horum alicui insit, & reliquum eidem. nam si in aliquo dissonet modi uel subiiciendi uel predicandi horum, necesse est destrui illa esse eadem numero: quod ab eisdem numero consimilis subiiciendi lex & predicandi indissolubilis sit. ut hoc loco predicabimus eadem esse numero sensibile & tangibile, quod cui unum inest & accidit, etiam reliquum: & quicquid uni accidit, & reliquo id ipsum accidit. Insuper iusta oburgatione per hunc locum eos incessemus, qui idem arbitratur tangere & finitum esse, quod tangere ad aliud sit, omne enim tangens aliquid tangit: at finitum esse, non ad aliud dicitur. quare uniuersaliter in quibuscunq; eadem dicuntur esse numero, si illa non eisdem accidere possint altero accidente, uel illis eadem non accidant consimiliter, hoc loco instandū est: quo etiam aestimantur eadem, quae eisdem accidant, uel quibus eadem accidant. Nam inter numero eadem, nihil prorsus dissidij admittitur.

Videndum autem & si non in vno genere predicamenti utraque: sed hoc quidem quale, illud autem quantum, hoc autem ad aliquid indicet.

6
A prædicamentorum distinctione.

Locus à predicamentorum distinctione coarguit eiusdem numero problema. Quoniam ea quae disiunguntur genere summo, dissentiunt & genere medio: quae genere, & specie: quae specie, & numero: palam fit quaecunq; genere summo dissonat, & numero. Si quid igitur idem numero constituatur cum altero, quod quidem predicamento differat, id destruendum est esse idem numero. ut sit assertor aliquis, ut Pythagoras, qui dicat numerum eundem esse substantiae. initurus cum eo prælium, torquet aciem ad predicamentorum distinctas classes, quibus acutum communit telum ad hostem transfodiendum. Nam eo quod predicamentis & summis rerum ducibus, sub quibus militant, distinguantur, nota distinctionis monstratur insignis. Portant nimirum quaecunq; eadem sunt, sui ducis insignia, eundemq; uexillarium sequuntur. Ceterum non oportet, si quaedam in numerum eiusdem predicamenti asseratur, illa numero esse eadem. Multa etenim in eisdem castris uisuntur, quae non leui discrepant conditione. quis enim non pensiclabit substantias, corpora, animata, animalia, diuersis authoramentis defraudari, quae unius imperio gubernantur? Proinde dissimilitudo ducis & predicamenti præministrat uerā distinctionis opinionem, at unitas non unionem efficit. sit igitur locus ad destructionem tantum habilis.

Rursum si genus utriusq; non idem, sed hoc quidem bonum,

illud autē malū: aut hoc quidē virtus, illud autē sciētia.

Locus à generis medi diuortio demolitur positionē eiusdem. Nam quæcūq; genere differūt, & specie: at quæcūq; specie disseparantur, numero non sunt eadem. quare syllogismo elicitur, q̄ quæcūq; differūt genere, numerum eundem refugiant. ut sit quispiam qui dicat prodigum esse liberalem: quod alter quidem sub genere mali, at reliquus sit sub bono, paratur certa distinctionis fides: licet in eodem summo genere morentur. Similiter omnia uitia non esse eadē numero constitutemus, quoniam quædam sub excessu, quædam defectu resideant. Eodem modo prudentia & astrologia disiungi monstrantur, quia hæc sciētia, illa autem uirtus. Ad constructionē hic locus non est securus, quod non oporteat, quæ eiusdem generis existunt, eadem esse numero.

7
A gn̄is me
dij diuortio

Aut si genus quidē idem, differētix autē nō eadem de utroq; prædicatur: sed de hoc quidē quoniā contēplatiua sciētia, de illo autē quoniā actiua. similiter autē & in alijs.

Locus à differētiarum dissidio ad expugnationem unitatis efficax plurimū. Nam quorum differētia sunt uariæ, illa numero distinguuntur: sicut dicimus quæ specie distrahūtur, illa ipsa & numero discrepant. Ut qui posuerit prudentiam esse sapientiam, quæadmodum quidam appellantes omnes prudentes sapientes, improbamus: ob id q̄ prudentia sit actiua, sapientia uero sit contēplatiua, & non actiua. At si discrepent differētis, & natura necessarium est. nā differentia efficiunt distinctionē specierum, quas constituūt, à reliquis. Eodem loco iudicamus fortitudinem non esse iustitiam, hoc solo nomine, quod differentias excipiant uarias. Sic in cæteris relinquimus manifestum esse, q̄ quæcūq; etiam si prædicamento siue genere medio eadem sint, differētis eisdem non gaudent, illa unitatem numeri paruifecerint. Structure unitatis non fauebit hic locus, quæadmodum nec duo superiores: q̄ sæpe diximus non operæpretiū esse, si quæ sint eadem specie seu differentis, numero esse eadem: nempe est aliquis homo homini idem specie, cui tamen numero eundem esse non respondet.

8
A differens
tiarum dis
sidio.

Amplius ex magis, si hoc quidē suscipit magis, illud autem nō: aut si ambo suscipiunt quidem, non simul autem. Ut qui magis amat, nō magis concupiscit uerem: quare nō idem, amor & cōcupiscentia ueris.

Locus ab ipso magis propugnabit problema eiusdem duplici telorū genere, altero, si unum monstretur suscipere magis horum, quæ eadē

9
A cōparatio
ne maioris.

defenduntur, nō autem reliquum. Altero, utrisq; ipsum magis suscipien-
tibus, sed non simul. quoniam oportet quæcunq; eadem sunt numero,
æqualem intensionis legē similiter tolerare uel respuere, & simul. qua-
re si dentur homo & fortis eadem numero, quorum unum non ferat
ipsum magis, at reliquum blande deosculetur, ab unitatis subsellio de-
turbantur huiusmodi. non enim dicitur magis homo quisquam, bene ta-
men magis fortis. Similiter amor concupiscentiæ ueneris idem esse re-
fellitur, quod non suscipiant ipsum magis simul. non enim qui magis a-
mat, magis uenerē concupiscit, quod Aristoteles dicit, $\delta\upsilon\ \mu\acute{\alpha}\lambda\lambda\omicron\upsilon\pi\acute{\epsilon}\pi\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\mu\acute{\alpha}\tau\omicron\upsilon\upsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$. Boetius interpretatur, nō magis concupiscit coitū,
& bene: sed quia sententia hæc ab alia non dissidet. non immutauimus.
Ex loco igitur habemus, quod quæcunq; eadem numero sunt, eandem
comparationis legē & consimilem subeūt perpetuo nexu. quare quæ-
cunq; huius fuerint dissolutiua, à numero eodem arcebuntur.

Amplius ex appositione, si eidem vtrunque appositū,
non facit idem totum.

IO
Ab apposi-
tione.

Locus ab additione dissoluit problema eiusdem. Nam eadē numero
eidē apposita idē efficere debēt: quare si eidē utrūq; eorū quæ eadem
numero ponūtur, additū non fecerit idē totū, neq; idē erit unū cum al-
tero. quare hoc loco docemus liberalitatē nō esse eandē cū magnificētia,
q̄ liberalitas homini adueniēs liberalē denominat, non autē magnificen-
tia. sic magnanimitas & fortitudo differre monstrātur. similiter dicē-
dum est, si diuersis fiat adiūctio eorundē numero. nam considerādum
erit, an quæ eadē ferūtur, diuersis adueniētia tota cōstituerint eadem.
quoniā si reddāt diuersa per additionē eadē, illa non sunt numero ea-
dem. quoniā eisdem eadē conuenit facere, & diuersis diuersa adueniē-
tia numero eadē. ut trientē non esse eundē quadrātī, q̄ adueniētes di-
uersis eadē numero tota consūt. nam triens adiūctus quadrātī assem-
procreat, similiter quadrās semissi insertus eundē numerū adgignit.

Aut si eodē ab vtroq; sublato, quod relinquitur est al-
terum. Vt si duplum dimidij, & multiplum dimidij idem
dixerit esse. sublato enim ab vtroq; dimidio, reliqua idem
oporteret indicare. non indicant autem, nam duplum &
multiplum non idem significant.

IX
Ab ablatio-
ne.

Locus ab ablatione conuincit diuersa esse quæ eadem asseruntur,
quādo facta utriusq; ablatione ab eodem, id quod relinquitur nō idem
existit: q̄ pernecessarium sit, ut quæcunq; numero eadem iudicantur,

ab eodem si auferatur, quod superstes efficitur, idem maneat. quapropter significabinus duplex dimidij & multiplex dimidij non esse eadem numero, quod per subtractionem factam eiusdem ut dimidij, ab utroque, id quod relinquetur ex utroque idem non sit: nam dimidio ab illis deposito manebunt duplex & multiplex, quorum unum alterius est genus, ut duplicis multiplex: quare apertum est non eadem consistere. Potest & haberi ratio eadem ex ablatione à diuersis accepta, sed ea ex superiore loco ample cognoscitur. Nam hic locus alterius est conuersus.

Considerandum autem non solum si iam aliquid accidit impossibile per positionem, sed & si possibile sit ex suppositione existere. quemadmodum ijs qui vacuum & plenum aere, idem dicunt esse. nam manifestum quoniam si exeat aer, vacuum quidem non minus, sed magis erit: plenum autem aere non amplius erit. quare supposito aliquo siue vero siue falso (nihil enim refert) si alterum interimitur ipsorum, alterum autem non, profecto non idem sunt.

Locus ex suppositione acceptus diuidit unius problema. Non enim tantum si detur duo eadem, ex quibus monstratur quoddam impossibile sequi, contingit problema eiusdem destrui, & positionem: quemadmodum accideret, si quis fateretur audacem esse fortem, seu audaciam & fortitudinem esse eadem numero. nam sequeretur uirtute esse uitium, & studio sum eundem uitioso, hac differendi formula: Omnis fortitudo est uirtus, at audacia eadem est fortitudo, igitur audacia uirtus: quod impossibile esse nemo ignorat. Verum etiam si per suppositionem factam possibile, uel impossibile, uera uel falsam, inde quippiam dissentaneum colligatur inter ea quae numero eadem dicuntur, à numero eodem extirpanda ueniant. ut dentur antiqui illi philosophi, ut homunciones id uulgares credentes non commemoremus, qui idem uolunt uacuum & plenum aere, tunc ex hac suppositione facta, quod aer à pleno exeat aere, non manet plenum aere: at manet uacuum & magis fit, & non corrumpitur. quare per suppositionem illam consequimur latissimum inter plenum aere & uacuum interuallum, neque refert siue illa hypothesis possibilis sit siue non, quia satis abunde faciet admissa, ad distinctionem numeralem monstrandam problematis positi eiusdem. Acceptiones uacui, rationes, quibus molliuntur antiqui monstrare uacuum esse, simul cogentissima Aristotelis argumenta contra antiquos differetis, praetermittimus, quod ex quarto physicorum discantur.

Uniuersaliter autem dicendo, ex ijs quae quouis modo de

I 2
Ex hypo-
thefi.

vtroq; prædicatur, & de quibus hæc prædicantur, cōsiderandum si alicubi dissonent. Nam quæcūq; de altero prædicantur, & de altero prædicari oportet: & de quibus alterum prædicatur, & alterum prædicari oportet.

13
A subiectis
& prædicatis.

Locus à subijciendi & prædicandi modo expugnat problema eiusdem. Cum enim id summe efflagitetur in his quæ eadem obambulant, ut quicquid uni inest, & alteri: & cui unū inest, & alterū, similiter de quo unum dicitur, & reliquum: & contra, quicquid de uno dicitur, & de reliquo. Considerandum est, utrum propositis duobus, quæ eadem statuuntur, contingat dissimilitudinē subijciēdi uel prædicandi in talibus afferre. Nam si illis non insit similis modus in omnibus, unitatis finibus secludentur. ut hoc loco monstramus materiam & priuationem non esse eadem, quod materiæ conueniat propemodum esse, non autē priuationi, & quia in aliquo est materia, in quo nō priuatio, ut in cōpositione rei naturalis. Similiter de materia prædicatur principiū per se, de priuatione uero secūdū accidēs. quare in omnibus, in quibus nō con similibus prædicandi & subijciendi regula recipitur, distinctio constituitur numeri proprijssime accepti. nam (ut admonuimus) de hoc tantū loci isti intelliguntur. quoniam eadem numero secundum proprium, uel accidens expressa, rationem non seruant eandem subijciendi & prædicandi. Materia enim & priuatio, re quidē eadem & numero sunt, sed ratione & specie dissentiunt. proinde non erit acriter tumultuandum in hunc locū, etsi priuatio & materia easdē prædicandi uel subijciendi canones reformident. idē uides de homine & homine albo eiusdem re, non tamen quicquid de uno prædicatur, & de altero: neq; cōtra. Cæterum fortasse obiurgabit quis hoc quod dictū est, materiam & priuationē esse eadē re, sed nō ratione & specie: armaq; nos incurrere propria, & nostris reuinci rationibus arbitrabitur: cū prius quæ eadē erāt re & numero, fecerimus & specie: & quæ specie, & genere. An iste nesciat multiplex esse idē numero, neq; oportere quæcūq; sunt eadē re ipsa, esse & ratione? Quis enim est tam cæcus, qui non uideat, hominem, magnū, albū, esse diuersōrū prædicamentorū, & ratione distinguē quæ tamen uerū est numero esse eadē tertio modo. q̄ si proponantur eadē numero primo modo, fatemur eadem numero omnia illa esse & specie & genere, & (si placet addere) prædicamēto: de quibus nos intelligimus in hoc loco & cæteris. Cæterū ne quē male torqueat scrupus ille de distinctione huius ab eo quē quarto ordine numerauimus, accō-

Obiectio.

modatissimum fuerit huic loco, si eam breui uerborū pomærio cōclusurimus, q̄ horū differētia non sit in obscuro delitescēs. nā differt hic locus tantū à superiore in eo q̄ hic de pluribus asseratur. nempe locus superior erat ab accidentibus adueniētibus alicui, uel subiectis, at hic omnem modum & subijciendi & prædicandi complectitur, tam accidentium quàm aliorum.

Amplius quia multipliciter idē dicitur, cōsiderandum si secūdum aliū aliquē modum eadē sunt. Nam specie uel genere eadem, non necesse est numero eadem esse: consideramus autem utrum sic eadem, an non sic.

Locus à diuisione eiusdē interimit problema eiusdē. Quoniā idē (ut sæpe inculcatū est) dicitur genere, specie, & numero, non statim autumandū est, si quædā sint eadē, illa esse propriissime & numero eadē. quare iudicio quoddā opus est grauiore ne & temeritatis & ignoratiæ detur locus, quo pensiculate inquiretur, Vtrū quæ eadem uel genere uel specie dicuntur, conueniāt & eisdem numero. nam frequens decipuli monstratur occasio. ut si proponantur animalia quæ eadem specie existunt, non oportet statim esse eadem numero ex necessitate, licet contingat ut sint eadem numero. & in cæteris similiter. quare aliqua ab eodem genere, uel specie, nō colligimus esse eadem numero simpliciter, sed contra, ab eodem numero, & specie & genere eadem colliguntur: quòd quæcūq; eadem sint numero, & specie & genere. Destructiua ratio seruabitur præpostera. nam quæ non sunt genere uel specie eadem: neq; numero propriissime. non tamē quæ nō sunt numero eadem, oportet non esse specie, uel genere eadem. Inspiciendum est igitur utrum quæ eadem genere, uel specie: sic eadem numero sint, an non sic, hoc est, non eadem numero habeantur.

I 4
Ab eiusdē
diuisione.

Amplius si potest alterū sine altero esse. non erit enim idem. Qui igitur ad idem sunt loci, tot dicuntur.

Locus à separatione abinuicem duorū tollit problema eiusdem. nam quæcūq; eadē numero sunt, illa plusquam nodo herculano coniunguntur. quare si eadem aliqua circūferantur, quæ abinuicē diuelli possint, in ordinē numero eorundem ascribentur. ut qui dixerit locū esse eundē corpori cōtento, q̄ corpore illo egresso maneat adhuc locus, & corrupto, reprobatur. similiter qui totum & infinitum idem defendit, impugnatur: quòd infinitū non sit, sed totū & uniuersum maxime. Quo circa patere potest, quot argumentorum agminibus cōstipatus accēde-

I 5
A separatō
ne duorū.

re ualeat colluctator: qui aduersus eiusdem numero problema sit uiriliter pugnaturus. sunt etenim quindecim, quæ ut facilius ad opus disciplinæ adferas, quia ad omne genus suam uim distribuerunt, optima in classes distributione uisû agnoscenda proponimus.

LOCI AD DISSERENDVM IN EIVSDEM numero problema.

Primus, à coniugatis & oppositis	9	à cōparatione ipsius magis
2 ab effectiuis & corruptiuis	10	ab appositione
3 ab ipso maxime	11	ab ablatione
4 à comparatiuo	12	ex hypothesi
5 à subiectis & accidentibus	13	à subiectis & prædicatis
6 à prædicamentis	14	ab eiusdem diuisione
7 à genere medio	15	à separatione.
8 à differentijs		

Palam autē ex ijs quæ dicta sunt, quoniã omnes qui ad idē sunt destructiui loci, & ad terminū utiles sunt: quem admodū prius dictū est. Nam si nō idē indicet & nomē & oratio, manifestū quoniã nō erit diffinitio, assignata oratio. Constructiuorū autē locorū nullus utilis ad terminū. nō enim sufficit ostēdere idē quod sub oratione & nomine est, ad cōstruendum quoniã diffinitio: sed & alia oportet omnia habere quæ præcepta sunt diffinitionē. interire igitur diffinitionē sic, & per hæc semper tentādum.

Cui usui ac commodetur loci eiusdē.

Ex præscriptis innotescere sole clarius potest, cui usui accommodantur loci ad disceptandū in eiusdē numero problema: nimirū sunt tam copiosi quā positio eiusdē sit frequēs. Porro nulla est disciplina, nullum artis genus, quod non moueat eiusdē & diuersi quæstiones. nullum est prædicamentum in quo non luxurietur, non exulet. Deniq; quicquid rerum est, unius uel diuersi imperium agnoscit. quare non mediocrem consequitur gratiam ad omne genus artis penetrandum, quisquis locos non tantum percurrerit, sed & incoluerit probe eiusdē numero problemati consecratos, tum maxime ad definitionū munus cribradū. quibus etenim argumentis & rationibus conamur mōstrare quædam non esse eadem numero, illis incredibilis energiæ ad expugnandam definitionis assignatæ structuram, poterimus totam funditus tollere. nulla siquidem ratio potest esse adeo languida, quæ si orationem

pro definitione constitutā nō eandē esse nomini & definito apte cōcludat, nō iugulet definitionē positā. sūma enim definitionis potestas est in unione illa cū definito collocata: à qua si defecerit, omni auctoritate & imperio definitiuo fraudata uilescit, elanguet, & demū omni telorū genere obruitur diuersitatis. Cæterū multo acerbius est definitioni diuersi imperiū, q̄ eidē dominiū unius sit humanum. tāta cæte est uis diuersi, ut totā perfringat definitionē & interimat: at unius potentia & copula nō potest cōseruare ab incōmodis orationē pro definitione compositā, tantū abest ut eam cōstruere possit. quæcūq; enim oratio fuerit diuersa à nomine & definito, eandē iure definitionis suspēdi oportet. uerū si una & eadē fuerit illi numero, construere eam esse definitionē quis tam temerarius conaretur, & defendere constructā auderet? cum non tantum amicitiam illam cōiugalem cum definito cōponere studeat, uerum etiam cum genere, cum differentijs, à quibus esse mutuatur & ipsum indicare quid est accipit, uult pacisci. insuper reformidat inopiā, & defectum: superfluitatē, & abundantiam detestatur. Priora & illa striora amplectitur, obscuritatē & posterioritatē, ut hydram refugit. deniq; omnia obseruat, quæcūq; superiore libro documentis & cærtis legibus ad constructionem debitam requiri monstrauiimus. quare notū est facilius esse multo destruere definitionem positam q̄ construere, ut mox dicemus: quod construere non liceat locis unionis, seu quibus eam connectimus esse nomini eandem: at destruere licet illam argumentis, quibus diuersa ab eo mōstratur. quare sic, id est, per hos tutissime tentabimus semper definitionis prodere euerfionē locos, qui diuersam eā à nomine cōuincant esse: quod adeo sint utiles & efficaces loci diuersitatis, seu quibus destruimus idem ad definitionē dissoluendam: ut nō supersit aliqua ex parte ea oratio definitio assignata, quæ à nomine disiungitur. De hac etiam locorum utilitate diuersitatis seu destructiuorum eiusdem ad terminum & definitionē diximus primo Topicorū libro: dum de annexis definitioni pauca prænotaremus. Et per hæc, intelliguntur ea quæ dicuntur sexto libro rursus ad euerfionem definitionis: per quæ interimere eam curabimus.

Si autē cōstruere volumus, primū quidē scire oportet quoniā nullus vel pauci disputantiū, terminū syllogismo colligūt, sed omnes principiū quod tale est accipiūt. ut qui circa geometriā & numeros, & alias huiusmodi disciplinas. Deinde quoniā exacte quidē alterius est negotij

assignare & quid est terminus, & quomodo diffinire oportet: nunc autē quantū sufficit ad præsentē vtilitatē, tantū solū dicendum, quoniā possibile fieri diffinitionis & eius quod quid est, esse syllogismū. Nam si terminus est oratio quæ quid est esse rei indicat, & oportet ea quæ in termino prædicatur, in eo quod quid est de re sola prædicari, prædicatur autē sola in eo quod quid est genera & differētiæ: manifestū quoniā si quis sumat ea quæ solum de re in eo quod quid est prædicari oportet, & hæc habēs oratio, terminus ex necessitate erit. non enim contingit aliud esse terminū, eo quod nihil aliud in eo quod quid est de re prædicatur. quod igitur possibile est ex termino syllogismum fieri, manifestum.

V numquenque oportet in omni munere obeundo sui esse instituti sciētem, eiusdēmq; memorem: ut feliciter ad illud transcendere ualeat, ac simul intelligere, quæcūq; instituto germana uersantur. per oportu nū ergo fuerit nōnulla uolenti construere definitionē in ipso uestibulo præsignificare, quæ eum prius quā operi institerit plurimum scire deæt. & quibus despectis niti (quod aiunt) contra fluminis fluxum dūdicabitur. Primum quidē est quod eū qui definitionē uelit probare, nescire nō conuenit, quoniā nullus uel admodu pauci differētiū definitionē probāt inductiōe uel syllogismo, sed omnes hi definientes aliquid tanq̄ principium definitionem accipiūt: uel quoniā non sit facile constituere per inductionem, quia omnis est uniuersalis, ipsam definitionem, neque demonstrare possibile est, quemadmodum monstratur secundo posteriorum analy. multis rationibus: uel quia non sit necesse eam probare, ideo eam prætermittūt. uerū omnes dialectici imitantur eos; qui circa disciplinas omne studium impēdunt: quos mathematicos appellamus, quasi diuise essent professionū uicæ, & illis solis omnis disciplinæ cura relinqueretur, qui neq; tentant, neq; uolunt definitiones suas probare, sed principia esse sinūt. Nam geometræ, arithmetici, & qui huiusmodi disciplinas alias apprehendunt, ut astrologiam, & musicē, nunq̄ demonstrāt definitionē, neq; probāt syllogismo, nec inductione: sed omnes hi, ut indemonstrabile principium suscipiunt. nō enim probat geometer definitionem lineæ, neq; arithmeticus definitionē numeri bene assignari, neq; cæteri similiter philoſophi. secundū quod admodum uenit, quoniam exacta & admodu perfecta definitionis con-

Dialectici
non proba-
rūt antiqui
definitionē

sideratio non est ipsius muneris dialectici: sed magis philosophi diuini & metaphysici. nam quid est terminus, & definitio, & quomodo definire decet, primus philosophus considerabit exacte: quod maxime docuit discussione illa Arist. quæ habetur potissimum septimo & octauo metaphysicæ libris. ille nimirum est qui causas inquit primas rerum, qui naturæ secreta rimatur, quiq; uniuscuiusq; substantiã ad amissim examinat & metitur: à quo particulares demonstratores tanquam à primo parète principia pro hæreditate propria corrogat generi subiecto accommoda, definitiones ad opus afferret cõgruas, uti appositissime monstratur in posterioribus analyticis. Hæc tamen non oberunt quo minus habeat definitionis curam dialecticus, neq; ullo ductu definitionem firmare possit: qui contribuamus dialectico examinãdam, siue probandam, siue improbandam tantum cõmunibus quibusdam legibus & principijs: & quibus cõtentus est, neq; alijs gaudebit proprijs, quibus demonstrator exhilaratur. proinde nunc in hoc munere dialectici instituẽdo circa definitionem ad præsentem utilitatẽ hæc sufficiãt. Insuper hoc unum agnoscere dialecticum, qui definitionem construere & probare uelit, oportet: quoniam probari potest syllogismo definitio, seu id quod quid est esse indicat, non autem demonstratione. neq; enim si haberetur definitionis demonstratio, esset huius negotij demonstrare definitionem, sed demonstratiui: uerum dialecticæ & probabiliter concludi terminum nihil prohibet. sed age, quo modo id fieri possit paucis perstringamus, & syllogismo bene assignari definitionem dialectico accipe. Omnis oratio quæ quid est esse rei indicat, definitio est: at omnis oratio quæ proprio genere & differentijs assurgit, est oratio quæ quid est esse rei indicat: est igitur oratio talis definitio. Nam si oporteat ea quæ ingrediuntur definitionem in eo quod quid est de re sola prædicari, & tãtum prædicentur de re definienda in eo quod quid est genera & differentia, manifestum est, quod quicumq; sumpserit ea ad definitionem rei componendam, oratio illis tantum assurgens erit definitio rei proposita. Non enim contingit aliud esse definitionem à genere & differentia simul acceptis. quare oratio cõflata proprio genere & differentia rei, dicenda uenit bene assignata definitio. Sunt etenim uniuscuiusq; speciei genus & differentia propria, neq; contingit plura esse genera proxima eiusdem, sed unum tantum: neq; plures differentias, sed unam tantum propriã & conuertibilem. quare si definitio quid est debeat indicare rei esse, & hæc quid est indicat genus & differentia: necesse fuerit orationem talibus assurgentem definitionem esse rei propo-

Exactũ des
finitõis stu
diũ est me-
taphysici.

Definitio syl
logismo pro
bati potest.

fitæ. ut hominis definitionem hanc colligemus esse, animal gressibile bi pes, quod omnis oratio constans proprio genere alicuius & differentia, est oratio quid est illius esse indicans: at hæc est huiusmodi, igitur est oratio quid est esse hominis indicans: quod si hoc est, & definitio illius erit. Quod dicitur genera & differentia in eo quod quid est prædicatur, id de genere nulli dubium est, quin prædicetur in quid. At differentiam nõ in quid prædicari separatam uolūt nonnulli, sed in quale quid: uerum cõiunctam generi, ut cum genere ipsa conflatur definitio- nem, in quid prædicari: ut apte respondeatur per genus & differentiam simul accepta ad interrogationem factam per quid est. Verũ hæc se impedire uidentur. nam non erit alia responsio per definitionem ab ea quæ per genus & differentiam simul accepta est: q̄ hæc simul sint ipsa definitio. quare non erit respõsio per genus tantum & differentiam, quod tamen inuunt, sed per definitionem: uel dent isti discrimen inter responsionem per definitionem, & eam per genus & differentiam simul accepta productã, quæ eisdem consuuntur. Ad hæc cur differentia generi iuncta in quid de re prædicatur, & ad interrogationẽ quid est, apposite affertur: dissociata uero non amplius? Neque ualere uidebitur responsio quæ fertur, quoniã differentia cum genere apte adducitur ad ipsum quid est, at non seorsum. nã sic dicendo nihil aliud erit respondere per differentia cum genere, q̄ afferre definitionem ad responsionem illam. quare differentia nõ est dicenda seorsum nõ prædicari in quid sed cõiuncta, quũ sit tota definitio non differentia. Quare non displiceret mihi plurimũ si quis intelligeret per quid substantia rei: ut tam genus, q̄ differentia, q̄ definitio, quid significarent & substantiam rei: sed definitio totam complecteretur, genus uero partẽ unã, & differentia reliquam. quid enim multiplex est, nonnumq̄ substantia significans, interdum quæ sitiũ est speciei, uel generis. Nihil tamen tibi sequẽdum præscribimus. maluimus enim tibi rem ipsam commõstrare sic liberam, utcunq; rationibus firmatam, q̄ te stringere duris legibus nulla ratione, nisi uoluntatẽ pro ratione acceperis, fortasse impositis. Conuincuntur in super illi manifestissime, qui definire proprium munus dialectici fecerunt, si eo significatu accipiant, q̄ nulli alteri creditum sit: cum dixerimus per probabilia consecrari dialecticum definitio- nem, & admodum leuiter attingere: Philo sophum uero eum esse, qui definitionis abdita intraspicit exactissime. proinde in secũdo posteriorum analyticorum Aristoteles nõ inuestigatẽ finitionis canones subiecit, quod ad omnem philo sophum definitionis con-

An differẽtia in quid prædicetur.

Dialecticus definit sed non solus.

terea differentiae illae communes per circūlocutionē unam efficiūt propriam, nā rationale mortale, similiter gressibile bipes, iunctaē unā efficiunt propriam & cōspirantem cum homine. & ita saepe cogimur penuria uocum nō rerum, quod uno nomine proferēdum erat, pluribus per circuitum reddere. quare quotquot attuleris apposite in compositionē definitionis, omnes illae unius munus obeunt propriae. Nam inquit Aristoteles in septimo metaphysicis, Nihil differt per multa, an per pauciora dicatur, neq; utiq; per pauciora quā duo definire contingit, ut puta huius definitionis anima bipes, animal quidem genus: differentia uero, alterum.

Ex quibus autē oportet cōstruere, determinatū est quidem in alijs diligētius: ad propositā autē methodū iisdem loci utiles. inspiciendū enim in cōtrarijs & in alijs oppositis, & totas orationes, & secundū partē cōsideranti. nam si opposita oppositae, & eā quae dicta est, propositi necesse est esse. Quoniā autē contrariorū plures cōplexiones, sū mēda est ex cōtrarijs qualiscunq; maxime apparebit cōtraria diffinitio. totas igitur diffinitiones quemadmodū dictum est, considerandum.

Nunc quasi initium repetentes congruentissimum fuerit indubitata luce mōstrare, quantū feret huius dialecticis munus, quibus locis, & quot concludetur definitio. Nam destructiuis totus liber superior scātet. quare nō amplius petetur definitionis expugnatio. licet haud ignoremus hos locos cōstructioni destinatos non segniter expugnare posse definitionem positam. Ceterum ex quibus oporteat cōstruere ipsam, in alijs, ut in secundo posteriorum analy. & in septimo & octauo methaphy. diligentius certis praeceptorum dogmatibus, perquisitum est: nunc tantum definitionis structurā doceamus locis apprime utilibus. Sit igitur primus locus ab oppositis, quo concludemus definitionē totam bene assignari, dein secundū partes idem nitentur. Quoniam enim oppositorū oppositae sunt rationes, facile fuerit una habita & cōcessa unius oppositi definitione, & reliqui propriam consequi. nam oppositam solum concessae finitioni consueere conuenit. ut sint albam & nigrum opposita, si albi definitio recipiatur coloratum disgregatiuū uisus, cōcludetur nigri coloratum congregatiuū uisus per oppositum esse definitione. Quoniā contrariorum cōiugationes sunt multiplices, ut traditum est in secundo, depromendae uenient semper ad probandam contrarij

Constructio
definitionis
mōstratur,
primū per
opposita.

definitionē quæcumq; apparēt & creduntur magis aliorum contrario-
rum definitiones: nam inter talia contraria quædam æstimatur magis
habere definitiones, quibus habitis, alterius magis obscuri definitio con-
nectitur. ut qui cognouit utile definiri per effectiuum boni, hinc ratio-
cinabitur quis inutile, effectiuū mali uel corruptiuū boni, definiri. qua-
re affatim libet ex oppositis argumentum accipere ad definitionem
integre stabiliendam. nam quod monstratū est in contrarijs, idem cen-
setur in oppositionibus reliquis. Minabitur statim horridulus aliquis
huic loco tanq̃ exili & ægro, quē ferire præsumet Aristotelis sententia,
in secundo posteriorum analyticorū, qui repudiat hęc probationis uim
ut solidam & ineptam, si malo inest diuisibile esse, in contrario est
contrarium esse, in quibuscumq; est aliquid contrariū: bonum autē ma-
lo contrarium est, & indiuisibile diuisibili: est itaq; boni & indiuisibile
esse. etenim hic accipiēs quod erat esse, monstrat. An reijciatur à de-
monstrandi theatro fides per opposita & non differēdi? quōd sumat
definitionē aliam, quæ non sit notior re ipsa q̃ ea sit quæ demonstran-
da est. Nam opposita tantundem euentiæ & obscuritatis concipiunt
secundum naturam. quare unū alterum demonstrare nequit, quoniam
demonstratio per priora & notiora decurrit simpliciter. At discēpta-
tio & dialectica ratiocinatio per oppositorum unū, reliquū concludit,
& contra: quōd unū nobis notius seu credibilius altero sit. unde cōstat
opposita seinuicē probare, & reciprocas obambulatoriāsq; cōmitti ra-
tiones. hoc ideo est, quia dialecticus ex magis probabilibus & his quæ
conuaduntur per interrogationē, siue sint æque nota siue non re ipsa,
habet probare, quōd minus probabile adducitur: quiq; se accommodat
mēti respondentis, ut ex his quæ illi apparēt, colligat aliud. At demon-
strator neq; opiniones & sentētias aliorū, qui dextri sit animi, pertin-
git: neq; capacitati nostræ mētis se accommodat, sed rectum tenet ad ue-
ritatē & scientiam consequendam iter, in solam rei naturam incumbit,
quā uestigat, quā explorat, etiam si nobis incognita & improuisa sit.

Oppugna-
tio.

Secundū partē autē hoc pacto: primū quidē quoniam
assignatū genus recte assignatū est. Nam si cōtrariū in cō-
trario, propositū autē nō est in eodē, manifestū quoniā in
cōtrario erit: eo q̃ necesse est cōtraria in eodē genere, vel
in cōtrarijs generibus esse. Et differētias quidē cōtrarias
de cōtrarijs arbitramur prædicari: ut de albo & nigro. nā
illud quidem disgregatiū, hoc autē congregatiū uisus.

quare si de cōtrario cōtrarie prædicatur, de proposito quæ assignatæ sunt prædicabuntur. quapropter quia & genus & differētia recte assignatæ sunt, manifestū quoniā diffinitio erit, quæ assignata est. An nō necessariū est de contrarijs cōtrarias differētias prædicari, nisi in eodē genere sint cōtraria? quorū autē genera sunt cōtraria, nihil prohibet eandem differentiā de vtrisque dici: vt de iustitia & iniustitia. nā illa quidē virtus, hæc autē vitiū animæ. quare id quod est animæ, differētia de vtrisque dicitur: eo quod & corporis est virtus & vitiū. sed hoc verū quod contrariorū, aut cōtrariæ, aut eadē differētia sunt. si ergo de cōtrario cōtraria prædicatur, de hoc autē nō, manifestū quoniā quæ dicta est de hoc prædicabitur. Vniuersaliter autē dicēdo si diffinitio est ex genere & differētijs, si sit cōtrarij diffinitio manifesta, & quæ propositi diffinitio, manifesta erit. Nā quoniā contrariū in eodē genere, vel in cōtrario, similiter autem & differētia aut cōtrariæ de cōtrarijs, aut eadē prædicatur, dilucidū quoniā de proposito, aut idē genus prædicabitur quod de cōtrario, differētia autem cōtrariæ vel omnes vel aliqua, reliquæ autē eadē: aut cōtra, differētia quidē eadem, genera vero cōtraria: aut ambo cōtraria, & genera & differētia. nam eadem esse ambo nō cōtingit: si autem secus, diffinitio eadem contrariorum erit.

²
A cōtrarijs.

Locus à contrarijs constructiuus est definitionis per partes. Quoniam discussimus syllogismo eam esse rei definitionem, quæ genere & differētijs illius coalesceret, nihilque esse definitionem præter compositionē generis & differētiæ, non rustice urgebit, qui orationē alicuius genere & differētijs proprijs conflata connectet esse definitionem. nam cuius habentur partes unitæ, & totum postulandū uenit. non itaque indigna fuerit mentio illa, seorsum ab ea, quæ totam definitionem per totam aliam corrogabat, habeatur: quæ per partium inuentionem totā construi docet finitionē. nam qua arte genus proximum & differētijs rei inuenire oporteat, digito quasi indicat: quibus conuinctis adinuicem paratur finitio haud ignobilis rei propositæ. Cum igitur sint duæ finitionis partes, genus & differētia, primū genus definitioni inesse oportet: quapropter & id primo quærendū uenit eius rei definiendæ. uerū

A cōtrarijs
gen^o rei de
finitæ im
bitur.

à contrarijs locus id omne negotium dicto citius absoluet. Nam id quod sit genus proprium rei definiendæ ei monstrabit, qui præcipit contraria esse uel in eodẽ genere, uel contrarijs generibus. quare facillimũ fuerit habito unius contrarij genere, alterius habere: nam uel idem fuerit, uel contrarium generi alterius: quorum neutrum difficile existit consequi. Verũ id omne exemplo clarius reddamus. Quærat iustitia desinenda, quæ iniustitiæ contrariatur, cuius genus manifestum sit uitium esse. tunc à contrarijs argumẽto iustitiæ genus idem fuerit, uel contrarium, quoniã species sunt utraq; definita: at iustitiæ non est genus uitium, q̃ de ea non prædicatur: quare notum est illius genus esse uirtutẽ, quod hæc uitio contrarietur, & contraria sint in contrarijs generibus, nisi idem habuerint utraq;: at genus proximũ id est, quod primum ordinẽ occupat in definitione congreganda. sic igitur in omnibus contrarijs definiendis, quorum genera contraria sunt, dicendum uenit, quod contrarij contrariũ est genus proximũ: & id quidem est uerum ad rei definitionem instaurandam genus. Cæterum quia contingit contrariam speciem genus habere non contrarium alicui, utriusq; contrariorum genus est idẽ dicendum. ut si perquiratur genus albi nigro contrarij, quia genus nigri contrarij est coloratum, quod nulli contrariatur, cõcludetur albi idem esse genus: nam postquam non sunt in contrarijs generibus contraria definienda, in eodẽ erunt. sic igitur facile habetur quæ prima pars definitioni sit ipsius albi inserẽda. quoniã si contrarij ut nigri genus sit coloratũ, & albi idem erit. nam suppositũ genus respuere quãmaxime contrarium. His igitur duobus adiutus exẽplis utriusq; modi siue contrariorũ habentiũ genera contraria, siue nõ, quia quiuis etiã mediocriter institutus, proferre ualebit copiosum (si uelit) cõsimilium exẽplorum agmen, pluribus parcimus. Hoc interim nõ prætereuntes, ne quis inurbane in silet, quod nullam modo fecerimus memoriã de tertio membro, quod & in prædicamẽtis enumeratur, & cuius superius meminimus. Nam contraria diximus esse in eodẽ genere, uel contrarijs generibus, uel esse genera. An id quod respondendum sit ex dictis decerpitor nullo labore qui præmonuerimus solum speciei contrariæ hoc loco definitionis constructionẽ desiderari, & non generum, ut genera sunt: quare omnia quæ definiuntur cõtraria, uel in contrarijs generibus, uel eodem contineri intrepide defendemus. sed iam nos uocat differẽtiæ agnitio speciei contrariæ, qui habeamus primã definitionis illius partẽ prædictis apertã: nihil enim aliud apparet necessarium ad confarcinandam definitionẽ alicuius, præter genus & differẽ-

Responso
 obiectionis.

Differentiæ
 inquisitio à
 contrarijs.

tiam, ut monstratum est. quare quicumq; acceperit genus, & differentiam rei eiusdem, definitionem construere poterit. at de genere inueniendo dictum est, nunc igitur de differentia quippiam statuamus accipiendæ, cui commonstrandæ locus à contrarijs se totum consecrauit. Quoniam oportet contraria habere uel cōtrarias, uel easdem differētiās: nam si contraria unum genus proximum receperint, contrarias habebunt differentias. si uerò contraria sint contrariorum generum, possunt & eandem habere differentiam. quare proposito contrario, cuius differētiā ueniamur, inspiciedum est ad alterius contrarij differentiam. nam uel eandē, uel contrariam amplexabitur. ut albi mōstramus esse differētiā disgregatiuū uisus, ei, qui notam habet nigri esse hanc congregatiuū uisus, à cōtrarijs ratione deflexa. Differētiæ enim contrariæ de contrarijs prædicantur, at de nigro hæc ut differentia prædicatur, igitur & illa de albo, quod erat propositum. Cæterū quoniam recte definitionē tradi per genus & differētiās syllogismo paulo ante indicauimus, ob id quod definitio quod quid est esse rei indicaret, uerum generibus & differentijs solis quid est indicare relictum est, igitur qui asseret rei definiendæ partes necessariās, genus & differentiam decēter, quibus orationē construat: is profecto definitionē debite dicatur effingere. Nam talibus nomēclaturam recipietur. In uniuersum itaq; contrarij definiēdi recte colligetur differētia ea, quæ contraria fuerit differētiæ alterius contrarij, utriq; contrarijs eodē sub genere existētibus, ut nuper enucleatum est. Nam non est necessaria hæc uniuersaliter argumētandi uis, si quippiā sit contrariū alteri, quod habeat differentiam differētiæ alterius repugnantē, quum eandem contingat esse duorum contrariorū: quod per apertum est in iustitia & iniustitia cōtrarijs, quorum utriusq; eadē est differētia hæc, existēs in anima. Definitur enim iustitia uirtus existens in anima unicuiq; suum tribuēs. Iniustitia uero uitium existēs in anima alteri iniuriam faciēs. in quorum utraq; definitione nemo est, qui nō plusquā lynceis oculis uidere possit eandē foueri differētiā, & utriq; fieri communē hanc, existēs in anima: quæ utraq; separat à uirtutibus & uitijs corporum. Insunt enim & suæ corporibus uirtutes, ut robur, potentia, sanitas, & huiusmodi: nec non uitia, ut marcor, impotētia, morbus, turpitudine. Hæc enim omnia corporum sunt. quare existere in anima disiungit ea, quæ in corpore. Semper tamē inconcussæ & perpetuæ ueritatis est, contrariorū contrarias esse differētiās, uel easdē. quare proposito aliquo cōtrario;

cuius differētia inquiritur, si de tali eadem differētia non prædicatur,
 quæ prædicari dicitur de altero contrario, sanè de proposito cōtraria
 alterius contrarij differētiæ differentia dicitur. Nam manifestum est,
 quòd si de contrario contraria differētia enuntietur, & de proposi-
 to contrario aliqua contraria nō prædicatur, reliqua quæ alteri differē-
 tiæ opponitur, de proposito dicitur. ut si de albo non prædicatur pro-
 posito contrario cōgregatiuum uisus, differētia contrarij, quæ huic est
 cōtraria disgregatiuum uisus differētia, de illo dicitur. Ex dictis ita-
 que facile fuerit uniuersalem habere methodum contrariū definiendi,
 postquam omnis definitio est oratio ex genere & differētijs. nam qui-
 cumq; habuerit contrarij à proposito definitionē recte assignatam, si-
 deliter & admodum facile propositi contrarij definitionem concludit
 hac differēdi specie, Omne contrariū uel habet genus cum suo contra-
 rio idem, uel genus alterius generi contrarium. Similiter uel differētijs
 easdem, uel contrarias differētijs alterius contrarij: ut modo elucidat-
 um est. quare & contrarium quodcumq; proponitur definiendum, idē
 habebit genus cum suo contrario, uel cōtrarium. Insuper differentias
 easdem cum altero, uel contrarias: at si idē genus retinuerit cum suo
 cōtrario, id quod definiēdū uenit, & id quidē perspectū sit, necesse fue-
 rit ipsum habere uel cōtrarias differentias differētijs sui cōtrarij om-
 nes, uel easdē, uel partim easdē partim contrarias: uerū easdē esse om-
 nes differētijs duorū cōtrariorum genere eodē existētē impossibile est,
 alioqui contraria monstrarētur eadē. nam quorū sunt eadē definitio-
 nes, illa eadē existunt: at quæ idē genus admittunt & easdē differen-
 tias, illa compingunt eandem definitionē: igitur si contraria habēt idē
 genus & easdem differētijs, eadem sunt. quod est impossibile. Quare
 postq̄ genus est idem differētiæ, non erunt eadē omnes, sed uel contra-
 riæ omnes quæ afferēdæ uenient, uel partim eadē, partim contrariæ:
 proinde altero horum destructo per diuisionē alterum cōstruitur. qua-
 re grauis construimus definitionē hanc, corpus in inferiorē locum mo-
 bile secundum naturam, quòd sui contrarij sit hæc, corpus in superio-
 rē locum mobile secundum naturam: in quibus utriq; rationibus con-
 trarij est idem genus, & differentia partim eadē, partim contrariæ:
 nam secundum naturam mobile est utriq; commune, & quod relinqui-
 tur est contrarium, hoc, in superiorem locum & inferiorem. hoc igitur
 modo conueniet tentare definitionem contrarij habētis idē genus cum
 altero. si uero definiēdum contrarium non sit eiusdē generis cum alte-
 ro, necesse fuerit illud recipere genus alterius generi contrarium; ut

Syllogismo
 alicuius mō-
 stratur esse
 definitio,

probatum est. in super uel differētias easdē omnes, uel contrarias, uel partim easdē, partim cōtrarias. quare assurgit definitio illius ex cōtrario genere & differentijs contrarijs, uel eisdē, uel medijs. ut iustitiæ monstratur definitio, uirtus existens in anima unicuiq; suum reddens, quòd iniustitiæ sit, uirtum existens in anima iniuriam afferēs, definitio. His igitur modis continget à contrarijs per partes, absolute persequi cōtrarij definitionē, cognitis alterius cōtrarij generibus & differētijs.

Amplius ex casibus & cōiugatis. necesse est enim cōse- qui genera generibus, & terminos terminis. vt si obliuio, est sciētiæ amissio: & obliuisci, amittere scientiā erit: & obli- tum esse, amisisse scientiā. vno igitur quolibet eorū quæ dicta sunt cōfesso, necesse est & reliqua cōfiteri. similiter autē & si corruptio, dissolutio substantiæ: & corrūpere, dis- soluere substantiā, & corruptiue, dissolutiue. si corrupti- uum, dissolutiuum substantiæ: & corruptio, substantiæ dis- solutio. similiter autem & in alijs. quare vno quouis sum- pto, & reliqua omnia confiteantur oportet.

3
A cōiugatis
vel casibus.

Locus à coniugatis uel casibus construit definitionē alterius consi- milis habitudinis. Quum genera sint consimilia casuum & coniugato- rum, nec non differentiæ, quibus tantum dictum est conflare definitio- nem: non difficile admodum fuerit definitionē unius coniugatorū per definitionē alterius obseruare. Nam si genera se inuicem consequantur, atq; mutuo se inferant, & differētiæ. ut si genus est obliuionis, amissio: & huius oblitum esse genus, amisisse: & huius obliuisci, amittere con- cludetur, & contra. similiter quæcunq; unius coniugati datur differē- tia, & reliquorū consimilis differētia datur, seruata habitudine gram- maticæ: & definitiones mutuo se se inferēt coniugatorū. quare qui unā non minime neque prope subfrigide coniugatorum notam consequitur definitionē, reliquorum omnem consimilem inducet esse. ut qui habue- rit mortis definitionē esse, animæ & corporis dissolutionē. quam per- spiciens (ut epicurus, qui per definitionē mortis mōstrabat nihil ipsam pertinere ad nos: hoc modo, ὁ θάνατος ψυχῆς καὶ σώματος δια- λυσις, ἢ ὁ δὲ λυθὲν ἰσθμῶν ἀναδύτη, ἢ ἡ ἀναδύτη τοῦ οὐδ' ἐμπέδου ἡ- μῶν, id est, mors est animæ & corporis dissolutio, at quod dissolutum est nō sentit, quod autē non sentit nihil ad nos) in cæteris cōiugatis ean- dem responderi definitionem coniiciet. nam si mortis est definitio ani- mæ & corporis dissolutio, & ipsum mori definitur anima & corpo-

re dissolui, & mortuus anima & corpore dissolutus, & cōtra. Similiter si obliuionis habeatur ratio, scientiæ amissio: & ipsius obliuisci, amittere scientiam definitio erit: & ipsius oblitum esse, amississe scientiam: eodem modo si cōstituatur definitio corruptionis, dissolutio substantiæ: & ipsius corrumpere ratio cōcludetur, dissoluere substantiæ: & ipsius corruptiue, dissolutiue: & corruptiui, dissolutiui, & contra. nam si aliquam harum confiteatur definitionē, & reliquas necesse est dicere, quum cōiugato modo se habeant omnes. similiter in alijs, quæ talem habitudinem habent adinuicem. una enim habita alicuius definitione, & reliquorum coniugatorum respondentes definitiones habere fuerit pernecessarium.

Et ex similitur se habētibus adinuicē. nam si salubre est effectiuū sanitatis, & habile effectiuum bonæ habitudinis erit: & adiutiū, effectiuū boni. nam similiter vnūquodq; eorū quæ dicta sunt, ad suū finem se habet. quare si vnus eorum diffinitio est, effectiuum esse finis, & reliquorum cuiusque, sic erit diffinitio.

Locus à proportionem commonstrat definitionē alterius in proportionem se habentis. Nam quæcumq; proportionaliter se habent, proportionales habent definitiones. quare si unum definiatur per id ad quod proportionaliter & similiter se habet, & reliquū per suum proportionale & id quod cōsimiliter habere dicitur. ut quū salubre se habeat ad sanitatem, quemadmodum habile ab bonam habitudinem: si salubris ponatur definitio, effectiuū sanitatis: & habilis ostendetur definitio, effectiuum bonæ habitudinis: & adiutiui, effectiuum boni. ea enim omnia ad suos fines proportionem habent & consimilem modum. unde manifestum est, quod si unum per finem suū proportionatū describitur, & reliqua omnia suo modo definiuntur proportionata. Quod Aristoteles dixit ἐν τῷ 3 ὑγιανὸν, ποιητικὸν ὑγιείας, καὶ τὸ ἐνετικὸν ποιητικὸν ἐνεσίας ἔσται, καὶ δὲ ὠφέλιμον, ποιητικὸν ἀγαθῶν, sic reliquimus interpretatum, Nam si salubre est effectiuum sanitatis, & habile effectiuum bonæ habitudinis erit, & adiutiū effectiuum boni: ne in re modica remoremur.

4
A propo-
tione.

Amplius ex eo quod est magis, & similiter quod est similiter, quoties cōtingit cōstruere duas, ad duo cōparantem. vt si magis hæc huius q̄ ista istius diffinitio, ista autē quæ minus, diffinitio est: & hæc quæ magis. & si similiter

hæc huius, & ista istius: si altera alterius, & reliqua reliquæ. Vna autē diffinitione ad duo cōparata, aut duabus diffinitionibus ad vnū, neutiq̃ utilis ea quæ ex magis est, consideratio. Nam neq̃ vnam duorū, neq̃ duas eiusdem diffinitiones possibile est esse.

5
A compara
tione.

Locus ab ipsa definitione quæ minus uidetur uel pariter, construit eam orationem, quæ magis uidetur esse definitio uel pariter alicuius. Quum enim plures sint cōparandi formulæ secundum magis & minus, quoniã quatuor, qui explicantur in fine secundi & in tertio, tres autē à paribus: non fuerit statim fastuoso quodam impetu conueniens arbitrari, & argumentatio omnibus illis modis componatur ad definitionis structuram: quum tantum unus sit accommodus, quo uidelicet duas definitiones duobus definitis iungimus. quoniam neq̃ duæ definitiones uni nomini, neque una duobus nominibus seu definitis, neque una uni secundum magis & minus conferetur. Nam si duæ definitiones uni definito compararentur secundum magis & minus, posita definitione ea, quæ minus diceretur definitio illius, & quæ magis dicitur, habebitur definitio. quare eiusdem plures & diuersæ cōstituerentur definitiones, quod impossibile esse indicauimus libro sexto. Consimile contingeret si una definitio duobus nominibus distinctis cōpararetur, uel una uni secundum magis & minus. Idem dicendū de similibus cōparatione. quare superest hic solus comparandi modus, quo duas definitiones duobus definitis conferimus ad cōstructionē definitionis conueniēs. ut uocentur in cōparationem duo definita & duæ definitiones horum secundū magis & minus, si quod minus uidetur definiri una definitiōe q̃ alterū altera, definitur illa definitiōe, & alterū hoc altera. nã si quæ minus uidetur esse alicuius definitio sit illius definitio, & altera, quæ magis alterius uidebitur esse definitio, erit ipsius definitio. ut si hominis uideatur minus definitio esse, animal rationale mortale, q̃ animalis sit definitio, animatū sensibile: admittitur autē hominis illa esse definitio, & animalis ista erit ratio. quare palā sit à minore definitione alicuius, alterius connecti magis definitionem esse definitionē. A paribus nō superiori modo ualde disparem definitionis construēdæ formam consequimur. nam neq̃ in uno duæ definitiones conferuntur similiter, neq̃ in duobus una. quare unicus hic comparandi modus relinquitur in paritate, quo duas definitiones duobus definitis commettimur. quoniam quæcūq̃ duæ definitiones duobus similiter conferuntur,

si altera construatur definitio alterius, & reliqua reliqui concluditur definitio esse. ut sint istæ orationes, quod prædicatur de pluribus differētibus numero in quid, & quod prædicatur de pluribus differētibus specie in quid: quæ similiter conueniāt speciei, & generi: si igitur illa sit speciei definitio, & hæc erit generis. quum sicut illa se habet ad speciem, sic hæc ad genus.

LOCI AD CONSTRUCTIONEM DEFINITIONIS.

Primus, ab oppositis	4 à proportionē
2 à contrarijs	5 à comparationē.
3 à coniugatis	

Sunt autem opportunissimi locorū, & qui nunc dicti sunt, & qui ex casibus, & qui ex coniugatis. quocirca & oportet maxime detinere & promptos habere hos. utilissimi enim ad plurima.

Constitutis locorum ordinibus ad definitionem construendam, per opportunum fuerit eosdem documētis illustrare: quibus non parū leuetur disceptator abunde instructus. quid enim amplius expetere potest colluctator nobilis, habito ad manu tanto locorum apparatu, præter certos canones & documēta ad iudicium cōferentia: Inuētionem enim loci suffragantur, atque documenta iudicio subseruiunt: quibus utrisq; locupletari oportet dialecticum congregientem. sit igitur primum. Oportet maxime habere promptos locos à comparatione secundum magis & minus, & similiter à casibus & coniugatis: quæ ad positionem construendam nō solum definitionis, sed aliorum prædicatorū incredibilem propemodum uim possideāt. quare non audiendi qui toto locorum ordine priuari tanquam pro rostris proclamant à casibus & coniugatis locum. Illos equidem locos omnes ad omne problematis genus, & prædicati, siue accidentis, siue generis, siue proprii, siue definitionis conferre, frivolum est & inane iterum repetere: quod id arbitremur patescere satis ex libris his superioribus, quibus singulis quod problema & prædicatum spectandum esset, proponitur.

Primum documentū.

Aliorū autē ij qui maxime sunt cōmunes. nā illi maxime reliquorū efficacissimi. ut inspicere in singularibus, & in speciebus cōsiderare, si cōueniat diffinitio: eo quæ uniuersa species est. est autē utilis hic locus ad eos qui ponunt ideas esse, quemadmodum prius dictum est.

Secundū do
cumentū.

Secundum documentū est, Inter assignatos omnes locos ab alijs primo documento conceptis, quibus in quoduis problema differendum sit, plurimū conferet seligere maxime cōmunes & uniuersales. nā quanto uniuersaliores fuerint, plus præsidiij, efficaciae, & ubertatis impartitūtur ad differendum in plura problematum genera. tales itaq; locos maxime uniuersales amplecti magnopere cōgruit & habere prōptē: quibus non tantum in definitionem cōtendatur, sed in reliqua prædicata. sunt enim quidā loci aliquibus prædicatis probandis peculiare: sunt & alij cōmunes omnibus. uerum quoniam dialecticus res omnes probabiliter tentat, siue phisicas, siue morales, siue rationales, indigebit communibus argumentis maxime, quibus ex æquo libere per omne disciplinæ genus discurrere possit: at hæc effundunt cōmunia argumenta communes loci omnibus prædicatorum generibus. siquidem nequit is in quoduis propositum problema cōsultari, quicumq; tantum in uno genere problematum fuerit etiam feliciter quantūuis & abunde exercitatus. Nam proposito aliquo themate diuerso, totus is cōtremisceret; quod argumentis destitutus sit ad tale propositum. quum igitur dialecticus omne problema (ut dictum est) consideret, in quod semper paratus esse debet, ad colluctandum opus fuerit illi locis ad id utilibus: at quanto hi uniuersaliores sunt, & utiliores alijs. quare omnium communissimos persequetur primo ut mōstrauit primum documentū: dein eos qui ab illis sunt communissimi. Horum naturā referre uidetur is locus, qui dictus est secundo libro secundus, quo oportet inspicere, si accidens inesse uniuersaliter alicui dicitur, ad omnia sub illo cui inesse dicitur contenta, utrum his omnibus contentis insit an non: ut speciebus, uel indiuiduis. Nam talis locus accommodari potest singulis prædicatis, quæ inesse dicuntur alicui uniuersaliter. nā & genus inesse uniuersaliter per species omnes, indiuiduāq; quibus cōuenit, monstratur. Similiter propriū speciei uniuersaliter inesse monstratur, q̄ omnibus indiuiduis insit. Sic speciei infimæ definitio de specie uniuersaliter indicabitur prædicari, q̄ de suis omnibus indiuiduis prædicatur. si uero afferatur definitio speciei mediæ, quod omnibus infimis speciebus & indiuiduis illius insit, omni inesse colligitur. nam species ipsa est uniuoca, & de qua sua definitio prædicatur: quare & de indiuiduis omnibus. Hic locus qui consistit in specierū alicuius totius uel indiuiduorum consideratione, uirilem profert rationē ad euertendum ideas & formas illas Platonis intelligibiles: quod eadem definitio accommodari non possit indiuiduis, quæ est ipsius ideæ & speciei sub qua continentur: neq; ea

quæ conuenit indiuiduis, ideæ inest. nam ipsa idea immortalis semper manens est, etiam corruptis indiuiduis non permutatur, quæ distincta sit re ab ipsis & ratione, solâq; sit tantum nominis quædam cõmunio. quare cum idea & species illa non prædicetur de indiuiduis uniuoce, id est nomine & ratione, male ipsius speciei assignatur definitio, quæ indiuiduis sub ipsa idea & specie non conueniat. Nimirum per anxie quaeritur, ut species de indiuiduis uniuoce prædicetur, & definitio indiuiduis speciei insit. De ideæ & speciei destructione, ob id quod indiuiduis non inesset, dictum est in quinto Topicorum.

Amplius si per metaphoram dixit nomen, vel idem de eodem prædicauit vt diuersum: & si quis alius cõmunis & efficax locorum, illo vtendum.

Tertium documentum pro destructione fuerit, quod oportet promptum habere locum à metaphora, quod is inter omnes maxime sit utilis ad cuiusuis problematis genus labefactandum. nam & accidentis problema destruebatur, altero modo. nam duo peccata enccebant problema accidentis, quod eo cõtineretur insolens locutio & inaudita. similiter generis problema, ut quodã loco in quarto dicitur. similiter & proprium destruetur per metaphoram datum, quemadmodũ definitio, & utrumq; cognoscendi gratia datur: at metaphora omnis obscuritatẽ plusquam scotinã admiscet, quibus aduenit. quare si metaphoriæ dentur illa, destruentur. Quicũq; igitur conatus fuerit definire nomen aliquod metaphorice, turpissime aberrauerit: ut qui definit hominẽ, paruũ mundum. Hoc nomine metaphoriæ etiã omne nomẽ abhinc multis annis iam desitum & nimis tenebrosum intelligimus, ut sunt illa Platonis nomina, ciliumbre, putrimordax, & huiusmodi. Nam tenendum est semper mordicus hoc præceptum, quod Gellius refert à C. Cæsare excellentis ingenij, ac prudẽtiæ uiro traditũ, Habe semper in memoria atq; in pectore, ut tanquã scopulum, sic fugias inauditum atq; insolens uerbum. Adhæc, locus hic communis omnibus prædicatis ad euerсионẽ non erit abiiciendus, quo idem de eodem prædicari dicitur, quod tamen pro diuerso positum est. nam huius animaduersione contingit & accidentis problema, & generis, & proprii, & definitionis destrui: quod in nulla alicuius problematis cõstitutione idem de eodem omnino debeat prædicari. Id in primis in accidentis problemate per manifestum est, qd habeat subiecto & substantiæ inesse: at substantia & accidens eadẽ non sunt. quare qui dixerit lætitiã gaudio accidere nominibus eadem significãtib; reprobatur. Verum in generis positione sit

Tertius dos
cumẽtum.

Locus quo
idem de eos
dẽ prædicas
tur p omnia
protenditur
prædicata.

clarum idem de eodem non prædicari, quod genus de speciebus & indi-
uiduis prædicatur: at hæc non eadem sunt, quæ superioris & inferioris
uices subeunt. quare qui poneret magnitudinē genus esse continui,
quod eadē sint, destruetur positio. In proprio etiā apertum est, quod in pro-
prii problemate prædicatio fiat de specie & indiuiduis: at hæc non sunt
eadem proprio. Similiter quæ prorsus eadem sunt, non sunt notiora:
at propriū, & definitio notiora speciebus: igitur non sunt eadem illis.
quare quicumque assignarit uel proprium uel definitionem alicuius, cui
idem fuerit, seu quibus idem ponatur, ut qui hominem finiret animal
gressibile homo, euerteret omnis assignatio. Hic igitur locus ab eodem
omnibus problematis formis est cōmunis, proinde charissime est fouē-
dus: & quicumque alij habentur maxime cōmunes, siue ad constructio-
nem siue destructionē problematum: quod tales sint plurimū efficaces &
pluribus congruentes, qui facile ex particularium locorum traditioni-
bus concipi possunt.

Quod autē difficilius sit cōstruere quā destruere terminū,
ex ijs quæ postea dicentur, manifestū. Nam nosse ipsum, &
sumere ab interrogatis huiusmodi propositiones non faci-
le, ut quod eorū quæ sunt in assignata oratione hoc quidem
genus, illud autē differētia, & quod in eo quod quid est genus
& differētiæ prædicatur. sine his uero impossibile est diffi-
nitionis syllogismū fieri. nam si quædam & alia in eo quod
quid est de re prædicatur, incertū utrū ne quæ dicta est, an
alia eius diffinitio est: eo quod diffinitio, est oratio quod est
indicās. Manifestū autē & etiā ex his. nā facilius unū cō-
cludere, quā multa. interimēti quidē sufficit ad unū differe-
re. unū enim, quodcūque sit, destruētis, interēpturi sumus
terminū. at construēti, omnia necesse est cōstruere quod in-
sint, quæ in termino sunt. Amplius cōstruēti quidē uniu-
uersaliter statuendū syllogismū. nam oportet de omnide
quo nomē, prædicari & terminū: & etiā adhuc cōuerti, de
quo orationē, & nomē, si debeat proprius esse assignatus
terminus. destruēti uero non necesse ostendere uniuersaliter
sufficit enim ostēdere quod de quopiā eorū quæ sub no-
mine sunt, oratio non verificatur: & tamen uniuersale
oporteat destruere, non tamen cōuerti necessariū in destru-

endo. nam sufficit destruēti vniuersale, ostēdere, q̄ de aliquo eorū de quibus nomē prædicatur, oratio nō prædicatur. at ipsum ecōuerso, nō necessariū est ad ostendendū, q̄ de quibus oratio nō prædicatur, neq; nomen prædicatur. Amplius etiam si omni ei inest quod sub nomine est, at non soli, interempta est definitio.

Excussimus, quantum nobis licuit, & acute & diligenter omnē locorum segetem ad quoduis problema dialecticum, siue id accidentis, siue generis, siue proprii, siue definitionis constiterit, aptissimā: ex qua farrago admodum necessaria colligitur, tum ad constructionē, tum destructionē rei propositæ. quam quicumq; ut belluo epularum uoracissimus deglutiuerit, is proculdubio proxime accēdet ad id quod in fronte totius operis pollicetur hæc methodus, qui possit de omni proposito problemate dialectico probabiliter differere. nam qui abundauerit locis superioribus libris conclusis, ad omne problema argumentum uel constructiuum uel destructiuū producere ualebit: cum in quatuor prædicatorum genera recidant problemata omnia: at in omnia talia ex locis deductæ sunt rationes ad utranque partem admodum efficaces: etsi non æque detorqueantur rationes ad omnia illa, neq; loci cōmodi problematibus singulis eodem numero præscribātur, siue ad constructionem, siue destructionem. nam multo plures ad euerisionem definitionis trahuntur, quā ad constructionē: cum cōpositioni definitionis quinq; tantū loci maxime proprii cōtribuātur: at destructiui multo numerosiores intelligūtur ex sexto libro, qui totus scatet & redundat huiusmodi locis. Quare his satis manifestū esse poterat, quanto facilius erat destruere q̄ construere definitionem. Verum id rursus amplioribus indicabimus rationibus & apertioribus argumētis sic monstramus: Cuius causæ & principia difficiliori parantur labore, eius effecta ægrius constituuntur: at definitionis causæ & principia difficillime (ut genera & differētæ) conquiruntur. Nam quid imaginari potest difficilius eo, quod ab hoste & aduersario deposci oporteat? Profecto nihil carius esse uidetur, quā id quod precibus emitur. Collectator autem nō potest syllogismo terminum astringere, neq; sumere propositiones syllogismo necessarias cōclusiōi definitionis, nisi accipiat à respondente huiusmodi propositiones, quibus probetur oratio assumpta esse definitio. nam sine propositionibus assumptis per interrogationem, non potest in cōclusionem demittere definitionem. Verum accipere oratio-

Rationibus
mōstrat, q̄
difficilis sit
definitionis
cōstructio,
& facilis de
structio.

nem aliquam, quæ definitio monstrāda uenit, cōflari duobus membris, quorū primū sit genus, reliquū sit differentia, & hæc in eo quod quid est prædicari sola, à repugnante, nemo est tam dialecticæ expers, qui per arduum munus non intelligat: quibus tamen non acceptis, impossibile est syllogismo orationē aliquam concludere definitionem esse. Nam si diffiteatur solum hæc, genera & differentias in quid prædicari, quæ in oratione assumpta pro definitione collocantur, respōdens de re, sed alia quædam, quæ de definito prædicantur in quid, esse constantissime defendat, non orationi inserta propositæ, nondum exploratū fiet, utrū oratio proposita sit rei definitio seu definiti, an alia. nā quoniam definitio est oratio quod quid est esse indicans, nemo facile cognoscere ualebit, etiam summe argutus, utra illarum fuerit definitio: quum eiusdē afferatur duæ orationes pro definitione. ut qui hominis conabatur fidelissime cōmonstrare definitionem esse hæc orationē, animal rationale mortale: quod assurgat genere & differentijs hominis, & ijs quæ solum indicant hominis naturam: cui si obstiterit fortissime respondēs, simulq; pro fide hæc aliam, animal gressibile bipes produxerit hominis orationem, uel contra, non plane uidebitur concludere alteram illarū esse definitionē. Verum ad destructionem definitionis monstrandā, non opus fuerit tam uigili cura & sollicito labore, quæ uel cuius succumbat. nam qui non esse orationē, uel non construi genere, uel proprio, uel differentia, uel non conuertibilem, uel indicantē quid est cōprobat, animose ipsam assignatam toto orbe defraudat. Ad hæc id idem manifestū fiet ratione sequente. Nam facilius unum q̄ multa ostēdere, igitur difficilius est construere definitionem q̄ destruere. destructio enim ad constructionem definitionis se habet, ut pars ad totum. nempe ad destruendum definitionem sufficit concludere, unum eorū quæ necessario desiderantur ad cōplementū definitionis illi non inesse. qui enim ostendit definitionem constitutā non esse orationem, uel non habere genus uel differentiam, uel unum aliquid non inesse necessariorum, illam è medio tollit positam. Ad constructionē autē definitionis omnia inesse illi assignatæ definitioni cōcludere operæ fuerit pretium, & q̄ sit oratio, & proprio genere cōtextatur, nec non differentia, simul sit conuertibilis, & indicans quid. quare facilius destruere q̄ construere definitionem quiuis poterit. Sicut quiuis facilius potest peccare, q̄ studiose uiuere: & non attingere scopū, q̄ attingere. definitio quidē ut mediocritas existit, proinde facile labefactatur. Rursus quod uno modo & una figura cōcludi tantum potest, id consequi laboriosius est, q̄ quod pluribus modis

Et uarijs figuris conquiritur: at definitio tantum per unum modum primæ figuræ, qui uniuersalis est affirmatiuus, cōstituēda uenit. Oportet enim definitionem de nomine uniuersaliter affirmatiuēq; dici: insuper eā cōuersim prædicari de nomine, quia definitio omnis propria est et conuertibilis cum re. quare ut syllogismo oratio pro definitione constituta cōnectatur esse definitio, conueniet eam monstrare partibus consui, omni rei conuenire, et totam conuerti indicare. Verū destructio pluribus figuris impetitur seu cōcuti potest, nō autem una tantū, neq; uno modo, quæ duobus modis negationē colligētibus decurrat. Uniuersale enim est problema definitionis, quod nō tantū destrui cōtingit uniuersali syllogismo, sed et particulari. quare non necessarium ad destructionem illius concludere uniuersalem negatiuam cōclusionem, uerū sufficiet etiā syllogismo conclusa particularis negatiua, quæ mōstrabit definitionē assignatā non cōuenire alicui ipsius definiti. Nō enim credendū est, qd si propositio improbāda fuerit uniuersalis, et ea qua impugnatur sit uniuersalis oppositæ qualitatis: quū uniuersalē affirmatiuā uniuersalis negatiua interimat, nec nō particularis inficiatoria. absurdus fuerit qui æstimarit quōd si sit uniuersalis euertēda, et uniuersali tolletur. Sufficit enim ad uniuersale dirimendum, particulare oppositum. quare ad definitionem auferendam, quōd uniuersalis sit, sufficiet monstrare alicui sub nomine contento nō inesse. at facilius est et uniuersalem negatiuam uniuersalis affirmatiuæ euersuam colligere, quæ tribus modis et duabus figuris connectatur, q̄ uniuersalem affirmatiuam. Adhæc eandem oppugnat particularis negatiua, quæ omnibus figurarū speciebus, et nouem modis corrogari potest. quare facilius esse destruere definitionem perspicuum est. Cæterum ut definitio construatur, oportet eam esse cōuertibilem: ad destructionē uero, non oportet eam conuerti. non enim oportet si de aliquo nomen non uerificetur, et definitionem non uerificari, ut destruat, neq; contra: sed sufficit demonstrare de quibus nomen dicitur, orationem non uerificari: et contra, de quo oratio dicitur, non uerificari nomen. Demū hæc ratio dilucide monstrat difficiliorem esse constructionē definitionis, quā destructionē, quōd licet omni inesse monstretur definito, non tamen construitur esse definitio: at si non omni, uel si non soli mōstretur inesse, destruitur. quæ facilius ostenduntur, q̄ per plures figuras et plures modos, quā illud.

Similiter autē & circa proprium & genus se habet. In utrisq; enim destruere q̄ cōstruere facilius est. de proprio

quidē manifestū, ex ijs quæ dicta sunt. nam vt plurimū in cōplexione propriū assignatur. quare destruere quidē est, vnū interimēti: cōstruenti autē, omnia ratiocinatione colligere necesse est. pene autē & reliqua omnia quæcūq; ad diffinitionē, & ad propriū cōueniet dici. nam & omni oportet quod sub nomine est cōstruentē mōstrare quoniā inest: destruētī autē sufficit ostēdere, vni nō inesse. si vero & omni inest, at nō soli, etiā sic destructū fit, perinde ac & in definitione dicebatur. De genere autē, quoniā cōstruere quidē necesse est vno modo, qui omni ostendit inesse: destruētī autē dupliciter. nā siue nulli, siue alicui ostēsum sit nō inesse, interemptū est quod in principio. item cōstruenti quidē nō sufficit quoniā inest ostēdere, sed & quoniam vt genus inest, ostendendū. destruētī autē sufficit ostendere non inesse, vel alicui, vel nulli. videtur autem quemadmodum in alijs, corrumpere q̄ facere facilius: sic & in his, destruere quàm construere.

Propriū & genus factius destruitur quàm cōstruitur.

Quoniam propriū & genus habent cōmune id cum definitione seu termino, q̄ facilius destruat̄ur q̄ construat̄ur, eisdē tamen non tribuitur cōsimilis uel construedi uel destruedi lex. In primis faciliore esse propriij destructionem ipsa cōstructione liquet satis ex rationibus quæ definitionē internecioni obnoxia maxime monstrant. Nam inter reliqua prædicata nullū est definitioni coniūctius, q̄ propriū. nam ipsum ut plurimū est in cōplexione & oratio, quod dicitur admittere primū genus, dein reliqua ad conuersionē conducētia, ut descriptū est in quinto. sunt etiā & propria simplicia & sine cōplexione, ut risibile, simile, dissimile, æquale, inæquale, & similia. quorū quodcumq; facilius destruetur, q̄ cōstruetur. quod maxime relucēbit in proprio cōplexo. nam destruetur omnibus illis locis, quibus prima pars non esse genus suæ cōpositionis indicabitur. in super q̄ nō conuertatur, q̄ non soli in sit, q̄ non omni, & q̄ plurimis alijs modis, quibus unū necessariorū ad constructionē deponitur. Construitur uero admodū languide: nā uno modo, quo omnia inesse proprio colliguntur, q̄ genus habeat primū in cōpositione, in sit omni, soli, non indicat quid est, non est ignotū, & cætera quæ requiruntur, quorū unius omissio necessarij, quæcūq; accumulata fuerint, irrita fuerit. In super abude monstrata est difficilior definitionis cōstructio: at

Duplex proprium, simplex & cōplexum.

ferme quibuscūq; est opus ad constructionē definitionis, & eisdem ad propriū structurā: igitur difficilius fuerit propriū cōstructio q̄ destructio. Genus uero liberiori modo destruetur q̄ constructur. nam duobus modis ostendetur generis destructio. Etenim omnibus locis & argumētōrū formulis, quibus genus nō inesse speciei concluditur, omnino peruertitur: similiter si non omni insit speciei. Constructur tantum locis, quibus omni inesse speciei, & diuersis, & in quid prædicari ostēditur. At facilius fuerit multo aliquod habere argumentū, quo nulli speciei, uel non omni inesse monstratur, q̄ omni, & diuersis, & in quid, ipsum genus. Quemadmodū enim in rebus omnibus cōspicimus facilius quippiam demoliri q̄ construere (nā cuncta uidentur sponte ad corruptionem tendere) sic ad destruendum terminum, proprium, & genus, argumenta tanquam machinas fuerit facilius admouere, quàm constructionem præparare.

In accidēte uero uniuersale quidē facilius destruere q̄ cōstruere. Nam cōstruenti quidē ostendendū quoniā omni, destruētī autē sufficit ostendere vni nō inesse. Particulare uero ecōuerso. nam facilius construere, q̄ destruere. Construenti enim sat est ostendere alicui inesse, destruētī autem ostendendum quoniam nulli inest.

Quoniam duplex est accidens, quoddam simpliciter inest, quoddam secundum quid: ut album homini secundum quid inest, cygno simpliciter: duplex potest esse accidentis constitutio, alia quæ uniuersalis fuerit, altera particularis. & accidens unum uniuersale dicitur, reliquum particulare. Accidentis uniuersalis cōstitutio difficilius fuerit q̄ destructio, quemadmodum in tribus superioribus: quod oporteat ut tale construatur, habere rationes ad colligendū uniuersalem affirmatiuā propositionē. Ad destructionē uero sufficit habere locos ad concludendum nulli inesse, uel non omni: quorum utrunq; facilius comparatur quàm illud. Cæterum si particulare fuerit problema accidentis, seu particulariter dicatur inesse subiecto, id multo facilius constructur q̄ destruitur. nam ad constructionē sufficit alicui, uel uni conuenire. Ad destructionem autē oportet rationes uenari, quibus nulli prorsus inesse dicitur: at nemo est qui non alterum altero laboriosius esse uideat. Inesse enim alicui, pluribus modis colligi potest, & uarijs figuris: nulli uero inesse, tribus tantum modis ratiocinandi. quare liberior est multo constructio accidētis particularis quàm destructio. Nec mireris si duplex

Accidēs duplex, & uaria ratio cōstructionis & destructionis eius.

Caillus dicitur.

faciamus accidentis problema, alterum particulare, alterū uniuersale: non autem duplex generis, neq; proprii, neq; termini. nam, ut diximus in ipso uestibulo secundi, accidens dupliciter inesse potest, & particulariter, & uniuersaliter: at genus, proprium, & terminus suis uniuersaliter tantū insunt. proinde non citra rationem contribuemus hanc duplicem naturam accidenti, non autem reliquis.

Manifestū autē qua de causa omniū facillimū est terminū destruere. Plurima enim sunt in ipso data multorū dictorū, ex pluribus autē citius fit syllogismus. nam verisimile, in multis, magis q̄ in paucis peccatū fieri. Amplius ad terminū quidem cōtingit & per alia argumētari. siue enim nō propria sit diffinitio, siue nō genus quod assignatur, siue nō inest aliquod eorū quæ sunt in diffinitione, interempta fit diffinitio. ad alia autē neq; ea quæ ex terminis, neq; alia cōtingit omnia argumētari. sola enim ea quæ ad accidēs, cōmunia sunt omnibus prædictis. inesse enim oportet vnumquodq; eorū quæ dicta sunt. si autē non vt propriū inest genus, nōdum interemptū est genus. similiter autē & propriū nō necessariū vt genus inesse, neq; accidens vt genus aut propriū, sed inesse tantū. quare non possibile ex alijs ad alia argumētari, nisi in diffinitione solum. manifestū igitur quoniā facillimū omniū est, terminum interimere: construere autē, difficillimū. nam & illa oportet omnia ratiocinatione colligere: & q̄ insunt quæ dicta sunt, & q̄ genus quod assignatū est, quodq; propria diffinitio: & adhuc præter hæc q̄ indicat quid est esse oratio. & hæc probe oportet fecisse. Aliorū autē propriū maxime huiusmodi. nā interimere quidē facilius, eo q̄ ex pluribus plerūq; fit. Construere autē difficillimū: quoniam multa oportet astruere, & adhuc quoniā soli inest, & quoniā cōuersim prædicatur de re. Facillimū autē omnium cōstruere accidēs. nam in alijs quidē nō solū inesse, sed & quoniā sic inest ostendendū: in accidēte vero quoniā inest dūtaxat, sufficit ostendere. Destruere autē difficillimū est accidēs. quia q̄ paucissima in eo data sunt: nō enim cō-

significat in accidēte quo modo inest. Quare in alijs quidem dupliciter interimere cōtingit, vel ostēdendo ꝫ non inest, vel ꝫ nō sic inest: in accidēte vero non cōtingit interimere, nisi ostēdendo ꝫ nō inest. Loci igitur per quos copiosi erimus ad singula quæq; problematū argumētari, fere sufficienter annumerati sunt.

Exploratum esse potest traditione illa qua prædicata facilius destrui q̄ construi monstrantur, ꝫ omnium facillima termini est destructio. Nam is solus est, qui plura desiderat ad sui compositionem: at quæ pluribus indigēt, ea facilius est destruere, & syllogismo reprobare. nā ut consentaneum est rationi, in multiloquio non deesse peccatum, & in multis administrandis rebus facilis sæpe erroris datur occasio: sic ad cōstruendam definitionē intentus animus aberrare potest, quæ q̄ plurima requirit. Insuper omnes argumentorū modos, quibus contingit ad cæterorum prædicatorum euerisionem discere, eosdem etiam accingens in labem definitionis. Nam omne differendi genus, quo evertitur proprium, quoniam cōuertibile non sit, illud accommodari potest definitioni: nam definitio uult esse propria, id est, cōuertibilis. Similiter genus eadē deposcit pro prima parte, & differentiam pro reliqua, quare omnes loci qui faciūt pro destructione generis, & definitionē tollere possunt. Demum omnis definitio inesse requirit, quare locis quibus accidēs destruitur, & definitionem contingit eisdem deuastare. quare postquā omnes illi loci ad unum, quasi cōueniētes cōiurarint destruere terminum, multis patebit calumnijs, iniurijs, & periculis. Cæterum ad proprium nō contingit omnibus istis modis argumētari. nam proprium liberum est ab omni illa lege, quæ astringit definitionem: uincula tamē & aculeos, quibus discutiatur accidētia, & genera, & demum interimūtur, sentiet. Nam proprium in complexione positum genus desiderat. quare quæcumq; crudelissime uel torquent, uel diripiunt, uel trucidāt ipsum, & propriū enecāt. similiter cum proprium inesse uelit ut accidens, quæcumq; rationes tollunt nō inesse, euertunt ipsum. Genus autē infestatur & locis quibus accidēs dimouetur. Accidens uero positum locis constitutis quibusdam ad ipsum & paucioribus contingit destrui, nō enim generis neq; proprii, neq; definitionis locis corrumpitur. quare manifestum definitionem facillime destrui, quæ & locis in sexto ordinatis, & in quinto, & quarto, & secundo libris corripitur. Propriū uero, locis in quinto, & quarto, & secundo constitutis, destrui

Omnes loci aliorū prædicatorū destruiti quasi à perniciē de finitionis cōiuratur.

Propriū eueritū locis gētis & accidētis & definitis ad ipsium.

Genus locis accidētis & constitutis eisdem interimitur.

potest. Genus autem locis in quarto, & in secundo positus, suspēditur. Accidēs uero, euertitur locis in secundo tantum descriptis, unde non esse obscurus potest ordo horum librorum, & adiuuicem habitudo illi, qui hanc seriem prædicatorum & naturam obseruat: quum loci accidentis ad generis problema, proprii, & definitionis conferant, non cōtra: similiter generis loci ad proprium & definitionem euertenda parantur, non contra: proprii loci, ad necandam definitionem instituuntur: non cōtra, loci definitionis ad propriū destruendum. Sagaci igitur ingenio & mira prudentia hæc tali ordine digesta fuerunt. Vnde notum est q̄ maxime omnium facile destruitur definitio, dein proprium, post hoc genus, difficillime uero accidēs subuertitur. quorum cognitio talis plurimum leuabit ipsū congregientem, qui problemata habeat oppugnanda. non enim quis poterit iuste differere, nisi intellecta natura rei impugnandæ, & quibus & quot impetetur modis. Construitur autē omniū facillime accidens, q̄ paucissima requirat ad sui constructionē. nam si insit tantum, construitur: reliqua uero præter inesse alia requirunt multa, & modum deposcunt. quare & illa destruuntur multis modis, q̄ non insint, & q̄ nō hoc modo insint qui illis peculiaris inesse debet. ut generi conuenit prædicari in quid de diuersis speciebus, & proprio cōuerti, definitioni autem, quid est indicare. Post accidens facillime construitur genus, dein proprium, ægerrime quidem definitio. nam quanto quid difficilium cōstruitur, eo destruitur facilius: & contra. Quare si habuerit differēs problema à definitione euertendum, poterit locis, quibus ad accidens differitur, & ad genus, & proprium, & in terminum disceptare propositū. si uero proprii sit problema, locis destruet accidentis, generis, & proprii. si uero generis sit constitutum problema, locis accidentis, & generis demolietur. Accidentis uero problema non aliorū locis, sed his constitutis tantum ad ipsū diripietur. unde notum est huius ad omnia problemata conferre locos, sed non contra. sed de his hæctenus, quibus locis differemus in problemata.

ANTONII DEMOCHARIS
 RESSONEI IN OCTAVVM LIBRVM
 TOPICORVM ARISTOTELIS,
 HYPOMNEMA.



Ost hęc autē de ordine, & quomodo oportet interrogare, dicendum.

Abunde satis superioribus libris quatuor esse problematū genera à quatuor prædictis, accidentē, genere, proprio, & termino deducta collustrauimus: quorū peculiare locos & cōstructiuos & destructiuos, per quos ualeamus copiose in quodcūq; positū problema

In omne problema cōstituti sunt loci libri superioribus.

disceptare, libri ijdē certa lege distincti profitētur, continēt, effundunt. Nam si problema fuerit accidētis, id duobus libris loci conclusi examinant: nam secundo, accidens per se discutitur: & tertio, ipsum comparatū. Si uero generis constituatur problema, in ipsum loci qui de promūtur quarto libro contendunt. Si uero proprii positio afferatur, ad eam parabant uiam rationes in quinto. Si demū fuerit obiectū definitionis thema, huic aderūt argumenta quæ sexto ordinātur. Cū igitur omnia problematum genera & quæstiones in hęc quatuor relabātur, nemo adeo rudis poterit esse, qui, si fuerit locorū & cognitionem & uim expertus, non habeat in prōptu rationes quā plurimas ad quoduis propositum. nam ad unūquodq; demonstratum est quā plurimas esse rationū species. quapropter hoc primū debet esse colluctatoris munus, ut propositū quoduis agnoscat atq; perpendat uel probādum uel improbandum (quia non eadem lege omnia & construūtur & destruūtur) utrū sit accidēs, uel genus, uel propriū, uel definitio, an non: quidd si unum horum offenderit esse (nam id necessarium est fore) locos cōsiderabit ad ipsum designatos, è quibus haurire poterit tantam argumentorū copiam, ut non desiderare possit abundantia rationū maiorem. Cæterū quoniam nō tantū est dialectici inuenire rationes, sed & interrogare inuenta, qui habeat semper respondentem ut aduersariū, agendum est de debito interrogandi modulo. sunt enim quædam quæ non nisi artificiose interrogata conceduntur, sine quibus syllogismum contexere non sperabit disceptator: cuius propria ea est interrogatio, quæ in utraq; partem contradictionis est deflexa, & secundum con-

Dialectici est interrogare.

tradictionē. Insuper dialectici est interdum respondere, non tantū con-
gredi uel interrogare. proinde in principio primi dicebatur, Propositū
huius negotij est methodū inuenire, per quā poterimus de quouis pro-
posito differere, & ipsi disputationē sustinētes nihil dicemus repugnās.
Nimirum est respondētis opus sic respondere, ut non appareat quid-
dam accidere repugnans ex responstone. Cum igitur nō sit sufficiens
locorum inuentio ad differendi methodū perfectam in propositū the-
ma, nisi modus habeatur & interrogandi & respōdendi, nisi usus mō-
stretur, & ordo & uitia quæ disputationem maculare ualent, post lo-
corum inuentionem agendū est de ijs omnibus, & primū de ordine &
usu inuentorum. Nam quemadmodum tela sunt superuacua nescienti
quomodo se illis tueatur, uel alios impetat: sic loci & argumenta uana
dialectico sunt, nisi cognoscat quomodo rebus propositis hæc adhibēda
ueniāt. Danda nimirum est diligēs cura, ut quid proponendum sit asse-
quaris: at quomodo quod proposueris & adinueneris, disponēdū pro-
bandūq; sit, multo maior uirtus efferenda uenit. siquidem nulla res
est quæ plus ornamentis, q̄ ipsa dispositio inuentorum decens omnibus
bonarum literarum professoribus aduehat: quæ splendorem mirum in
modum obscuris insinuet, quam inter omnes oratoris partes plus ad
uictoriam conducere Cicero fidelissimus est testis. Nam cū maxima sit
uis opportunitatis, plurimum refert quo loco singula dicantur. quare
opus fuerit solertiore quadam mentis uolutione quæ rem adhuc ru-
dem & quasi nascentē egerat: simul grauiore iudicio, quod nondū rem
politam perficiat. nam quanto forma est ipsa materia dignior (nam est
hæc gratia formæ, & per se infinita imperfectaq;) tanto iudicium in-
uentione nobilius & præstantius non dubitauero facere. Loci nempe
omnes argumenta suppeditat confertissime: at argumenta, media, seu
rationes materiæ subeunt uices. quare si materia quæ forma careat
inanis & uana sit, & loci materiæ analogi sint, formæ autem iudiciū
respondeat, loci quoq; rudes & infiniti propemodum nullo iudicio po-
liti censentur. quare ab inuentione ad iudiciū migrandū est. Cæterū
ut locos facimus alios dialectici de quibus dictum est, sic de iudicio con-
ueniente dialectico agere constituimus, & de ordine illorum inuentorū
obseruando. est enim talis ordo ipsius iudicij, nec non eiusdem decens
interrogandi & respondendi obseruantia. Verum id ipsum diuisione
totius libri clarius docebimus, quem in tria partinur. Primum quidem
præcepta interrogandi & respondendi certissima profert artificiose:
quoniam in his & rectū & uitium residere potest, & quæcumque ad

De ordine in-
uētorum ag-
gendum.

De iudicio
dialectici
dicendum.

Diuisio in
tria huius
libri.

illa spectant. secūdo monstrātur orationes uituperabiles & laudabiles: quarū trina est distinctio, uel quia per se tales sunt, uel ut ad problema constitutū inepte afferuntur, uel ratione alterius siue interrogātis, siue respondentis tales sunt. Tertium facultatem & usum continet decumbendi ad orationē. Istitis autem omnibus iudiciū inseruit, ut puero notum esse potest. nam interrogare & respondere nō sunt inuentionis, quum inuenta interrogentur, & nemo respondet sanæ mentis, nisi quæ iudicauerit: cum interrogans tantum à respondēte iudiciū & sententiā suam requirat. Similiter eo quod uituperabiles orationes & laudabiles dicātur, iudiciū proditur clarissime. nam uerum, falsum, laudabile, uituperabile, necessarium, cōtingens, & huiusmodi, nomina sunt formarum & iudicio astipulantium. Exercitationem demū orationum quis nō nouit in iudicio uersari? Fient tamen hæc omnia horum traditione locupletiore clariora. Hoc unum habeamus inconcussum, quoniā de iudicio accommodis speculatio adhibenda uenit, ne indecenti ordine & ut fors tulerit, omnia commisceantur inuenta, & in cumulum sine delectu congerātur omnia, ne (ut uoluit Hesiodus) quoddam chaos cōstituitur: cuius meminit & Ouidius primo metamorphoseos, siue rudis indigestaq; moles. ut enim materia ædificanti utilis, adiuuicem commissa domum nō refert, nisi manū artifices & ordinem adhibuerint: sic neq; loci, neq; argumētā uim habebit genuinā, nisi ordine & dispositione fulciātur. Quāta sit dispositionis uirtus ex eo uel cæcus uidet, quod si corporū nostrorū aliquid permutetur & transferatur proprio situ, etsi habeant eadem omnia & conseruent, monstrū tamen perspicitur. Dispositio dialectica quæ primum sint statuenda & proferenda docet, quæ uel postremum, naturali quodam ordine. qua in re à rhetorica nonnihil differt. quærunt enim rhetores magis speciosum ordinem, quæ uerum: magisq; nōnunq; affectāt, quæ in oculos incurrunt argumenta, quàm ea quæ sunt abstrusa plurimum ad probationem conferētia. Scimus tamē dici à Celsō, quem Quintilianus huic parti instare uehemētius putat, primo firmū aliquid esse ponēdum, summo firmissimum, imbecilliora medio: quia & initio mouēdus est iudex, & summo impellendus. Non tamen sumus adeo ignari, ut credamus; uelimus rhetores omnia cōfundere, uel perturbare quæcunq; hi tā splendide, tamq; plausibiliter perorando proferunt: sed tantū suspicamur dispositionē eos inquirere, qua magis applausum captēt popularē, iudicisq; gratiā concilient, temporis & foro inseruiant, & affectus moueāt. Dialecticus hæc cuncta, quod proxime ad sōphistarū partes dirigantur, repudiat:

De dispositiōe dialectica quid docet.

qui nullis blādīmētis, neq; lenocinijs titillatur: nullo exordio, quo red-
dantur beneuoli auditores, uel attenti, uel dociles, mouetur: qui quasi
ex abrupto rem propositam ostendere laborat per propositiones ex
interrogatione acceptas: sed nō sine industria. nam quo modo interro-
gare conueniat, summopere contēplatur: cuius habeatur omne munus
in respondentem alium destinatum, cū quo disceptat. disceptatio uero
propositionibus condensatur, quæ à respondente quæruntur, & qui-
bus tandē in problema respondentis concurrat. Propositio nempe dia-
lectica contradictionis est interrogatio percunctanti: quæ concessa à
respondente, sumptio est probabilis, & syllogismo struendo apta. Cum
igitur sit interrogare dialectici, non alienum fuerit à proposita metho-
do, si de ordine interrogandorum pauca perstringantur. Iuuat etenim
plurimū lex interrogandi optima ad propositiones accipiendas à re-
spondente & consequendas, quoniam nō quouis modo interrogati re-
spondentes easdem propositiones reddunt & fatentur. uerum sapi-
cule contingit, quas non concēderent simpliciter, eas tamē certo modo
per interrogationem elatas, ultro concedant. ars ergo quædam profe-
renda uenit, qua dialecticus per interrogationis modum à responde-
nte prompte accipere ualeat propositiones ad syllogismū utiles in pro-
blema positus, & quibus ueritatem ipsam excutere possit. Nam si iudi-
ces strenuā nauant operam, ut à testibus extorqueat ueritatē, & cer-
tos canones sequantur: quid dialecticum facere oportebit, cuius officium
sit interrogare?

Oportet autē primū quidē, eū qui interrogare debet,
locum inuenire, unde sit argumentandū. secundū autem,
interrogare & ordinare singula apud seipsum. reliquum
vero & tertium, dicere iam eadem ad alterū. Quoad autem
inueniat locum, similiter philosophi & dialectici cōsidera-
tio. subinde uero illa ordinare & interrogare, proprium
dialectici. ad alterum enim, omne quod tale est.

Quoniam fere omnes qui artem orandi literis tradiderunt, ij quæ
in oratore desiderarentur, consueuerunt designare: ut inuentionem,
dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronūtiationem: necessariū
fuerit quicumq; dialecticæ curam suscepit, is dialectico ea constituat
omnia, quibus constare & excellere debet. Primum itaque oportet dia-
lecticæ interrogantem secundum se inuenire locum, unde possit argu-
mentari. In cuius inuentione non leuis error & paucus committi po-

Primū inue-
nire oportet
locum.

test, quum non ex omni loco ratio apta proposito elici possit. nam ut in omni solo non omnia reperias, neq; in quouis mari omne pisciũ genus: ita à quouis loco omnis argumentorũ forma petenda non est. At ubi quis cognouerit quid in unoquoq; nascatur & colloctur, facile apprehendet quod in eo esse situm offenderit. In primis igitur scire oportet, è quibus locis argumenta ad rem probandam idonea hauriantur. ex loco enim tanq̃ ex fonte defluit probabile: quo propositũ monstratur. Verum omnes argumentorum sedes non perficiunt dialecticum, quantumuis diligenter excussæ: quemadmodum sola inuentio rhetorem non illustrat: quæ requirant interrogationẽ & dispositionẽ. Nam inuentio locorũ interrogationi & dispositioni subest. secundum igitur quo honestabimus dialecticũ, fuerit, interrogare & disponere apud seipsum: hoc est, per seipsum interrogare & formare interrogationẽ, quasi congressus sit in hostem, & in ipso procinctu: nec non quomodo ipsam interrogationẽ pponet, cogitare accurate. Modus enim interrogadi dialecticæ, est ipsius cõtradictionis. ut, sintne antipodes, an nõ: an sint aues hominibus maiores, an nõ: q̃ interrogatio dialectica est ipsius cõtradictionis, in cuius utrãq; partẽ seorsim argumẽta adinuenire satagit, adiuuẽta pulchro ordine digerit, per quæ disceptationes erũt. quale enim primũ efferendum sit, & quale secundum argumẽtum, & ita cætera, certa dispositionis lege animo constituet. Nam qui fieri potest, ut prudenter quis interroget, argumentũ deducat, & demum longam disputationis rationem obseruet: nisi qui multo tempore exactius hæc cogitarit? Nimirũ usũ uenire solet, quod quis animo destinauit, nõ efferat: at quod non primo decreuerit, nemo nisi diuinus eloquitur. quare bono iure inuentionem dispositio apud se subsequitur: quam tertio ordine comitabitur eloquutio: cuius fuerit munus, quæ inuenta sunt, & interrogata, atq; domi disposita, nec nõ multo iudicio præmeditata proferre in alterum, & respondentem expedite docere. Nam duo priora ad id diriguntur. inuẽtio enim & dispositio ad congressum instituuntur, & ad alterum. His itaq; tribus partibus dialecticum absolute cõponimus interrogantem, qui dialectices præcipuus est minister: argumentorum inuentione, interrogatione & dispositione, & deniq; eloquutione. Verum, ne quid intactum relinquamus, inuentionem esse dicimus argumentorum uel uerorum, uel probabiliũ excogitatione: quæ propositum confirmet. Dispositionẽ uero, certam inuentorũ distributionẽ: quæ indicat quo ordine & situ unumquodq; colloctur. Eloquutio ad alterum, est inuentorum & interrogatorũ secundum se atq; disposito-

Secundũ in-
terrogate.

Tribus opus
est ad diale-
cticum.

Inuētio cō-
munis est
dialectico,
philosopho,
rhetori, &
sophista.

Nō ex eisdē
locis deducit
rationes
philosoph⁹,
& dialectici
cus.

Rhetor In-
uenit.

rum ad alterū accommodatio. Vnde colliquere potest tres illas nō esse dialectico omnes proprias: quū inuētio communis sit & dialectico, & philosopho, & rhetori (si mentionem huius non fastidias) Nam philosophus, qui & demonstrator appellatur, haud temere demonstrat. uerū certissimos habebit locos inuentioni addictos: ē quibus uelut ē proprijs & limpidissimis fontibus rationes rei probandæ & scibilis haurit tū germanas, tum luce media clariores, & uero ueriores. Dialecticus uero, tanq̄ ex uastissimo ipso mari cōmunes quærit rationes: cui nec fluuios hauriendis argumentis satisfacere putauimus. Non possumus profecto quorundam placitis astipulari, qui eō demēticiæ uenerūt, ut existiment locos eosdem inseruire & dialectico & demōstratori. Nam quorum instrumenta diuersa sunt, rationi proximū est, ut materia eorundem sit distincta: at demonstratio est instrumentū philosophi seu demōstratoris: epicherema uero est instrumentum dialectici: materiæ autē subieciimus locū. quare numero eandem nō est possibile inuētionis materiā esse, quā uterq; ingenij uiuacitate perquirat studiose modis lōge diuersis. Est in super demonstratoris probare scibile, dialectici problema: at eisdem locis non cōtingit quippiam sciri, & aliud credi. Adhæc, demonstratio est ex prioribus, notioribus, primis, immediatis, & causis conclusionis: at dialecticus syllogismus, ex communibus decurrit argumentis. præterea, quum oporteat demonstrationē his consurgere quæ per se insunt tantu, huiusmodi autē non struitur epicherema: quis talium non accusabit ignauā, uel iudicij infirmitatem? demū tribus coalescit demōstratio: dignitatibus, proprijs affectibus, & generibus subiectis: atqui nullum tale reperire contingit in differendi confinijs. quare compertū est discrimen non leue inter locos demōstratoris & dialectici. pluribus confoderem argumentis eam sententiā, nisi superfluo non esse immorandum ducerē. uerum quoniam quiuis huius potest facile per se agnoscere cōtrarium, stultum esset mediussidius opinionem illam tam leuem, tamq; supinæ simplicitatis incesse. Cæterum quoniā tria in oratione requirūtur à rhetoribus, ut testatur Aristoteles tertio rhetoricæ: primū, unde fiat fides: alterum, eloqui: tertiu, ordine partes disponere orationis: quis hæsitauerit nō tantū dialectico hæc tria cōgruere? Abstineo ab ea, quæ uulgo est agitata, questione: Vtrū sint ij dē loci dialectici & rhetorici, quōd grauissimos inter se pugnātes uideam authores. Nam Boetius in quarto Topicorū diuersos constituit, Agricola uero uult à dialectico mutuari rhetorē locos, neq; ullam dialecticorum rhetoricorumq; locorū differentiam: qui dialectici manus inue-

nire propriū credidit, & rhetoris eloqui: cuius uerba ex secundo inferemus. Cum sint autem tria (inquit) quibus perfecta constet oratio, quæ sunt, emēdatio sermonis, probabilitas dictionis, & elocutionis ornatus: quorū cum primum grāmaticæ doceat, secundū dialecticæ, tertium cui tribuam, nisi rhetoricæ, prorsus nō inuenio. Nam si dialecticæ est munus inuenire, quæ de re qualibet probabiliter dicuntur (quemadmodum Aristoteles magniq; post eum sēserūt authores) inuentāq; diiudicare: si recte probēq; doceat id dialecticæ, nihil erit utiq; necesse nouam ullam de inuentione rhetori inferre mentionē. Hæc ille. Hoc unū leuiter attingemus, & si rhetoris sit per se cōfirmare, & confutare: & inuenire ea, quibus id faciat, fuerit necesse. Habet enim rhetor enthymemata & exēpla: quibus fidem faciat. quæ (ut uult Arist.) tribus cōparatur. Plures in super extant rhetores qui locos præperunt, q̄ dialectici. Nā & Aristoteles in rhetoricæ, & Cicero, & Quintilianus in quinto Institutionum, & alij q̄ plurimi, qui rhetorum partes sunt complexi, inuentionē locorum suis scriptis inseruerunt. Inuenit etiam sophistes: cuius loci tam in dictione q̄ extra dictionē, in redargutionibus sophisticis commemorantur. quare notum est inuentionem omnibus conuenire, licet aliam & alio fine, dialectico, philoſopho, rhetori, & sophistæ. Interrogatio autem & dispositio interrogatorū dialectico est propria. non enim philoſopho conuenit: qui non interroget, sed sumat nulla interrogatione præuia. Rhetor uero nō interrogat ea lege dialecticæ, qui uiribus & elocutione perorat, qui præter argumenta ad uires cauſæ & propositi, perpetuum dicendi genus admodum elaboratum desiderat, nec non ad electionem & mouendos animos. Dialecticus solū uiribus argumentorum adnititur, omni aliorum contempto fauore: breuioribusque utitur interrogationibus & concisis: quibus & breuiores apposite afferantur responsiones. Cauillator & sophistes uiribus non agit, sed electione solū, & prolixas interrogationes ad gloriam, ad captandas hominum opiniones uenatur: ad demulcendos animos officiose operi instat, ut solus dicatur sapiēs, & magnam inde pecuniā aucupari possit. quare antiqui nō incōcinne rhetores appellarūt sophistas. sunt enim rhetores proximi sophistis, & consentientes admodum: q̄ profusis magno quodam delectu orationibus citra necessitatē, sibi placeant, auditores alliciant, fauorem uulgi quærentent plausibilem. Volebant utiq; ætatis prioris authores, ut profitetur Aristoteles in ipso suæ rhetoricæ uestibulo, rhetoricen affectibus mouendis solū esse ascriptā. & si quis eam sententiā, quæ ante Aristotelis tēpora magnum legis ha-

Sophistes
inuenit.

Interrogatio
conclita
est dialecticis
cō propria.

buit uigore, sequatur, is proculdubio intelligit rhetores sophistis tam propinquos esse, ut nulla ex parte se iungantur: at si Aristotelis omnium quos mundus tulit in differendo principis, uestigia imitetur: qui annuit rhetoricam et fidem faciendi, et affectus mouendi potestate tenere: familiariores certe erunt sophistarum rhetoribus, quam dialectico, uel philosopho: utriusque in mouendis affectibus gaudeant. Verè igitur est proprium dialectici interrogare breuiter, et ordinare quæ inuenta sunt: qui in rem propositam à locis eruta et disposita argumenta detorquet, et in respondentem colluctatur, cum quo omne negotium habet differendi.

Philosopho autem et quaerenti per seipsum, nihil curæ est si uera quidam sint & nota per quæ syllogismus, non ponat autem ea qui respondet: eo quod propinqua sint illis quæ sunt ex principio, & præuideat quod subsequatur est. sed fortasse & studiosè agat: quoniam maxime notæ & propinquæ sunt dignitates. ex illis enim scientifici syllogismi.

Quum philosophus et demonstrator ueritatem inquirat per se, et nullum cum altero negotium habeat, quemadmodum dialecticus: non reformidabit ueras et notas accipere propositiones ad syllogismi contextum, quum demonstrat: quod non habeat illas concedendas, uel accipiendas à respondente. est enim illud dialectici et interrogantis, sic reformidare ne appareat notæ propositiones quæ interrogantur à respondente. nam si percipit respondens quid illis propositis colligatur, tales non facile dedit: præsertim si id pugnare in se et positionem suam rescuerit. Sed sumit per se ueras et propinquas propositiones rei probandæ, ex quibus uel infans cognoscat perlucide statim conclusionem monstrandam et colligendam. ut sit Plato grauis philosophus, qui contendat monstrare animam esse immortalem: mox sumit propositiones maxime consentaneas, ex quibus intelligatur colligi propositio dicta propositis illis, hoc modo: Quicquid est per se mobile, semper est: at quicquid semper est, immortale est: ex his apertissime colligi intelligitur hæc, anima est immortalis. non igitur curabit, si uera et nota ad syllogismum, neque si talia concedantur haudquaquam à respondente: quod uideat hæc propinqua esse illis, quæ in principio proponuntur, et præsentiat quid consequatur sine argumentationis forma, quoniam à respondente non sciscitatur quippiam: uerum omnibus incumbet neruis quam maxime notas et propinquas dignitates depromere, ex quibus contextat demonstrationem. nam ex talibus fiunt syllogismi scientifici et

Philosophus
non curat si
acceperit no-
tas responde-
nti, propositio-
nes, sed dia-
lecticus.

demonstrationes. Verum enimvero dialecticus, qui nihil ad ratiocinandum habet neque accipit, nisi quod datum est à respondente per interrogationem, plurimum fuerit sollicitus in certa interrogandorum ratione, ne forsan interrogata percipiatur propinqua rei probandæ, uel improbandæ à respondente: eo quod respondens qui præuiderit statim nulla argumentatione instructa, sed solum propositis et interrogatis propositionibus, quid inde sequi et colligi possit, nunquam fatebitur interrogationes, si ex illis concludi perceperit euerisionem suæ positionis susceptæ. proinde studebit dialecticus interrogare propositiones à re probanda uel reprobanda remotas, ex quibus non poterit agnoscere respondens quid eadem inferri possit: ut facilius inducat respondentem ad propositionum interrogatarum confessionem, et tanquam per gradus quosdam in rem præsentem ignotos respondenti decubat. quæ arte impellit respondentem ad concedendum, quod aliter nullis precibus consequi potuisset. Nunquam enim respondens, si præolscerit ex concessis per interrogationem destrui suam positionem, admitteret interrogatas propositiones. quapropter disceptator in propositum disputationem diducere nequiret, quod syllogismus dialecticus est commune utriusque et interrogatis et respondentis opus. nam interrogans ex concessis à respondente conecit intentionem. Non igitur sine ualida ratione debet curare dialecticus sic interrogare propositiones, ut ex illis respondens non plane habeat quid ex illis consequi possit: qui non consueuerit ponere et concedere propinquas rei probandæ, eo quod præuideat ex illis manifeste per solas interrogationes et non ad formam syllogismi dispositas, oppositum colligi eius quod defendit. ut sit Diogenes cynicus qui diffiteatur hominem esse animal bipes nudum: hunc in modum Plato monstrabit per remota multum: Quæ facultas numerandi et arithmetica in speculatione uersetur, similiter architectus, qui manuum ministerio non utitur, sed utentibus præsidet et iudicium adhibet, particeps est scientiæ speculatiuæ: notum est contemplationis duas esse partes, unam iudicio contributam, et alteram imperio. at regius homo non in iudiciaria parte tanquam spectator, sed in ea imperatoria, quasi dominus et imperans à se, non, ut præco, animalibus: non inanimatis, ut architectura, præsidet: quorum communem habet curam, non omnium animalium, ut brutorum, sed hominum. Cæterum omne animal in ferum et mansuetum est distinctum. animalia uero quæ natura mansuescere possunt, domesticæ appellatur: alia uero syluestria. sociabile quidem et domesticum animal, in aquaticum, et terrenum scinditur. Terrenum autem animal in uolans, et

gradiens secatur. Quæ gradiūtur animalia, uel cornibus munita sunt, uel cornibus carent. Quæ autē mutilata sunt cornibus, uel promiscuæ generationis, uel simplicis. Insuper simplicis & immixtæ productionis animalia quædam bipedia, quædam quadrupedia uisuntur. Rurſus cū homo cū ſolo uolatili reſtat cōprehenſus, genus ipſum bipes in nudum & pennigerū diuidere cōuenit: quare in alterum horum recidere fuerit neceſſarium hominē: at homo non eſt pennigerum, igitur bipes nudum: quod in principio probandū erat. ſic in alijs agendum eſt. nam qui remotas interrogat, neſcitur à reſpondente, in quid congregiendum ſit. quare facilius, nō præuidens quo dirigātur, interrogationes eas tranſire patitur. Nō tamē uſi ſumus noſtro exemplo in interrogationibus, ut breuiori circulo clauderetur propoſitum. Philoſophus igitur, ut in ſummā colligamus, hoc omne interrogationis inſtitutu reſpuit, atq; reſpondentis cōfeſſiones & inſicias nō curat, ſed tantū propoſitiones immediatas & propinquas concluſioni: qui ſcientiā diſcentibus inſundere peroptat. at dialecticus contrarium ſequitur modum.

Loci igitur vnde oporteat ſumere, dicti ſunt prius. de ordine autē & interrogatione dicendū, diuidēdo propoſitiones quæcūq; ſumēdæ ſunt præter neceſſarias. neceſſariæ autē dicuntur, per quas ſyllogiſmus fit. Quæ autem præter has ſumūtur, quatuor ſunt. aut enim gratiā inductionis, vt detur vniuerſale, aut ad magnitudinem orationis, aut ad occultationē concluſionis, aut vt dilucidior ſit oratio. præter has autem nulla eſt aſſumenda propoſitio, ſed per has augere, vel interrogare tentandum.

Tria erant quæ dialecticum abſoluunt: inuētio locorū, diſpoſitio interrogationisq; & eloquutio. Quomodo argumētorum copia & facultas è locis traheretur, tractatibus multis docuimus: hoc unum, quod præcipuum præſentis negotij eſt, adiūgenus, quòd quiſquis fructum ex locis colligere uolet, eum oportebit diligēter & exacte locorū traditionē excolere & ſedulo obſeruari, ad manū ſemper cognitōs habere. Cognitiōnē talem cōſequetur, qui numerū locorū præſcriptū cuius problemati propoſito tenuerit, naturam & uim non ignorauerit. Quemadmodum enim milites, dum belli tempus ingruit, arma cōtinuo geſtāt & ſemper parata habent, ne forſan immuniti ab hoſtibus intercipientur: uel ne, dum arma requirant & conſilium ineant de armis induendis, offendātur: ſic dialecticus debet inuētos habere locos, in quoduis the-

Duo ad fru-
ctū locorū
neceſſaria.

ma: ne diutius remoretur in perquisitione locorum, dum cum respondente congregiendum sit. Ad eandem cognitionē plurimū iuuabit mōstrare in singulis authoribus interpretandis proprias rationes, & ē quibus locis eruatur, aperire (nihil enim ferme dicitur, cuius nō habeatur ratio) & tales rationes usui accommodare. hinc accedet copia quædā incredibilis, iudiciū parabitur ad omnē rem per spiciendam sagacissimū. Hūc tam diuitem locorū thesaurū nō celant liberaliores isti professores: qui cuiusq; propositi rationē & locum adnotant nomine & proprietate. alij aridiores, suis hunc denegāt. Post numerum locorum & traditionē tractatus est producēdus aliquis de ordine & interrogatione. cuius non est facile dare certam legē: quōd hæc magis usu & quotidiano exercitio discatur. uia tamen quā poterimus facilem sternemus: quo facilior detur cōgredientibus ad pugnam accessus, & aperiatur differēdi campus. Accommodatissima quidem huius cōstituetur traditio, si quibus utatur dialecticus, præmonuerimus. quis enim disponet incognita? Dialecticus autē propositionibus probabilibus disceptat, ut sæpe dictū est, disceptandi uero modus nō semper unus: at nōnunq̄ duabus tantū paratur, nōnunq̄ pluribus propositionibus. quare initii sumētibus, primum diuidere conuenit propositiones ipsas in necessarias, & nō necessarias: quibus omnis disputatio dialectica continetur. nam omnis hæc uel suscipitur propositi thematis probandi uel reprobandi, uel uniuersalis, uel ostentationis, uel occultationis, uel declarationis gratia. at primus modus differenti necessarius est, neq; illo carere potest: alij uero accommodi tantum. unde patet diuisionis plenus intellectus, & ratio. Necessariæ enim dicuntur per quas dialecticus cōnectitur syllogismus, quo probatur uel reprobatur propositum problema. quarum Aristoteles meminit in fine eius partis, quæ syllogismorū constructioni consecrata est: ubi docet omnem syllogismū tam demonstratiuum, q̄ dialecticum per tres terminos solum effici: & ex duabus propositionibus, & nō pluribus esse: quōd tres termini duas propositiones reddant. quare infert, Manifestum est quando in oratione syllogistica non pares sunt propositiones per quas fit conclusio principalis (nam quasdam superiorum conclusionum necessarium est esse propositiones) hæc orationem nō esse syllogisticā, aut plura necessarijs interrogasse ad positionē. Propositiones itaq; duæ, quibus opus est ad conclusionē probandam, necessariæ appellantur, nō q̄ necessariæ sint materia, ut hæc, deus est, sed quia sine illis cōclusio probari nō potest: quæ tribus terminis assurgunt, quorum duo sunt ipsius problematis impu

Duiffo p^o
positionum
interrogans
datum.

gnandi . nam in omni positione & problemate sunt duo termini, & alter subiectus, alter prædicatus dicitur. uerum tertius ex locis est hauriendus, qui medius dicitur: alij uero, interualla: unum maius, alterum minus: quibus coniugitur utrisq; & confertur medius: ex quorum habitudine adinuicem syllogistica dialecticus construitur syllogismus, & cõclusio demittitur seu propositum. sunt autẽ non necessariae propositiones, quæ nõ rem propositam probãt, quibus utuntur dialectici, ab illis duabus necessarijs distinctæ: simulq; argumentantur, sed non eo syllogismo, quo statim præceptus datur in cõclusionem propositũ. Alias ab illis necessarijs accipiunt quatuor modis. nam & inductionis gratia utuntur alijs à necessarijs illis duabus, & disceptant, ut ex multis particularibus uniuersale comprehendant. Et ad magnitudinẽ orationis. nam dialectici interdum suas fimbrias dilatare student, nõ quod necessarium sit ad rei propositæ fidem inducendam tanta orationum abundantia: sed, ut differendo nõ uideantur argumẽtis carere, copiosas & abundantes educunt rationes, crebras & densas celeriter cogumentant, magis ad pompã & ostentationem q̃ ad conclusionẽ monstrandam. Et ad occultationẽ necessariarũ propositionum & rei probandæ latebras, non autem ut probent eam, prosyllogismos accipiunt proximo sine. Et demũ ad manifestandam orationem, multiplicãt præter necessitatem rei cõcludendæ uarias propositiones: quæ in idem recidunt & sunt eiusdẽ: sed aliæ alijs clariores. His igitur quatuor modis contingit plures assumere & interrogare propositiones nõ necessarias ad conclusionem colligendam, & abundãtes, & nõ pluribus modis quàm aliquo horum quatuor modorum plures propositiones sine necessitate: sed per aliquem horũ modorũ augere disputationem & interrogare dialecticæ cõuenit. aliter enim non est possibile accipere à necessarijs duabus ad syllogismum conclusionis, quàm aliquo horum modorũ, uel uane quærentur, uti doctẽ monstratur in primo Priorũ analyticorum sub finẽ primæ partis. Ex dictis colliquescere potest, qui modi disputandi dialectico, & quot congruant. nam is uel necessarijs ad conclusionẽ probandã (& illæ tantũ duæ sunt) uel nõ necessarijs utitur: & hoc quadrupliciter accidit. nam uel ad uniuersale capiendũ, uel magnitudinẽ disputationis, uel occultationẽ necessariarũ, cõclusionisq; aut claritatẽ, id efficit. quare probare nõ possumus quorundã librorũ translationẽ, qui habent, ad necessarias, & ad has, cui Arist. habeat, præter ip̃as. nõ q̃ ignoremus præpositionẽ illã significare interdum

Quatuor
modi nõ ne
cessariarum
propositio
nũ interro
gandarunt.

ad, interdū præter, sed q̄ nō constaret sentētia. nō enim propositiones quatuor illis modis ad necessarias tanquam ad propriū finem, et si ad eas pertinēat, sumūtur, sed ad aliud. quemadmodum dictum est. quare Politianum in sua dialectice sequemur, & Boetij interpretationē, quorum uterq; habet, præter necessarias. adhæc manifestum est id ex eo q̄ per tales esse augendas disceptationes uelit Aristot. Augere enim adpositionem significat non necessariam.

Sunt autem quæ ad occultationem, certaminis gratia. sed quia omne, quod eiusmodi est, negotium, ad alterum est, necesse est & illis uti

Quoniam quatuor modis conclusimus non necessarias propositiones dialectico cōuenire, in quorum ordinem asseruimus propositiones interrogatas ad occultationem: id altius est repetendum (quoniam occultare non uidetur esse muneris dialectici, sed sophistæ & eius qui uictoriæ gratia disceptationem excipit) & ab occultationis nomine cōuenientissimo trahendum. Est quidem occultatio quædā methodus per quam possunt differentes necessaria celare ad propositum. Verū quia prima est interrogantis felicitas extorquere à respondēte, quod is noluerit fateri, id autem alio modo fieri nequit q̄ circuitu quodam obscuro respondententi (dabit enim quæ rei nocere non arbitrabitur) manifestum est non omnino esse remouendam à dialectico occultationem, qui in alterum disceptandi negotium habeat cōmunibus rationibus, ut ueritas magis elucescat. ast quoniā argumentorū uiribus respondentem arguet uerum fateri, quod is negat, non aliter licet retinere disceptationem q̄ occultatione necessariorum ad rem monstrandā. nam si cognouerit respondens paulo proteruior & acerbior propositiones, quibus reprobat sua assertio, nunq̄ tales admittet propositiones interrogatas: q̄ cognouerit aliquo modo reprobare propositū. proinde dialecticus interdum occultatione cogitur uti, q̄ ea sit, ut certamē ueritatis inquirendæ paretur & cōstituatur, dū respondentē cognouerit in propositum necessarias refugere tum rationes tum propositiones. ut commodius igitur discutere possit propositum thema, & cogat respondētē uerū fateri repugnantē, occultatione utitur: quemadmodū boni iudices solent in extorquenda ueritate ab inuitis, multis inuoluere sermonē, & occultare, ut demum decerpere possint ueritatem & cogere respondentē fateri uerum. qui tamē gauderet in quouis disputationis genere ipsa occultatione propositi, proximus uideretur cōtentioso & sophistæ, qui studet occultare ultro propositum, ut potius falsum concludat,

Occultatio
propositi
necessaria
rū pertinet
ad dialecti-
cum.

et redarguat, et gloriam quaerat euandam: qui dolose contendit occultare, non ut iuste differat et certamē ineat ueritatis et eruditio- nis productiuum. quapropter dabit operam dialecticus, ne plus aequo excreuerit occultationis modus, et nullus eiusdem statuatur finis: qui habeat occultare propositū, ut intra disputationis limites retineat re- spondentem, qui aliās uagaretur, proteruiret: et, ut semel dicam, cum quo aliter congredi et disputare non licet, q̄ occultatione facta propo- siti. quare si iudicis, magna laus sit, ab inuitis extorquere ueritatē cir- cuitu uerborum et occultatione, erit non minor ipsius dialectici à re- spondente taliter accipientis.

Necessarias igitur per quas fit syllogismus, non statim præordinandū, sed abeundū ad suprema. Vt nō postulet quis cōtrariorum eandē disciplinā, si hoc uoluerit sume- re: sed oppositorū. posito enim hoc, & quoniā contrario- rum eadē disciplina, ratiocinabitur: eo quòd ex oppositis sunt cōtraria. Si uero illā nō ponat, per inductionē sumē- dum proponēti in particularibus cōtrarijs. nam aut per syllogismū, aut per inductionē, necessarias sumendū: aut has quidē inductione, illas autē syllogismo. Quæcūq; au- tē ualde manifestæ sunt, illas quoq; oportet præponere. nam immanifestius est semper in abscessu. & inductione quod secuturū est, & simul ipsas utiles proponere. & qui non potest illo modo, sumere esse paratum.

Pro interro-
gatione p̄
positionum
necessarias
rum docu-
menta.

His utcumq; annotatis ad ordinem disponendorū transeundum est. In primis itaq; canones propositionibus necessarijs cōgrui feruntur: quibus ordo certissimus propositionū necessariarū cōspicitur. Propo- sitiones enim diuisimus in necessarias, et nō necessarias, quibus diale- cticus uteretur. at quia necessariae sunt magis dialectico utiles, quoniā sine illis cōclusio non mōstratur, q̄ aliæ: conueniens fuerit primas his condere leges. Necessariae propositiones, quas duas solum ratio syllo- gistica fecit, quibus fit syllogismus in problema propositum, si non sint manifestæ, et quas negari statim possibile est à respōdente, dū interro- gantur, non in ipso congressu primo præordinandæ sunt, sed his ne- glectis, seu uerius dissimulatis ad suprema abeundum est, id est, ad uni- uersaliores propositiones, et communiores, et remotiores à re pro- posita transire oportet: quas primo conuenit interrogare et ordina- re. nam si statim et in principio disputationis ingrediendæ ordinaret

Necessariae
ppositiones
obscuræ nō
statim inter-
rogandæ, sed
remotiores.

Et interrogaret propositiones illas necessarias, ex quibus agnoscere
 potest respondens, quid inde cōcludatur, tales nunq̄ is admitteret, neq̄
 fieret disceptatio aliqua. quare uanū eas esset interrogare. Ast ubi or-
 dinantur remotiores illæ propositiones, nō tam facile conijcit, quid se-
 quunturū sit: proinde liberaliore quodam fauore dabit et cōcedet eas:
 ex quibus demum licet descendere ad propositiones necessarias cōclu-
 sionis probandæ. uerum quod dictum est, exēplo patefaciamus. Sit utiq̄
 problema positū, salubris et insalubris nō eadem est scientia: arguens
 non statim debet postulare à respondēte et rogare propositiones ne-
 cessarias ad problema reprobandum, has, contrariorū est eadem disci-
 plina, et, salubre et insalubre sunt cōtraria: quoniam eas respondens
 non cōcederet: q̄ facile perspiciat ex illis euertere positionem positam.
 quare talibus dissimulatis, et animo cōclusis, confugiet ad remotiores
 et multum distantes à proposito problemate: à quibus minus cauebit
 respondens: quōd non sentiat aliquid talibus concludi in demolitionem
 positionis. Hęc igitur interrogabit, Oppositorum est eadem disciplina:
 quoniā concessa hac atq; accepta, et cōtrariorū esse eandem disciplinā
 consequetur: quoniam cōtraria sunt opposita: ex qua tandem proble-
 ma in principio positum euertitur. sed dicet quis, si non admisit et
 concesserit illas quæ ordinantur primo remotiores, is qui respondet,
 ad quas confugiendum erit, quidue faciendum ueniet? an interroganda
 ueniet propositio necessaria? discedendum ne erit à congressu cu magna
 respondentis illusione turpiter, qui nullis incursum respondētis
 procacitatem comprimere ualeat? Abeundum me hercle nondum fue-
 rit à disceptationis arena, etsi primum teli genus respondens perfre-
 gerit, et (uerius) eluserit: neq; interroganda propositio necessaria, sed
 acriori quodam exestuans conatu ad inductionem se non segniter con-
 feret, per quam ex multis particularibus necessarias ad syllogismum
 compingendum sumere tētabit uiriliter: aut alteram illarū syllogismo,
 reliquā uero inductione: aut utraq; necessarias syllogismo. quibus ut-
 cumq; habitis differet haud frigide in eersionem problematis positi:
 quemadmodum superioris problematis propositionem necessariā con-
 stitueramus, hanc, Contrariorum est eadē disciplina, ad propositi euer-
 sionem: quam inductione conueniet ostendere per singularia. ut quia
 paris et imparis est eadē sciētia, arithmetica: sani et ægri, medicina:
 congrui et incongrui, grammatica: boni et mali, ethice: consonantiæ
 et dissonantiæ, musice: quæ omnia contraria sunt: igitur omnium con-
 trariorū est eadē disciplina. et syllogismo eadē conabatur probare,

Si remotio-
 res negens
 tur, necessa-
 rias oportet
 vel syllogis-
 mo vel induc-
 tione ostē-
 dere.

pro comoditate disceptationis. quam si cōsequatur syllogismo, & eandē esse disciplinā, ut gymnasticā, salubris & insalubris, monstrabit. Hactenus de ordine propositionu necessariarū, quas respondens aliqua ap- parentis lege negaret in principio dispositas. Verum si tam perspicuē uisantur necessariæ propositiones, ut negari nō possint sine multo risu à respondente, statim tales primū in certamine ordinē tenebunt: quas proponere respondenti differēs non reformidabit, q̄ ab eo negari honeste nequeant. Nam quādo propositiones non sunt notæ, dictū est eas esse sumendas per syllogismū uel inductionē. Verum quoniā immanifestius fit quod concludendū est, in abscessu & uniuersalioris sumptione seu confugio, & in inductione (nam quanto uniuersalioribus propositionibus utitur interrogans, tanto magis discedit à propositionibus propinquis & continentibus rem probandam: ut qui pro contrarijs sumit opposita, & pro minus communi uniuersalioris conscendit, quo pro syllogismos constituit. quare quod concludendum sit, non caput respondens. similiter qui inductione eandem monstrat per consonantiam & dissonantiam, quorum eadem est scientia, similiter & aliorū eadem est scientia) conueniēs fuerit simul utiles propositiones & necessariae interrogare, & alijs immiscere: ut minus percipere possit & aduertat quid cōcludi talibus possit, respondens: quando aliter accipere non licet ab eo. Nam si per se interrogarentur, q̄ clare uideat, quid sequatur, respondēs, non admittit tales. Fieri enim potest, ut interrogans per se accipere non ualeat aliquas propositiones, cōmixtas tamen alijs dat eas respōdens. quare iuuabit cognoscere hunc disponendi ordinē circa propositiones necessariae, q̄ quædā admittātur sola dispositionis serie. Manifestū est igitur quid sit obseruandū in propositionibus necessarijs. nam si non sint manifestæ, non sunt statim interrogandæ.

Quæ uero præter has sumptæ sunt, accipiendæ quidem illarum gratia. vnaquaq̄ autem earum hoc modo utendum. inducentem quidem à singularibus ad uniuersalia, & à notis ad ignota. nota autem magis, quæ secundum sensum, uel simpliciter, uel multis.

Necessariæ manifeste i principio in terrogari possunt.

Cōmune est quatuor modis non necessarijs, ut necessaria: rū propositionū causa querantur.

Aperuimus ordinē interrogādi in propositionibus necessarijs obseruandū, nūc appetit ut in alijs præscribatur ordo decēs nō necessarijs: quæ etiam à dialecticis in quadruplici differētia propter antecedētes quatuor causas desumuntur: dūmodo præmonuerimus commune esse omnibus illis non necessarijs, quòd præaccipiuntur necessariorū cau-

sa. Verum quia peculiarē habent finē singulæ, de ordine singulis proprio dicendum, & quomodo certa lege sit utendum talibus. Primum in inductione quidem, quod obseruabitur, facillimū est. nam notiora sensu præordināda sunt, quæ multis uidentur: quoniam inductio est à singularibus ad uniuersale accessio. quare oportet inducentē à singularibus ire ad uniuersale, & à notis nobis ad ignota nobis. Sunt enim notiora nobis, quæ secundū sensum manifesta apparent. Nota autē quædam secundum sensum, quædam simpliciter, ut uniuersaliora, & priora, & quæ demonstratione innotescunt: quædam multitudini, ut quæ probabilia sunt, & in hominum opinione posita.

Occultantē vero ratiocinatione præcolligere oportet ea per quæ syllogismus eius quod ex principio est, debet fieri: & hæc ut plurimum. Erit autem hoc, si quis non solum necessarias, sed & earum quæ ad illas sunt utiles aliquam syllogizauerit.

Quoniā, uti prædiximus, occultatio methodus est quædam qua potest differens celare ad conclusionem probandam necessaria, ad occultandum & ueritatē extorquendam à respondente, qui uerum inuitus dicturus est, plurimum adferent gratiæ prosyllogismi. Nam qui subito nō proponit propositiones necessarias, sed prosyllogismis & ratiocinijs præcolligit propositiones necessarias ad conclusionem probandā in principio defensam, multum latentem & occultam parat respondenti disceptationem, ex qua propositum commodius accipitur à respondente. Non tamen id semper sequēdum est, sed ut plurimum: quia prosyllogismis non profuerit in proteruos & difficiles agere, & remotis maxima intercapedine propositionibus: sed propinquieribus rei propositæ in tales pugnandum est: quod primum congressum superbo quodam animo sustineant, primas interrogationes sponte concedant, nihil omnino reformidantes: at postremas, ut scorpionē uitant, non dissimiles profecto audacibus, qui cum tantum roboris & potentiae sibi præsumāt, ut omnibus se superiores putauerint: proinde primis bellorum discriminibus se offerūt, periculis obiectant: pericula uero experti tergiuersantur, fugam arripiunt, cum senserint se inferiores copijs, apparatu, & munimentis bellicis. Cæterum non tantum occultā reddiderit disputationē, si prosyllogismo acceperit propositiones necessarias, quibus conferendum est in problema, sed etiam si alias propositiones, quæ conferūt ad utiles & necessarias proposito monstrā-

Primum documentum ad occultationem est, utendum prosyllogismis est.

do, ratiocinio præcollegerit. ut qui probauerit propositiones illas, quibus necessaria colliguntur. nam quâto remotiores adferet propositiones ab ipso proposito, tanto rem instituerit obscuriorē & minus perspectam respondententi. quare si prosyllogismorum propositiones probentur, illæ quibus monstratur, faciunt rem umbratiliorem, quàm aliæ quæ necessariae connectunt: quibus tamen omnibus suo ordine corroboratis descenditur ad propositum in principio ostendendum. Prosyllogismus autē dicitur syllogismus probans alteram præmissarū. nam si propositionem, prosyllogismus propositionis dicitur: si assumptionem, assumptionis: quòd si eodem tenore monstratur illæ, epicherema rhetores uocant.

Amplius conclusiones non dicere, sed postea ratiocinatione colligere subitarias. Sic enim longissime abscedet ab ea, quæ ex principio, positione.

2
Tacēdū est
propositum

In occultatione nō dicit interrogans cōclusiones probandas respondēti, quas animo probare instituit: sed post uarias interrogationes euestigio postremā inferet cōclusionē. Huic obsequetur, quicūq; propositiones acceperit prosyllogismorū, & psyllogismos prosyllogismorū: quorū non inducitur protinus cōclusio, sed posterius ex interrogatis prosyllogismū demittitur intētio. nā propositiones illæ prius interrogatæ, quæ in syllogismorū cōpositiones non uenerūt & prosyllogismorū, minus intelliguntur à respondēte, & sic facilius conceduntur, q̄ si in ordinem syllogisticū digerantur. quas posterius, ubi concessæ habentur, disponet interrogans: ex quibus per syllogisticā traditionem descendet ad propositiones illas probandas, quibus subito cōcluserat rē propositā. sic enim recedet longissime à re proposita, quam decreuit probare: ut magis lateat respondētē: propositionesque interrogabit uarias nullo ordine syllogistico dispositas. minus enim cōspiciet respondēs ob indubitā cōpositionē, quid tot & tātis concludi possit. ex pluribus tamen cōfessis perducetur eò, ut quod nolebat concedere, negare non possit.

Vniuersaliter autē dicendo, sic oportet eū interrogare qui occulte interrogat, ut interrogata omni oratione & eo dicēte conclusionē, quærat propter quid. Id autem erit maxime per antedictū modū. nam sola vltima dicta cōclusionē, immanifestū quomodo accidit. eo q̄ nō præuidit respondens, ex quo accidit, nō per membra digestis prioribus syllogismis. minime autē per membra digerit

tur syllogismus conclusionis, cum non eius sumptiones ponuntur, sed cū illa sumuntur, à quibus syllogismus fit.

Quoniam quæ pingui Minerua traduntur, facilius suo modo deprehenduntur, quæ absolutiore quodam stylo: non impertinens fuerit ad occultationē uniuersale quoddam documentū imponere, ad quod tanquam ad exemplar & regulam cuncta dirigantur disceptates. Qui igitur in uniuersum omnia sic interrogare potest & ea industria, ut absoluta omni totius orationis interrogatione, dum ex interrogationibus infert conclusionem, inquirat nesciens respondens propter quid & unde inferatur ipsa: quoniam non considerauit interrogationes ex quibus arguens impellit quadam necessitate conclusionem: probe occultat. Ad hanc occultandi legem supra fidem conducet nuper traditus occultandi modus, quo propositiones prosyllogismorum interrogari præcipiebatur, omni prætermissa superiorum conclusione, sed solum postrema conclusione subito enuntiata. hinc fit immanifestū ex quibus accidat & inferatur conclusio subito, eo quod non intelligat respondens prosyllogismos per membra indigestos, & indispositos omni syllogistica traditione: neque præsentiat ex interrogationibus nullo modo in ordinem syllogisticū dispositis, conclusiones inferendas, quæ postremo syllogismus constituēt subito conclusionem inferunt. Minime profecto fit notus conclusionis syllogismus, cuius non assumuntur propositiones necessariae, neque sumptiones accipiuntur ad syllogismus in problema construendum, quæ prosyllogismorum sunt conclusiones & ostensæ per priores syllogismos: uerum sumuntur propositiones prosyllogismorum & remotiores, per quas fit syllogismus.

Vtile autē & non cōtinua postulata sumere, ex quibus syllogismi: sed vicissim ad aliam & ad aliā conclusionem. Nam positis conuenientibus iuxta se inuicē, magis quod accidit ex ipsis manifestum.

Insuper fuerit plurimū utile, non continuas ad inuicē & cōtinentes propositiones ordine sumere, ex quibus fiant syllogismi ad problema: sed permutare oportet & propositiones accipere, ad alias & diuersas conclusiones permutatim cōferentes, & non ad eandem. nam propositionibus (quas nomine axiomatū expressit Aristoteles) non erit difficile ad eam conclusionē tendentibus, quid sequatur coniectare, & consequenti cōtinuo ordine dispositis. quare permutatione fuerit utendum interrogatarum orationū diuersis conclusionibus inferuentiū: quoniam

3
Sic interrogare
re cōuenit
ut nesciat
respondens
ex quibus cō
clusio infera
tatur,

4
Sparsa iters
roganda sūt,

permutatio & euariatio multiplex occultationem plusquã nocturnã rebus probandis indit. Consimile iudices custodiũt, qui traducunt sermonem ad diuersa, exploraturi alicuius fidem. nũc enim inquirunt de loco, nunc de tempore, nunc de persona, & cæteris alijs huiusmodi, ut in aliquod responsum incidat: post quod illi uel fateri, quæ uolunt, necesse sit: uel ijs repugnare quæ iam dixerat.

Oportet autẽ & diffinitione sumere (in quibus possibile est) uniuersalẽ propositionẽ: non in ipsis, sed in cõiugatis. Nam decipiũt falsa ratiocinatione se ipsos, quãdo in cõiugato sumitur diffinitio, si nõ uniuersale cõcedunt. vt si oportet sumere, & qui irascitur, appetit pœnã: sumatur autem, ira appetitus esse pœnæ propter apparentẽ paruipensionẽ: manifestũ autẽ quoniã hoc sumpro habebimus uniuersale quod prælegimus. at eis qui in ipsis proponunt, sæpe accidit vt abnuat respõdens; eo & magis se habeat in ea re instãtia. vt & nõ omnis qui irascitur, appetit pœnã. nam parẽtib; irascimur quidẽ, nõ autem pœnã appetimus. Fortasse autẽ non vera instãtia est. nam à quibusdã sufficiens pœna est tristari solũ & facere pœnitere. uerũtamen habet aliquid uerissimile, vt non videatur irrationabiliter negare propositum. in iræ autem diffinitione non similiter facile est instantiam inuenire.

§
Digrediedũ
ad coniuga
tũ pposito.

Adhæc ad occultationẽ uniuersalis propositionis euertendæ, in qua de coniugato prædicari definitio dicitur, oportebit accipere definitionẽ non ipsius cõiugati, in quod disceptandum est, sed alterius. nam accepta per definitionem in aliquo coniugatorũ propositione, facile fuerit ad propositum trãsserre coniugatu, quod in alijs coniugatis cõcessum est & acceptũ. Quas enim in ipsis propositis non darent interrogationes respõdentes, quia præolfaciunt notabiliter quid inde cõcludi possit, eas uel consimiles in cõiugatis proposito exhibent. quare pposito cõiugato, nõ statim in ipsum insurgẽdũ, sed deducenda est disputatio ad aliud: ut ad cõiugatu propositum. nam quæcũq; dantur in uno cõiugatorũ, & in reliquis fuerit necessariũ concedi: quare & in proposito, quũ uerus sit à coniugatis locus tã destructiuus q̃ cõstructiuus in omnibus. Fallẽtur itaq; qui in aliquo coniugatorũ, cũ dederũt uniuersalẽ propositionẽ per definitionẽ cõpositã, in reliquis nõ concedũt cõsimile. ut sit pro-

positum, Omnis qui irascitur, appetit pœnam, mōstrandum: eo præter-
 misso ad cōiugatum illi animum conferre oportet: & iram desiniens
 esse appetitum pœnæ propter apparentē paruipensionē: cui si annue-
 rit respondens, ex ea facile propositum colligetur. nam sæpe dat in a-
 lieno à proposito, quod in proposito non concedit, ut hoc exemplo ma-
 nifestum est. nā in proposito uidetur magis esse instantia, q̄ in alio illi
 coniugato. Nam uidetur, quòd non omnis qui irascitur, pœnā appetat,
 eo q̄ parentibus irascimur, quibus tamen pœnam non dicimur appetere.
 At in ira & coniugato altero non uidetur instantia, q̄ omnis ira sit
 appetitus pœnæ propter opinionem paruipendendi. proinde aliquando
 habet quid uerisimile, ob quod nō uideatur citra rationem orationem
 negare respondēs propositam, etsi nulla sit instantia in uno coniuga-
 torum, quæ in reliquis non resideat. Apparens igitur est instātia tan-
 tum quæ in uno habetur, & nō in alijs cōcipitur. Parētibz enim dum
 irascimur, pœnā appetimus, quòd contristari eos & facere dolere stu-
 deamus. nam id pro pœna parentibus uolumus inesse, ut quodam mo-
 do ulciscamur.

Præterea proponere par est non ut propter idipsum,
 sed alterius gratia, eum qui proponit. Nam deuitant ea
 quæ ad positionem sunt utilia.

Vtilitatem occultādi procreat disceptatio quæ alterius à proposito
 gratia uidetur suscipi. quare fuerit congruum disceptanti quæ utilia
 sunt ad differendum in propositum sic interrogare & proponere, ut
 nō propositi, sed alterius sine putētur interrogari à respondente. Fu-
 giunt enim summopere ac deuitant pro uiribus respondētes, quæ in-
 tellexerint utilia interrogari ad problema propositum. talia nempe nō
 nisi coacti interrogata fatebuntur, & uiribus impulsī: alia uero quæ
 non credunt ad rem pertinere, tanquam uana gratis largiuntur, ex
 quibus aggravari tandem non minus deprehenduntur.

6

Diffimular
 da ppositi
 disputatio.

Simpliciter autem dicendo, q̄ maxime facere dubium,
 vtrum quod proponitur, an oppositū sumere vult. nam
 dubio existente, quidnam ad positionem est utile, magis
 quod sibi videtur, ponunt.

studere interrogantē uniuersaliter oportet, ut dubium reddat re-
 spondentem & ancipitē ad occultationem rei probandæ. quod maxime
 præstabit, si per quod uelit probare, incognitum sit respondēti: neque
 per modum interrogationis deceat rationem rei probandæ, sed potius

7

Interrogan
 da opposita
 sunt simul.

interrogandi nota respondentis uiuam oculorum acie perstringat: qui in utranq; partem contradictionis propositum defleat. quare non intelligit respondens utrum quod proponitur, an oppositum pro argumento sumere uelit. uerum quia incognitum & dubiu existit, quod sumere studeat, tranquillioris animi tale reddit respondentem, ad concedendum id, quod magis apparet: qui nesciat quid utile, & accommodum fuerit rei probandæ.

Amplius per similitudinē interrogare. nā & uerisimile, & latet magis uniuersale. ut quod quemadmodum scientia & ignorātia contrariorū eadē: sic & sensus contrariorū idē. aut eōuerso, postq̄ sensus idē contrariorū, & sciētia. hoc autē est simile inductioni, nō tamē idē. nam illic quidē à singularibus uniuersale sumitur, in similibus autē nō est quod sumitur uniuersale, sub quo omnia similia sunt.

8
Disceptādū
in altero si-
milli.

Disceptator interrogās reddet obscuriorem respondenti & occultiore disputationem, quæ facta fuerit in simili ipsi proposito: quoniā in uerisimili magis latet uniuersale & propositū (per uniuersale enim propositum intelligimus) quā si nulla fieret egressio à proposito. ut si probandum sit, quod scientia sit eadem contrariorum, non congregandum in illud fuerit, nisi prius facta disputatione in simili & habito, quod idem sensus est contrariorum: ut lucis & noctis, uisus: auditus, soni & silentij: & olfactus, sapidi & insipidi. uel contra, si constituatur problema de sensu, transferenda erit oratio ad sciētiam, quod musica sit cōsonantiæ & dissonantiæ, & arithmetica paris & imparis: quibus habitis & concessis idem monstratur in reliquo simili. nam ut se habet sensus ad sensibilia, sic scientia ad scibilia, & contra. quare quicquid in uno admittetur, in altero dari operæpretiū fuerit. Neque eadem putanda est similitudo inductioni: quoniam in inductione uniuersale singularia, à quibus colligitur, continet. at in similitudine & analogia, nihil est quod complectatur analogæ, & similia: ut scientiam & sensum similia sub nullo uniuersali nomine contineri, liquidum est.

Oportet autem & ipsum sibimet quandoque instantiam ferre. Nam in suspecte se habent respondentes ad eos qui videntur iuste argumentari.

9
In se instā-
dum est.

Instantiā in seipsum obijciens interrogans inter differendū, respondenti dat suæ fidei non modicam æstimationem. proinde minus suspectam habuerit eius disputationem & interrogationes. unde accidit, ut

maxime opportunus sit sic instādi modus, ad occultandū rem institutā & accipiendū necessarias propositiones, quibus differere oportet. Nā respondentes his qui modestiore & iustiore differēdilege uidentur cōgredi & interrogare, plura tribuunt, ut bonæ fidei hominibus: quoniam nulla doli suspitione notantur, qui sibi ipsis occurrāt & aduersentur, si quando falsa pronūtiarint. quare nō uidentur respōdentibus quærere uel proponere quippiam, quod à recto sit alienū & ueri cancellos egrediatur. istis igitur cōcēditur maior disputandi occasio ob instantiam in se pronūtiatam, & accipiendi liberius propositiones necessarias ad disputandum in rem propositam.

Vtile autē & dicere, & consuetū, & dicitur tale. nā pigrescūt quod solitū est, dimouere, instantiā nō habētes. simul autē & quia utūtur & ipsi talibus, cauēt ea dimouere.

Vt expedite à respondentibus interrogantes, quæ uelint, accipiant, per opportunum est consuetis uti, & recepta interrogare. ut qui interrogat, omnem oratorem esse bonum, ut omnibus uisum est & cōsueuit dici: & in singulorum sectis, quæ recepta sint ab illis, asseclis congruū fuerit proponere. Nam pigrescunt omnes & uerētur diffiteri & dimouere, quod consuetum est, sine insigni ratione, & nō habentes instantiam. Nam quum ipsis consuetis quadam pertinaci opinione utantur, diligenter cauebunt, ne destruāt ab omnibus promulgata. Qui enim fieri potest, ut leuis & inconstans ratio opinionem tenacius menti adhærentem extirpet, quam nec grauissimæ quæque mutare possunt? Certe miserū putauerim esse tantopere bona quædā ingenia torqueri in expugnādīs quorūdam monstris. dii boni, quot uidimus grauissimos professores disrumpi clamoribus, ut stolidas opiniones cerebrosis quorūdam capitibus insertas euellerent. in quibus excutiendis plus mille annis doctissimi quique frāguntur. quos profecisse non audio: uerum potius inflammasse seuiantis opinionis fautores ad maiorem pertinaciā. Diruendis talibus opinionibus præsentissimū antidotum fuerit opinionum neglectus. quare tales relinquamus suis opinionibus pius sibi placentes, quā pau suis plumis.

Amplius non sedule agere, etsi omnino utile sit. Nam aduersus sedule agentes, magis renituntur.

Quemadmodum nimis festinans in omnibus nescio quid suspitionis mentibus ingerit: sic qui celare uelit facile quippiam quod etiam plurimum fuerit utile ad ipsum propositum, is tunultuarie agere non de-

IO
Cōsueti in
terrogāda.

II
Non debet
esse preceps
& curiosa in
terrogatio.

bet, neque sedulum illius se conueniet monstrare insectatorem: uerum ut uanum quid parumue utile admodum negligenter interrogabit. nam maxime aduersantur his respondentes, qui diligentia & uelut magno usui accomoda requirunt: quibus obsistunt & instant acriter, quod talibus interrogatis decipi uereantur. quare qui uelit occultare nonnihil necessarium, id ita interrogandum est, ut nihil conferre uideatur. sic enim paulatim, & ut dicitur, pedetentim experietur respondentem, & per lentos gradus deducet ad id quod concludere nititur.

Et ut in similitudine proponere. Nam quod propter aliud aliquid proponitur, & non propter seipsum, utile, ponent magis.

I 2
In parabola
lis interro-
gandum.

In parabola residens interrogatio ad occultationem praesidium affert. Facilius enim concedunt quod proponitur in parabola (quia alterius gratia uidetur efferi, & non propter se) quam quod per se interrogatur. ut qui uelit accipere, continentiam esse uirtutem, is ut sciscitetur congruit, an quemadmodum continentia sit uirtus, sic fortitudo, sic iustitia. id enim quod sic elatum est per collationem aliorum, quam per se positum respondentem citius fatentur. Parabola autem est collatio diuersorum in eo quo adinuicem proportionis similitudinem recipiunt.

Amplius non id proponere quod oportet sumere, sed cui consequens id est ex necessitate. Nam & magis concedunt, eo quod non similiter ex hoc manifestum sit, quod consequenturum est: & sumpto hoc, sumptum est & illud.

I 3
Interroganda
ueniunt
antecedens
tia.

Ad occultationem conducit interrogare propositiones a quibus inferitur quod accipiendum uenit, non autem eas quibus opus est ad syllogismum propositi: quod facilius conueniant antecedentibus propositionibus, quas necessario sequuntur illae quibus contingit concludere propositum: eo quod minus sint manifestae ad inferendum rem probandam, quia remotiores habentur, quam aliae necessariae, quae inferuntur ab his, propositi conclusivae. istis tamen antecedentibus habitis nihil minus contingit concludi propositum propter consequi legem, quam consequentibus. quod posito antecedente ponitur consequens, quod quidem est propositi manifeste probatiuum. quemadmodum ex praeteritis conijcimus rem factam, quae negatur: sic ex antecedentibus consequens necessarium.

Et id ultimo interrogare, quod maxime uult sumere. nam maxime prima renunt: eo quod plurimi interrogantium prima dicunt, circa quae uel maxime studet. Ad quosdam autem

prima quæ utilia sunt, proponere. nam proterui maxime prima admittūt, nisi omnino manifestū sit quod secururū est: in fine autē proteruiūt. similiter autē & quicūq; arbitrātur acuti esse in respōdendo. ponētes enim plurima, in fine recantant, tanquam nihil acciderit ex ijs quæ posita sunt. ponunt autem prompte confidentes habitui, & arbitrantes nihil se esse passuros.

Occultatiuum est etiam non interrogare quod summe necessariū est ad contextum syllogismi primo subfello, neq; assumere. nam quæ primo interrogantur, uidentur totū rei pondus possidere, & maxime necessaria ad artificium & opus. quoniam tenuit consuetudo apud q̄ plurimos disceptatores, ut proponerentur ea, in quibus omnis uis putaretur collocari, & quæ robustiora ad cōgressum dicerētur. proinde talibus primo interrogatis paratioribus sunt repugnare respōdētes: q̄ intelligant id à pleriq; obseruari, ut ualidiora & magis necessaria in ipso præludio interrogationū rogēt. Nos itaq; quasi nouum militem nō leuis armaturæ efformantes nouis honestabimus præceptis, ne prorsus circa aliorum uestigia insistamus. Verum haud silētio obuolādum erit, q̄ non omnibus hic occultandi modus accommodatur & interrogādi. Non desunt enim respondentium pleriq;, qui primis facile blandiantur interrogatis, nisi ualde manifestum sit conclusionē illis cōnecti: q̄ nō current (adeo enim morosi sunt) quæcūq; primo obijciuntur. At isti quādo ad rem deuentum est, cætera omnia contemnuunt, proteruiunt, tergiuersantur, mille distinctionum membris rem simplicissimā dilaniant. proinde talibus cōueniens fuerit, quod necessariū est & utile ad conclusionē probādā, in principio proponere: q̄ paulo humaniores sint, quādo non uehementius efferbuerint, & rationi magis obsequentes. Huic modo nō multum diuersum accingere decet his qui acuti & ingenij uiuacitate pollere uideri percipiūt, & admodum in respondendo sagaces. Nam tales, q̄ acrimonia & iudicio mentis ceteros (ut uolunt) uincant, dedignātur primis quæstis instare: quod nihil reformidēt pati repugnantiae & cantus palinodiæ, etiā quibusuis admissis. In fine uero rixantur, nugantur, permutant propositiones concessas in alias, ex quibus illatum non sequi iudicant, uel dictionem inuertunt aliquā, fingendo significationes, æquiocationes, & cætera huiusmodi. Proinde partes interrogantis erunt primæ, agnoscere respondentē: an stultus, qui decipi possit: an iracundus, qui concitetur: an ambitiosus, qui in-

14
Non est in
p̄cipio in-
terrogādū,
quod maxi-
me necessa-
rium est.

fletur: an peruicax, qui proteruit: an uerecundus. quoniam occultadi diuersa erit ratio in talibus, ut satis notum est. Nam qui ante exitum disceptationis omnibus repugnant altercantes, talibus opportunū fuerit in principio necessaria interrogare, quibus admissis primo impetu deturbantur, & factum & insolentiam demittere plus æquo luxuriantem coguntur: alijs uero non.

Amplius prolōgare & interponere quæ nihil sunt vsui ad orationem. quemadmodum pseudographia vtentes. nam cū sint plura, immanifestū in quo falsum sit. quare & occultant quādoq; interrogantes, in absconso proponentes ea quæ per se proposita, nō ponerentur. ad occultationem igitur, dictis est vtendum.

IS
Producēda
sunt interro
gationes, &
multis con
miscēda.

Quum omne multiplex quādam cōfusionem pariat, ad occultationē necessariarū propositionum ualebit prolongatio & interpositio multiplex interrogationū nullam utilitatem habentiū ad rem monstrandam, neq; acceptionē necessariarū. quemadmodum faciunt, qui falsē describunt in geometria. ij enim multas soliti sunt ducere lineunculas parū uel nihil conferētes ad descriptionē propositā: quibus obtenebrant uerū lumen, & demū pertrahūt latenter homines ad falsum. Ignotius enim est & immanifestius falsum in pluribus collocatū, multis immersū, nec non in abscondito positū: quod & oculi mentis caligant & aures onerantur tanta interrogationum prodigalitate. quare ob confusionem illam contingit sæpe respōdentes dare, quæ per se & sola non confiterentur. His igitur quindecim modis quiuis instructus occultadi seu disponendi ad occultationem propositiones interrogatas, non mediocriter fulcietur ad differendum in respondentes, siue faciles, siue difficiles, siue doctos, siue rudes: qui tali methode possit accipere propositiones necessarias ad thema euertēdum, & uerū monstrandum. Nō enim parum refert hoc uel illo modo quippiam collocare inuentum, & interrogare, ut à respondēte uerum extorqueatur: qui non nisi inuitus ipsum fateatur. His itaq; modis à respondēte uerum tentabit eripere interrogans. quod si nullo modo horum possit, dimittendus est, ut nolens uerum dicere.

Ad ornatū uero, inductione & diuisione eorum quæ affinia sunt. Inductio igitur quale quid est, manifestū. diuidere autē huiusmodi, ut scientiā scientia esse meliorē: aut eo q̄ exactior est, aut q̄ meliorū. & q̄ scientiarū alia quā

dem sunt contēplatiuæ, aliæ autē actiuæ, aliæ porro effectiuæ. nam vnūquodq; taliū coornat quidem orationē, at non necessariū est, vt dicatur ad conclusionem.

Postq̄ diximus de dispositione & ordine in inductionibus, & in occultatione obseruando, series est, ut de alijs duabus disputandi formis; quæ necessariæ non dicuntur, dicamus. Priorem partem sibi uendicauit ea, quæ ad magnitudinem orationis struitur. nam quod Aristoteles prædixerat, dum enumerarentur illa quatuor membra nō necessariarum interrogationū, ἢ ἅς ὄγχορ τῆς λόγῃς, nunc dicit, ἅς ὑόσμοι, quod ad pompan & fastum nō inepte interpretari crediderimus. Ad quam partem obeundam feliciter duo inseruiēt, inductio, & diuisio cognatorum. nam his differētes admodum perpetuam & magnificam procurāt disputationē. Inductione enim effectū orationem quantūvis prolixam sine necessitate, per enumerationem singularium sub uniuersali: quam diximus in primo esse à singularibus ad uniuersale accessionē, & ex secundo Priorum Analytic. esse orationem, qua per tertiuū primum medio inesse ostēditur. Diuisio in super ad disceptationis amplitudinem & ornatum cōducit. nam diuisionū multitudine oratio ipsa ad idem profusior emittitur, & ditissime locupletatur. ut qui uolet probare quòd quædam sciētia est altera sciētia melior, abunde splendide & magnifice utetur diuisionum cōgerie. Nam dicit, scientiarū quædā exactiores, quædam minus exactæ: in super quædam meliorū, quædam deteriorum: demum aliæ contēplatiuæ, aliæ actiuæ, aliæ effectiuæ sunt: ex quibus omnibus propositum mōstratur. Faceſſat hinc Laurētius Vallensis, qui nullum discrimē inter actiuum & cōtemplatiuum uult. nam Aristotelem hac erroris macula notat, quòd dijs cōtemplationem tribuerit, & nō actionem: quasi, inquit, contēplari non sit agere, & contēplatio actio. ignarus idem esse cōtemplari, quod cōsiderare & inquirere: quod in homines cadit, nō in deum. id fecit, ut studijs suis cōtemplationis compararet authoritatem. ita, dum homines dijs similes efficere uult, deos fecit similes hominibus. hæc ille. Verum nō sunt necessariæ tot diuisionum formæ. nam una sufficiebat ad rem mōstrandam, neq; plus habēt uirium illæ omnes, q̄ una. quare ad ostētationem ingenij magis & fastum, q̄ ad fidem rei produciuntur. Facilis est igitur ad amplitudinem disceptationis decursus, cuius tātum duas species cōstituit Aristoteles. illuc tamen conferri uidentur, quas de amplitudine tradit species Quintilianus libro octauo, & quas Aristoteles in tertio rhetorices præscribit, & rhetores passim. ad quos, si plura quæras,

Ad ornatū
oratiōis in
ductione &
diuisione os
pus est.

erit eundum. Ex dictis nemo est qui nō perniciosissimum possit errorem deprehendere in vulgato hoc uolumine, quo legitur: Ad ornatum uero inductione & cōclusionē eorū, quæ affinia sunt: quum habeat Aristoteles, ἄς ἡ νόσμος ἐπαγωγῆς καὶ δ' ἀερίσει τῆς συγγραφῆς, id est, ad ornatum autem inductione & diuisione cognatorum utendum.

Ad diluciditatem autē exempla & similitudines afferendum. Exempla autem accōmodata, & ex quibus sciimus, qualia Homerus, non qualia Chærilus. sic enim clarius erit quod proponitur.

Ad diluciditatem exempla & parabole iuuant.

Postremum ordinem tenuit inter non necessarias orationes, quæ ad infundendum rebus obscuris lumē delegatur diluciditatis orationis, quæ exemplis, & parabolis continetur. Differens nempe orationem reddet propositam exemplis clariorem, & parabolis decetibus: qualia fuisse Homeri exempla cōstat, & similitudines. talibus enim & similibus interrogans propositum lucidius restituet. Exploduntur autem Chærilii poeta & gregarij seu frigidi cuiusuis: qui quanto esse obscurior studet, tãto ineptior efficitur. Exemplum autem dicitur, quãdo medio maius extremum inesse ostēditur per aliquid simile tertio & minori extremo. ut hæc ostēditur, contra cōfines pugnare esse malum, per hoc, quod Thebanis inferre bellum fuerit malum, quod est simile huic, & notius tertio, Phocensibus inferre bellum fuit malum. & sic particulare concludit particulare ignotius. Exemplum à parabola differt (quã Cicero collationem uocat) nam illud definit esse, id quod rem autoritate, aut casu alicuius hominis, aut negotij cōfirmat, aut infirmat: Collationē uero, orationem esse quæ rem cum re ex similitudine cōfert. Adiungit & imaginem, orationem demonstratē corporum aut naturarum similitudinem, ipsius esse comparabilis speciem. Si de exemplo & parabola ampliora requiras, discas ex Aristotele secundo rhetori. uarias species, & Quintiliano libro Institutionū quinto: quod nō sit nostri instituti enumerare in singulis quæcunq; dici possunt, interim tamen parabola subijciemus modum, quo oratio dilucidior efficiatur. Nam exempli infinita se produnt exempla, his qui historiarum monumētis nō caruerint. Ut quo pretiosior est res, hoc & diligētius solet asseruari & impedi circūspectius: ita tēporis, quo nihil est pretiosius, summa est habēda ratio: ne quid effluat sine fructu. etenim si curatores dari solent ijs, qui gemmas & aurum temere profundunt: quæ tãdem erit insania tempus pulcherrimum immortalis dei manus, aut otio, aut inhonestis studijs turpiter consumere? Quid enim perdis, cum tempus perdis,

nisi uitam? At uita quid esse potest charius? Et cum una gemmula perijt, iacturam uocas: cum totus perijt dies, hoc est bona uitæ portio, iacturam non uocas? præsertim cum illa perdita aliunde possint recuperari, temporis irreparabilis sit iactura. præterea illa cum tibi perueit, alijs plerumq; lucro sunt: at temporis dispendium in nullius transit, compendium. Nullum est damnum ex quo non aliquis emolumentum aliquod sentiat, præter damnum temporis. Adde his, quòd illarum opum iactura sæpe salutis fuit. nam diuitiæ plerumq; uitiorum materiam ministrant: ita ut præstet temere profudisse, quàm attente adseruasse. Quàto cuiusq; rei usus honestior, tanto turpior profusio: at nihil pulchrius, nihil præclarius, quàm bonas horas bene collocare. Illa ut quàm maxime serues, sæpenumero tamè uel casus eripit, uel homo tollit, ut iactura te calamitosum duntaxat, non etiam turpem reddat: at temporis amissio, quoniã non nisi nostro uitio contingit, non miseros solum, uerum & infames reddit. Pessimum infamiæ genus quoties culpa in nullum conferri potest, præterquàm in eum, qui patitur malum. Illis fundos, aut ædes mercari poteras, bonam mentem non poteras: hoc præter alia animi ornamenta, parare poteras immortalitatem. Nulla est tam breuis uitæ portio, in qua non magnus aliquis ad felicitatem gradus fieri poterat. Postremo de illis male in sumptis patri fortassis rationè redditurus eras: de horis male tractatis, deo. His insuper omnibus si adieceris formicas, apes & cætera animantia bruta, in otio non degere: si plântas statutis tēporibus suos flores, suos fructus proferre: si solis, Lunæ & reliquorum planetarum indefessos seruari motus: his omnibus citra necessitatem, & alijs consimilibus ostenditur hoc idem, Non esse quiescendum uel dormitandum. uana tamè non sunt hæc, sed ad maiorem claritatem rei monstrandæ.

Vt edum autè in disserèdo, syllogismo quidè ad dialecticos magis, quàm ad multitudinè: inductione uero còtrà, ad multitudinè magis. Dictum est autè & de his, & prius.

Quatuor expressimus modos disserèdi nõ necessarios ad rem probandam, & quid obseruandū esset in eisdem: nunc de necessarijs probatrabemus sermonem. Duas autem fecimus disserendi species dialectico necessarias: alteram syllogismum appellauimus, alterà inductionem in primo Topi. quòd dialecticus omnem positionem impugnare paratus sit, seu in eam probabiliter disserere. Verum quoniam positiones interdum à rudibus defenduntur, interdum à doctis: similiter aliquando à difficilibus & morosis, aliquando à mansuetis & urbanis: non omnibus

cōueniet eadem & consimilis differendi ratio. Inductio enim uim non habebit neq; locū, ubi quis cōtumacior fuerit: quod ad eā facilis transmittitur calūnia. Neq; etiā conuenit syllogismus ignaris, qui uniuersalia nō intelligant per quæ cōnectitur syllogismus, sed singularia & sensibilia tantū perspicūt. quapropter ut in omne hominū genus differere ualeat, duplici genere differendi cōmuniatur: altero, ut inductione, in uulgares & plebeos, reliquo autē in sapiētes, ut syllogismo. Omne enim hominum genus in sapiētum & rudium sectam distugimus. Cōuenientissima fuerit inductio ignaris & multitudini, q̄ ea uniuersale & ipsū totū per singularia & partes manifestas ostendatur. Syllogismus uero dialecticus opportunus magis est ad differendum in doctos, qui sit uirilior & in repugnātes acrior, uti dictum est superius. Vnde manifesta est instrumentorū copia ad differendum, quæ conuenit dialectico. nam siue in uulgares uel doctos pugnandum sit, siue probandū sit totum aut pars, habetur instrumentū alteri congruum. syllogismo enim partem per totum monstramus, inductione totum per partes concludimus. For san obijcies nos pugnātia dicere, qui dialectico modo necessariam, modo non, inductionem protulerimus. nā in modis non necessariarū disputationum eā enumerauimus: nūc uero necessariam constituimus, & esse formā differendi alteram. An inductio, quæ primo destinatur ad propositum probandum, necessaria dicatur: quæ uero pro subsidio quodam & supplemento aduocatur ad fidem propositionum necessariarum, nō necessaria appellatur ad propositum concludendū? quod proprio cursu & continuo progressu non demittat in cōclusionem propositum.

Est autem in aliquibus quidem inducenti possibile interrogare uniuersale: in aliquibus uero non facile. eo quod non positum sit similitudinibus nomen omnibus commune. sed quando oportet uniuersale sumere, sic in omnibus talibus dicunt id determinare difficillimum esse: qualia sunt ea quæ proferūtur huiusmodi, & qualia nō. & propter hoc sæpenumero in seinuicem dissident in disputationibus: alij quidem dicētes, similia esse, quæ non sunt similia: alij uero dubitantes quæ sunt similia, nō esse similia. Quare tentandum in omnibus talibus, ipsum nomen effingere. ut neq; respondenti liceat dubitare quod non similiter, quod infertur, dicitur: neq; interrogāti ca-

Iumniari, vt similiter dicto. eo quòd plura corū quæ non similiter dicuntur, similiter videntur dici.

Quum uerum sit inductionem speciē esse differendi alterā, non in-
tēpestiuas existimare oportet institutiones, quibus dialecticus facili du-
ctu instruat ad omne differendi genus per inductionem. Tum demū
his constitutis ad alterius speciei leges obseruandas negotium transfe-
remus. Est enim inductio nobis familiarior adhuc rudibus, quæ prin-
cipiū sit quo uniuersale cōstituitur cognosciturq; nam ex notitia par-
ticularium & sensibilibus, utcumq; ad intelligētiam uniuersalis perue-
nitur. apte itaq; de ipsa inductione nunc agēdum est: quam accepimus
magis conuenire multitudini, q̄ doctis. simul quæ sint eiusdē documē-
ta, audiamus, cōsequens est: ut usum acquiramus. Primum autē nomi-
nibus ipsis similitudinem habētibus & particularibus nomen cōmune
imponēdum est ad faciliē inductionis productionē. nam inducimus per-
facile ipsum uniuersale & commune, quādo singularibus ipsis & si-
milibus omnibus unū est nomen impositum. ex talibus enim detrudī-
tur in cōclusionem uniuersale. at si nomē commune nō fuerit statutū
similibus & particularibus, ualde laboriosum fuerit uniuersale acci-
pere & interrogare per talia. nam si quis ex talibus efflagitet uniuersale
dari propositionē (quòd oporteat ex singularibus & conueniē-
tibus inferre uniuersalem propositionem, & uniuersale omnibus his
cōmune accōmodari) respōdēt interrogati difficillimū esse determina-
re, quæ sint eorum quæ proferuntur particularium talia, quæ conti-
neantur nomine cōmuni statuendo, & quæ nō contineātur. quapro-
pter dissident plerunq; arguētēs & respondentes inter disputādum.
Alij quidem protestātur similia & particularia esse, quæ nō sunt si-
milia & sub eodem nomine cōtenta, ut interrogātes. Alij uero, ut re-
spondentes, dubitant & negant, quæ sunt similia, & conuenientia in
eodem communi nomine, esse similia: & quasi deierant, quæ similia
sunt, nō esse similia, & conuenire in cōmunionē nominis uniuersalis.
Proinde ut caput totius cōtrouersię amputetur, in omnibus particu-
laribus, quæ nomine communi priuātur, instituere & fingere nomen
oportet ipsis similibus & particularibus: ne liceat respondentī dubi-
tare non similiter dici, quod infertur: neq; nomen esse commune, quo
particularia contineātur, id quod inductione infertur. Insuper, ut in-
terroganti nullus calumniādi locus relinquatur: qui quod dissimile est
& quo nō continētur particularia omnia, tāquam contenta similiter
interrogat, & monstrare conatur. Pleraq; profecto consistunt quæ si-

Primum in-
ducendi do-
gma uult no-
mē imponi
uniuersale
particulari-
bus.

militar uidetur, & contineri eodem communi nomine, quæ non similiter dicuntur, nec eodem nomine communi consentiunt. In talibus itaq; summum remedium fuerit, uel nomē afferre commune, uel in locum illius descriptionem quādam. Ut si cum Boetio dixeris esse inductionē hęc orationem, Qui scit canere, cantor est: & qui luctari, luctator est: quiq; ædificare, ædificator est: quibus multis simili ratione collectis inferri uidetur, qui scit igitur malum, malus est: quod non procedit. ut tamen dicam quid sentia, non sum eius opinionis, qui arbitrer orationē assumptam esse inductionem, quum particularia illa non sub eo, quod monstratur concludi, contineatur. Sunt enim omnia æqua quæ assumuntur cum eo quod colligitur. nam scire malum, & scire ædificare non continent se inuicem, neq; unū alterum continet: quod si conclusio non amplexetur assumptas omnes illas partes, neq; inductionis promerebitur nomen. Tales enim argumentationes, in quibus disceptatur à multis similibus ad unū simile particulare, appello similitudines: quas ad exemplum reuocare non absurdum fuerit.

Quando autem inducenti in pluribus, non dederit uniuersale: tunc iustum est efflagitare instantiam. non dicente autem ipso in aliquibus sic, non iustum est efflagitare, in aliquibus nō sic. Oportet enim inducentē prius sic instantiam efflagitare.

2
 Efflagitanda esse instantiam si ex multis uniuersalibus non excludatur, & non aliis.

Observabit interrogās studiose, qui inductione congressum inire nō recusat, ne prius instantiam à respondēte, q̄ inductionem absoluerit, requirat, si in uniuersale concludendū quippiā obijci possit. Porro oportune admodum sciscitatur instantiam, quādo pluribus particularibus siue speciebus siue partibus enumeratis non permittit uniuersale & totum colligi respondens. Nullum enim superesse uidetur aliud reuincendi respondentem genus, quā instantiæ postulatio, in hoc inducendi modulo: qua si caruerit respondens, qui tam acerbe ex multis particularibus uniuersalis compositionē prohibet, uilitigatoris nomine infamis à disputantium theatro explodetur: q̄ nulla contradicendi ratione suffultus disceptationem eludat. Incongrue uero & intempestiue interrogans requiret instantiam à respondēte, & in aliquibus non sic: qui nondum dixit, neq; inductione monstrauit uniuersale per aliqua similia & particularia. ut is qui constitueret per se & seorsim uniuersale per singularia, in quibus perspexit instantiam esse, & nō omnia consentire uniuersali similiter: statimq; dum in certamen descēdit nul-

lo alio disceptationis præludio à respondente ex abrupto deposcit in uniuersale instātiā, neq; acceptis quibusdam particularibus ad uniuersale conferētibus. Temeraria profecto tam improuisa sciscitatio instantiæ est: quæ prius efflagitet repugnātiā, q̄ probatio rei constituēdæ sit admota. Nunq̄ enim efflagitare instantiā congruit in uniuersale per inductionē concludendum, nisi prius facta inductione, & multis particularibus ad uniuersale confirmandum aduocatis: quia oportet semper eū qui inducit, in aliquibus inducere, priusquā quærat instātiā, quam Aristoteles propositionem propositioni uocat contrariam, secundo Priorum analyticorum.

Efflagitandum autem instantias non in eo quod proponitur ferre, nisi vnum tantum sit huiusmodi. vt binarius parium numerorum solus primus. Nam oportet & eum qui instat in altero instātiā ferre, aut dicere quòd hoc solum tale est.

Interrogans ferre non debet instantiā à respondente in proposito detortam: quòd oporteat respondētē, qui apposite institerit & uniuersalis conclusioni occurrerit ex multis particularibus mōstratæ, non per propositum, sed per aliud resistere. sic enim liceret in omnibus quippiam obijci pro respondētis sentētia, qui semper afferre possit pro instātia ipsum propositum, & diceret esse instātiā in proposito. Verum quis non ridebit in singulis, dum quippiam monstratur, respon- sionem eam quæ instātiā dicit esse in illo: proinde ut quispiam instare probe dicatur, non suffecerit dixisse, q̄ est instātia in proposito, uel afferre id ipsum pro opposito, quod mōstratum iri uult interrogans: sed per aliud occurrēdum est, quo docere debet respondēs, non ualere talē differēdi modum. Vel si per idem sit resistēdum, dicere oportet & annotare, q̄ in proposito hoc differēdi modo fallitur tantum. ut ei qui curabit comprobare omnem dualitatem esse compositum numerum, & non primum: q̄ & quaternarius, & senarius, & octonarius, & omnes alij pares sunt compositi: occurret respondēs nō per aliud à proposito, & alios numeros pares, quoniā omnes compositi sunt, sed per ipsummet propositum: qui dicat instātiā esse in dualitate tantum, cui soli inter pares numeros cōuenit, ut numerus primus dicatur. Est enim binarius solus numerorum parium primus utrobique: quemadmodū ternarius numerorum imparium primus utroque modo. Appellatur autē numerus primus dupliciter, & quem solum unitas metitur: & is in-

3
Non ferens
da instātia
in propo-
sitū, nisi cum
adnotatiōe

compositus peculiari nomine proprius dicitur: cui opponitur composi-
 situs, qui dicitur non tantum unitate, sed numero mensurabilis. ita ut
 diuidatur numerus omnis in primum, id est incompositum, & composi-
 tum. Nuncupatur in super numerus aliquis primus, qui in numeros al-
 ios resolui non potest: ut binarius in duas unitates resoluitur tantum,
 quarum neutra est numerus: quonia numerus est unitatum multitudo.
 hinc aperte dinoscitur tantum id binario competere inter numeros pa-
 res, ut dicatur numerus primus dupliciter. Non uelim augureris dua-
 litatem hic dici numerum parem solum primū, ut primū ordinem si-
 gnificet: nā impar numerus primus dicitur aliquis: ut ternarius, quod
 Aristoteles aperte insinuat: cum dicit, parium numerorum binariū esse
 solum primū, nisi enim impar aliquis haberetur primus, non esset opus
 determinatione & differentia. Verum ternarius non dicitur primus
 accepto nomine primi pro ordine. Quod etiam ternarius dicatur nu-
 merus impar primus dupliciter, ex secundo posteriorum analy. discet.

Ad eos autē qui instant uniuersali, non in eodem au-
 tem instantiam ferunt, sed in æquiuoco (vt quod habeat
 aliquis nō suum colorem, vel pedem, vel manum. habe-
 bit enim pictor non suum colorem, & cocus pedem non
 suum) diuidendo reuera in talibus interrogandum est.
 Nam latente æquiuocatione: bene uiderētur instare pro-
 positioni.

Cum omne uniuersale, quod inductione colligi rogatur, sit uel æqui-
 uocum uel non æquiuocū, utriusq; naturæ uniuersali imponenda sunt
 documēta: quæ obseruata plurimū inueniunt, & quid sequendum sit, an-
 nūtiēt. In primis itaq; utendum fuerit diuisione & determinatione
 significatus eius nominis, si multiplex uniuersale tētemus colligere ex
 multis particularibus: ut os occludamus respōdētī, qui instādo in alio ā
 proposito, ut in alio significato ipsius uniuersalis æquiuoci, uideretur
 apparenti & firma obiectione uniuersalis conclusionē, non dicam tan-
 tum præpedire, sed expugnare: dum latet ipsa æquiuocatio, uel nō de-
 terminatur æquiuoci significatus. ut qui uelit accipere unūquodq; ha-
 bere suū colōrē, & homines, & equi, & canes, & cætera huiusmo-
 di, habeant proprios colores, quibus denominentur: opus fuerit distin-
 ctione huius multiplicis uniuersalis. habere enim multiplex est, nūc ha-
 bitum & dispositionem indicans & qualitātē aliquam: ut dicimur ha-
 bere disciplinam atq; uirtutem, quod talis qualitas nobis in sit denomi-

4
 Aequiuocū
 uniuersale
 diuidendū.

nans: nunc uero quãtitatem, nũc ea quæ circa corpus sunt, nunc partem, nũc uas, nunc possessionem, nũc cohabitationem representans. de quibus Arist. in fine prædicamentorũ, & in quinto metaphysices commemorat. Nam si nõ distinxerit huius uerbi habere plures modos, neq; quo utatur præmonuerit interrogans, ualide diiudicabitur aduersari uniuersali huic proposito respõdens, cum monstret pictorẽ aliquem, ut Apellem uel Zeusin, proprios nõ habere colores, neq; suos: si forsan ab alijs mutuẽtur colores uel accipiant, quibus depingunt, neq; eos possideãt. similiter ei qui conatur concludere omnem hominẽ habere duos pedes, uel suos, per singularia ipsa citra distinctionẽ significationis ipsius propositi multiplicis, refragari uidetur respondens: qui dicit cocũ aliquem, ut Apitium, uel eũ qui apud Ambianẽses plurimu insignis circumfertur, non habere pedes suos: quia pedes illi quos coquit, nõ sunt partes sui corporis, neq; sic habere dicitur pedes illos. proinde qui nõ usus fuerit diuisione nominis multiplicis, non facile uniuersale colligere ipsum poterit: quòd respõdens afferat instantiam & oppositum in aliquo huius multiplicis, licet non in eo sensu quo uniuersale accipitur: ratione cuius uidetur profligare uniuersalis constructionem.

Si autem non in æquiuoco, sed in eodem instans præpediat interrogationem, oportet auferentẽ id in quo instantia est, proponere reliquum, uniuersale faciendo: donec sumat quod utile est. Ut in obliuione & in oblitum esse. non enim concedunt eum qui amisit disciplinã, oblitum esse: eo quòd transeunte re amisit quidem disciplinã, oblitus autem non est. Dicendum autem auferenti id in quo instantia est, reliquum. ut si permanente re amisit disciplinam, idcirco oblitum esse. Similiter autem & contra instantes, quoniã maiori bono maius opponitur malum. proferũt enim quoniam sanitati minori bono quã bona habitudo, maius malum opponitur. nam ægritudinẽ maius esse malum mala habitudine. auferẽdum igitur & in hoc id in quo instantia est. nam ablato, magis ponet. ut quoniã maiori bono maius malũ opponitur: nisi conferat alterũ. quẽadmodum bona habitudo sanitatem.

Quid obseruãdum uideretur ad cõclusionem uniuersalis æquiuoci, quoniã diuidendum erat, præmonuimus. nunc ferme eodem initio ac-

^S
In uniuoco
instantia auferẽdauent

cepto dicendum est de uniuersalis simplicis & nō æquiuoci inductione. Nam solum id auferendū uenit ab ipso uniuersali, in quo datur instantia: tum demū ipsum uniuersale inferendum, cuius nulla supererit instantia, quæ impedire possit uniuersalis conclusionem: cuius gratia interrogatio sit omnis. ut ei qui mōstrat, quoniā Coruinus Messala, qui amisit disciplinam, oblitus est: similiter Georgius Trapezūtius uir in omnibus summus ad senectutem extremam perductus, tum græcas, tū latinas, quarum est oblitus, literas perdidit, omnem qui amisit disciplinam, esse oblitum: resistūt quidam asserētes instantiā in illo eodem & simplici: quoniā contingit amittere scientiam & cognitionem, & non obliuisci, quando res ipsa corrumpitur & transmutatur cuius dicebatur esse obliuio. quare his & talibus conuenit proponere ipsum uniuersale auferēdo illud in quo assignatur instātia: ut dicatur omnis esse oblitus, qui re manēte amisit cognitionē. nam postq̄ instantia impediēbat uniuersale concludi, ob id quod non manet res, licet illius rei perdidit cognitionem: si igitur res ipsa maneat, & eiusdem amisit disciplinā, non amplius nocere poterit instātia, quæ lata fuit. quare uniuersale ipsum impune inferre licebit, dum sic auferitur instātia, & id quod prohibere dicitur uniuersale. Eodem modo qui corroboret omni bono maiori maius malū opponi: quoniā iustitiæ maiori bono q̄ sit liberalitas, iniustitia est opposita maius uitium q̄ illiberalitas: similiter scientiæ maiori bono q̄ sit pulchritudo, ignorantia est opposita maius malum q̄ deformitas: & ita ex multis particularibus, id inducit. Huic si occurrant, quod sanitati minori bono maius malū sit oppositū, morbus (est enim sanitas minus bonū, q̄ bona habitudo seu εὐεξία: & maius malum morbus, q̄ καχεξία siue mala habitudo: sanitati tamen minori bono contrariatur morbus magis malum: maiori autem ut bonæ habitudini, minus malum cōtrariatur ipsa mala habitudo) opportunū fuerit seposita instātia uniuersale in reliquis concludere, in quibus non offenditur instantia. nā ablato eo ratione cuius instantia communiēbatur, ponere habebit & concludere uniuersale inrespondens. quare sic dicetur & inferetur ex illis multis particularibus, Omni maiori bono maius malum est oppositum, nisi unum alterum coinferat. qua determinatione posita, tollitur instantia quæ instruebatur de sanitate & morbo, & mala habitudine & bona: quoniam bona habitudo sanitate coinfert. nam omnis bene dispositus, sanus est: & morbus infert malam dispositionem. qui igitur addit, omni maiori bono, quod alterū non coinfert, maius malum esse oppositū, quod alterū non coinfert, effugit

instantiæ conatū, & uniuersale colligere potest ex particularibus illis.

Non solum autem eo instante hoc faciendum: sed & si sine instantia negat, eo quòd præuideat aliquid talium. Nam ablato eo, in quo instantia est, compelletur ponere. eo quòd non præuideat in reliquo, in aliquo non sic esse. Si autē non ponat, efflagitatus instantiam, non habebit assignare. Sunt autē huiusmodi propositionū quæ in aliquo falsæ sunt, in aliquo autē veræ. in his enim par est auferre: reliquum autem verum relinquere.

Quoniam cōtingit respondentes reluctari uniuersalis conclusioni ex multis particularibus, nonnunquā instātia ad prohibitionem accersita, nonnunquā uero citra omnem instātiam: qui tamen præuideāt aliquam instātiam, quæ à respondēte obijcitur, ut uniuersale colligatur, nō solū auferre conuenit: sed & si nulla instantia producta, quam conspicit, negauerit respondens uniuersale, necessarium fuerit auferre instantiā, ob quam uidebitur respondēs reclamare uniuersalis structuræ. nā ea seposita cogetur admittere uniuersalis compositionem, quum in nullo amplius instantiam agnoscat: qua non sic esse, ut probatur, diffiteatur. Si uero non ponat respondens instantiā, interrogatus asserere instantiā, nō habebit amplius assignare aliquā, neque poterit. Sūt autē propositiones aliquæ, quæ uniuersalis nominis determinatione indigēt, quæ in aliquo sint ueræ, in aliquo falsæ, ratione uniuersalis. de quibus abunde in uestibulo secundi Priorū analyticorum differit Arist. ubi ex falsis uerū colligi demonstrat. quare in talibus iustum fuerit tollere instantias, & ea quæ ueritatē oppugnāt: ut solum relinquatur id quod uerū est. ut qui diceret, omne animal esse album, manifestum est id in multis esse falsum. quare omnia illa quæ obtenebrant ueritatē, sunt extirpanda. quod fiet, si trāfferatur in hanc, omne animal disgregans uisum, est album. idem in cæteris iudicium relinquatur habendum.

Si autem in multis proponenti non ferat instantiam, postulandū est ponere. Nam dialectica est propositio, ad quam sic in pluribus se habentem non est instantia.

Diximus de catholicis quibusdam præceptis, quibus præparatur ad inductionem consequendam, in qua habetur instantia, interrogans. Postremum uero cōstituetur hoc omnium supremū, quod semper inductione concludi postulare oportet uniuersale, quando in multis, & ex multis ueris ostēdi potest, neque instātia aliqua comminiscitur. ut hęc uniuers-

6

Non instā-
re aliquo au-
ferenda est
etiam instā-
tia intellecta

7

Postulatur
cōcedi uniu-
ersale cuius
nulla uera
non habens
instātiam.

salē cōcludemus, ex contrarijs omnia cōtraria fieri.nā & quod maius efficitur, ex eo quod minus ante fuerat, euadit : & quod minus fit, ex eo quod ante maius erat, postea fit minus : & ex tardiore, uelocius : & robustiore, debilius fit : & quod ex meliore, deterius : & ex iustiori, iustius. Neq; sum tā fastidiētis stomachi, qui requirere in omni inductionis genere uelim uerba illa, quæ à quibusdā studiosē apponi præcipiuntur, hæc, & sic de singulis, aut alia fortasse eiusdem affinitatis : quod uideā summos authores nunquā id præcepisse, neque ufos fuisse . quod, nisi prolixiori progymnasmate q̄ hæc institutio ferat, id diceretur , facile uarijs authorum exemplis confirmarē . Satis itaq; fuerit enumerasse quædam ad conclusionem uniuersalis, in quo nulla habetur instantia. nam concedere debet respondēs & ponere, qui non afferat instantiā, uniuersalem propositionē in multis particularibus corroboratā : quod dialectica & probabilis propositio ea sit, ad quā non affertur instātia, quæ in multis uidetur esse uera. His itaq; septem documētis differens ad inductionem adiuuari poterit.

Quādo autē contingit idem & sine impossibili & per impossibile syllogizare, demonstranti quidem & nō differenti, nihil refert vel sic vel illo modo syllogismo colligere. differenti autē non est utendum per impossibile syllogismo. nam si sine impossibili quidem syllogismo colligat, minime fiet ut dubitent. at quando per impossibile syllogizāt (nisi valde manifestū sit falsum esse) nō impossibile dicunt esse. quare nō fit interrogātibus quod volūt.

Quod si dialectici instrumentum non minus sit syllogismus q̄ inductio, cum utrunq; sit differēdi species, post præcepta inductioni accommodata & ab inducēte mordicus tenenda, proximum fuerit ut ad syllogismos non parum utiles ferantur quædam leges, quibus insigniti interrogātes minus aberrare poterunt. Prima quidem, Conueniētius interroganti est uti syllogismo ostēsiuo q̄ ad impossibile ducēte, quando utroq; modo idem probari cōtingit. Duplex enim est rei probandæ modus syllogisticus, siue demonstratiuus, siue dialecticus is fuerit: unus quidē ostēsiuus, qui uelut uia recta propositū, quod probare uolumus, colligit. ut qui ratiocinatur hoc modo, Omne animal est substantia, homo est animal, igitur substantia: dicitur ostēsiue probare. Alter uero est ducens ad incommodū & impossibile: qui obliquus dici modus potest, q̄ in eo accipiatur cōtradices eius quod probare uolumus, & colligimus ex

Primū institutū, Cōueniētius dialectico ratiocinari ostēsiue q̄ alter

eo aliquid quod falsum sit: unde regressi docemus falsum id esse, ex quo collectum est. Verū quia id ipsum falsum est contradicēs eius quod intēdimus probare, consequēs est propositū esse uerū. ut monstramus omnē hominē esse substātiā, ad impossibile uocato syllogismo: quoniā si nullus homo esset substātia, & omnis homo est animal, sequeretur non omne animal esse substātiā, in tertiā figuræ secūdo modo. Verū quia consequens manifeste falsum est, necesse fuerit aliquam præmissarum esse falsam. at cum hæc sit perspicuæ ueritatis, omnis homo est animal, reliquam hæc oportebit mendacem esse, nullus homo est substātia: quare illi oppositam esse ueram, quæ est in principio probanda, omnis homo est substātia. Demonstrator quidem utroq; demonstrādi genere indiscriminatim uti potest, licet potior dicatur in primo Poste. analy. demonstratio quæ assertoria est, q̄ ea quæ ducens ad impossibile uocatur. Assertoria est, quæ id quod initio proponitur, per prima & uera resecta deductione monstrat. Reliqua uero, quæ contrariū eius quod necessarium tuetur, intēdit: quo statim reprehēso & infirmato, tum demum ad institutum remeat. Demonstrator enim clarissima sumit utroq; modo siue in ueritate siue in falsitate, quibus docet & ex quibus ueri relucet natura. Differēs uero & interrogans nō utetur syllogismo ad incommodum ducente, sed ostensiuo: q̄ respondentes minus diffiteri possunt disceptationē quæ recto quasi itinere decurrit. talis est ea quæ ad impossibile non ducit. quare consequuntur apertius uinacii; q; quod cōfirmare moluntur. at quādo syllogismo ad impossibile ducente utitur differens, nisi per manifestū sit quod colligitur in falsitate, nō esse impossibile sustinent. quare non facile tali genere syllogismi cogentur respondentes ad id quod in principio sumitur, probandū: quod obscurius sit. scimus Agricola (ut agnoscamus eos à quibus profecimus) non uelle appellare duos hos differendi modos argumētationis nomine, cum dicat libro secundo: Non sunt autem hæc argumentandi formæ: per omnes enim formas, quas exposuimus, duci possunt: sed uia quædam colligendæ intentionis. quapropter ductus eos uocauimus. Et paulo inferius hos nō differre ad argumentandi euentum indicat: cum inquit, Nihil differunt autem hi ductus ad argumentandi euentum: quilibet enim argumētationem paratum est utrouis horum ductuum explicari. sed aduersarius fortē discrimen aliquod in his faciet. In altercationibus præsertim confidens, & qui se decipi parum timeat, facilius directo capietur ductu: si per multas probationes ducēda sit cōfirmatio eius, quod intēdimus. Ea enim quæ longius distant, & nihil cū

Demonstrator utroque genere docet.

re negotij habere uidebuntur, facile dabit securus & firmus (ut sibi per suadet) aduersus insidias. Cōtra qui metuet fraudes, illi quæ uelut tutissima proponuntur, erunt maxime suspecta: putabitque periculossissime credi eis, in quibus minime se prodant pericula. hic ergo proximis & sensim à proposito deflectentibus facilius accedat. Acrius & instantius uidetur urgere obliquus ductus, cum per eum falsa intēntes aduersario, & neganda, grauius premere uideamur, quam si directo ductu colligētes uera ueris, uelut ducere ipsum docerēq; credamur. Directus itaq; monēti, obliquus est exprobrāti similior. hæc ille. Quæ tibi spectanda proponimus, q̄ rei præsentī non parū conducant. Ceterum in Partitionibus oratorijs Cicero argumentationes uocat. Est, inquit, explicatio argumenti argumētatio: sed ea conficitur cum sumpseris aut non dubia, aut probabilia: ex quibus id efficias quod aut dubiū, aut minus probabile per se uidetur. Argumētadi autē duo sunt genera, quorum alterū ad fidem directō spectat, alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, cū proposuit aliquid quod probaret: sumpsitq; ea, quibus uteretur, atq; his confirmatis ad propositum sese retulit, atq; conclusit. Illa autem altera argumētatio, quasi retro & cōtra prius sumit quæ uult, eaq; confirmat: deinde id quod proponendum fuit, per motis animis, iacit ad extremum.

Oportet autem proponere quæcunq; in pluribus quidem sic se habēt: instantia autē aut omnino nō est, aut nō in superficie est conspiciere. nam qui non possunt conspiciere in quibus non sic, tanq̄ uerum quidem sit, ponunt.

2.
Interroganda ut plurimum uerq; propositiones ad syllogismū.

Habemus quo syllogismi genere oporteat dialecticum uti, quoniam ostensiuo, cuius meminit Aristoteles in libris Priorū analytic. At syllogismus propositionibus assurgit: quare & quas interrogare conueniat, tradendum est. Non enim omnes ex æquo probabiles, neq; accomodandæ dialectico. Verum interrogabit & proponet propositiones, quæ in multis sunt manifestæ & confessæ. in talibus nempe uel nulla est prorsus instantia, uel non facilis deprehenditur, neq; sub oculos uenit respondentis. quare tales promptiore animo concedet, & minus obstabit illis. Nam qui non possunt agnoscere instantiam, & in quibus nō sic, uel quod in plerisq; uerū uidetur: id tanq̄ uerū sit, quod interrogatur, tenētur concedere & ponere, si pertinacis inuidiā reformidēt.

Non oportet autem conclusionem, interrogationem facere. Alioquin autē, eo renuente non uidetur fieri syl-

logismus. nam & sæpe cum non interrogat, sed vt sequēs infert, negant. & hoc facientes non videntur redargui ijs qui non conspiciunt quòd accidit ex ijs quæ posita sunt. quando igitur non dicens quidem accidere, interrogabit, ille autē negabit, omnino non videtur fieri syllogismus.

Transcundum est tandem ad ipsam conclusionis perceptionē, quæ sit ex interrogatis demissa: ut intelligamus quid obseruandū sit in ea. quod fiet, si exploratum teneamus non esse conclusionem interrogandam: q̄ si interrogetur, eam renuet respondēs. quare nullus uidebitur fieri syllogismus ad illam. Nam sæpe accidit, quando eam non interrogat differēs, sed ex positis & interrogatis tantum colligit, ut eam non admittant, neq; concedant. ueruntamen isti hoc facientes & negantes, ex positis non videntur redargui ijs auditoribus & dialecticis, qui non possunt discernere, neq; intueri conclusionē negatam sequi ex interrogatis: sed tantum male negari intelligunt illi, qui experiuntur maiori eruditione & altiori assumptas propositiones. Multo igitur minus uidebitur fieri syllogismus, si quis non mōstret & dicat accidere conclusionē ex interrogatis: sed eam interroget, quam si negauerit, nullo modo uidebitur fieri syllogismus.

3
Cōclusio nō
venit inter-
roganda.

Non videtur autē omne vniuersale dialectica propositio esse. vt, quid est homo? aut quot modis dicitur bonū? est enim dialectica propositio, ad quam est respondere sic, vel non: ad dictas autē non est. quare non sunt dialecticæ huiusmodi interrogationes: nisi ipse determinans vel diuidens dicat: vt, putāsne bonum sic vel non sic dicitur? nam ad talia facilis responsio, vel affirmādo vel negando. quapropter tentandū sic proponere huiusmodi propositionum. Simul autē & iustum fortasse ab illo interrogare, quot modis dicitur bonū: quando hoc diuidente & proponente, nullo modo concesserit.

Illud insuper desideratur ad ordinē & syllogismum cōtexendum, ut intelligatur, quæ sit interrogatio & propositio dialectica, qua syllogismus consarcitur concessa: quia stolidum esset existimare omnem interrogationē, & omne vniuersale quouis modo interrogatū, esse propositionem dialecticam. Quis enim diceret quæstionem illam, qua definitio quæritur, similiter diuisio alicuius, esse interrogationē dialecticam.

4
Nō oportet
credere om-
nē interro-
gationē esse
dialecticam
propositionē

cam. ut, quid est homo? & quot modis bonum diuidi contingit? quum interrogatio dialectica & propositio sit, ad quã integrum sit respondere affirmatiue uel negatiue, quæ sit cõtradiçtionis inquisitio. Ad eas uero quibus inquirimus quid est, & quotupliciter quippiã diuidatur, non licet respondere, neq; affirmare, neq; negare: quare non erunt dialectici tales interrogationes, sed ipsius philosophi & demonstratoris, ut in primo diximus, & illæ omnes quibus causa inquiritur, ut propter quid interrogatione. Nisi quis transferat modos interrogãdi: ut determinans, seu definiens transmutet modum, quo quærebat quid est homo, in hũc, an homo sit animal gressibile bipes: & diuidēs similiter transferat interrogationem, qua sciscitabatur quotupliciter bonum diceretur, in istam, an bonum aliud sit animæ, uel corporis, uel fortunæ. nã permutatis dictionũ modis, permutantur interrogationes, atq; non dialecticæ fiunt dialecticæ: quod ad tales sic conuersas facilis sit responsio uel affirmatiua, uel negatiua. quare quæstiones de definitione, & diuisione, & alias similes tẽtandum est sic inuertere & proponere modo interrogãdi dialectico. simul profecto iustũ est sic trãsserre interrogatiõnẽ de definitione & diuisione, quãdo facta interrogatiõne per quid est, uel quot modis dicitur, respondes definitioni positæ & diuisioni nõ credit. nam tunc diuisio bona uel definitio posita argumẽtis monstratur.

Quisquis autẽ vnã orationẽ multo tẽpore interrogat, male interrogat. Nam si respondeat quidẽ ei interrogato quod interrogatur, manifestũ q̃ multas interrogationes interrogat, aut frequẽter easdem. quare aut nugatur, aut non habet syllogismũ. nã ex paucis omnis syllogismus. si uero non respondeat, patet q̃ nõ increpat, aut discedit.

5
Vitanda est
multiplex
interrogatio

Cum omnis syllogismus duabus tantum propositionibus consuatur, qui vnã orationẽ, id est, syllogismũ per multas interrogationes multo tempore sciscitabitur, male interrogabit & fiet ridiculus. Nam uel interrogatis illis omnibus respõdet, uel non. q̃ si respõdeat interrogatus ad unũquodq; horũ, manifestum est q̃ uane tot interrogationũ formas multiplicat, & quærit: quũ duæ sufficiãt. uel si nõ plures afferat duabus, frequẽter easdẽ repetere illo tẽpore fuerit necesse. quare nugabitur. Est enim nugatio, frequẽs eorũdẽ stulta repetitio. Aut nõ potest illis componere syllogismũ ad rem propositam: qui ex paucioribus sit, & duabus tantũ. At si nõ respondeat, manifestũ est q̃ nõ impugnat positionẽ, uel recedit à positione impugnanda. Vel sic aliter, si non respon-

deat interrogatis respondens, quia debet eum increpare, quòd uerum fateri refugiat: uel ab eo statim discedere tanq̄ indigno, ut cum eo disputetur: & non tãto tempore tot interrogationes proponere & sciscitari. uilipèdetur igitur & damnabitur, ut futilis, sic interrogàs. Neq; putauerim id repugnare ijs quæ dicta sunt de occultatione, in qua multa interrogabantur: quia illic multa interrogata ad syllogismorum uarios modos producebantur, & prosyllogismos: nõ autem ad unã orationem & syllogismum construendum, quemadmodum hic accidit. hæc itaq; sint quinque præcepta ad interrogationem pertinentium syllogismorum constituendorum & ordinem.

Est autem argumētari difficile: & sustinere facile ipsas suppositiones. Sunt autem talia, & quæ natura sunt prima, & quæ postrema. Nam prima quidem termino egēt. postrema uero per multa terminatur uolenti continuū fumere à primis, aut sophisticæ uidentur argumentationes. impossibile enim demonstrare quippiam est eum qui non incipit à proprijs principijs, & connectit usque ad ultima. diffinire autē nihili ducunt respondentes: neq; si interrogans diffinierit, aduertunt. atqui non factò manifesto quidnam est quod propositum est, non facile est argumentari. maxime autem quod tale est, circa principia accidit. nam alia quidē per hæc monstratur, ipsa uero non contingit per alia: sed necesse est diffinitione talium, unumquodq; cognoscere.

Quàm adamussim quadratum fuerit Aristotelis ingeniū, intelligit non homo dicam, sed asinus quiuis: uel hoc ipso quòd in omni scriptorum genere, uel maxime in ista dialecticorū methodo nihil neglectum reliquit, quod ad dialectici cōmendationē muneris attineret. Iam enim absoluit (ut cætera non enumerē) quæ ad interrogationē saturat differentis animū refertissime: nunc uero ingeniose elucidat positionū naturas, in quas acutissime figere oculos utilissimū fuerit, ut eisdē hi pascantur. Primū itaq; obseruatione dignum est, suppositiones omnes, hoc est, problemata & positiones non eandem ingerere difficultatē & interroganti & respondenti. nam quæ magno sudore interrogatur & colliguntur, ea facile sustinetur & defenduntur. uocat enim ἐπιχέειν Arist. interrogare & ratiocinari. nõ ἐπιχέειν est syllogismus dialecticus, ὑπερχέειν autem respondere. circa opposita enim studium adhi-

bent & interrogans & respondēs. illius quidem est, ex concessis colligere oppositū rei defensæ: huius uero, prohibere & cauere ne oppositū colligatur. quare manifestū est, quāto quid plus negotij requirit ad colligendum: tanto oppositum facilius defenditur. Verū prima principia particulariter accepta facillime defenduntur, quæ per alia patent & quasi per se, quæ uniuersalibus primis opponantur. difficillime igitur improbatū, & uniuersalia facile. Similiter & ultima, id est, species & maxime à principijs, id est, generibus distantia sunt. uerū in utrisq; nō est eadem ratio difficultatis, sed opposita. nam ex eo prima difficultatem præbent probationis, quòd per alia à definitione non probantur: licet per ea alia cognoscantur & demonstrētur cognoscenda firmissimæ facta constantiæ. quare talia non fuerit facile probare. Nam ad probationē horum nihil est quod potest leuare interrogatē, quā per definitionem, qua maxime confirmāda sunt, excita disceptatio. uerum quia definire non sunt solliciti respōdentes, neq; talium reddere definitiones magni fecerint, à talibus nō accipiēt differendi genus per definitionem. Neq; multo plus ualebit ad uim differendi in talia principia, si interrogantes constituerint pro arbitrio principiorum definitiones: quòd eas non facile recipient, neq; concedent. atqui nisi manifesta sit definitio propositi, & quid oppositū, in ipsum non fuerit facile per definitionem argumentari. Principiorum autem respōdentes non reddūt definitiones, neq; propositas & fictas ab interrogante admittunt. igitur quum nulla disceptatio ad uniuersalia principia probanda fieri possit nisi ratione definitionis, per quā argumēta detorquerētur, si nulla cōstituatur definitio, prorsus impossibile erit certamen ad talia principia, uel admodum difficile, confirmanda. Postrema uero & ultima ex eo difficile probantur, quòd multis argumētis & rationibus sint confirmāda & cōcludenda. nam à primis principijs cōtinuo ductu & continētī stabilieda sunt. quare qui uelit ostēdere quæ tā exactis rationibus termināda sunt, oportuerit curam habere rationum illarum quæ cōstruere id ultimum possunt. at quæ arduum sit singulas rationes illas singulari quodam consuetu probare, nemo est qui nō possit perspicere, ex eo quòd in rem unam facessere tale negotiū haud parui sit laboris. si quis autem has omnes non parauerit rationes, sophistico & dolo in saltu uidebitur cōprobare propositionē illam tot argumentis locupletandam. quare non suffecerit talis disceptatio ad uirilem rei demissionem in ultimo tantum assumpta: sed petenda res à summo capite & origine, deducendo quæcumq; à principio pullularūt,

Principia difficile argu-
metabilia.

Ultima diffi-
cilia proban-
tione.

donec peruentū fuerit ad ultimum quod proponitur ostēdendum. Per prima, generales & uniuersales propositiones intelligimus: & ultima, uniuersales specificas.

Sunt autē difficile argumētabilia, & quæ valde propinqua sunt principio. Non enim contingit plures ad hæc rationes inuenire: cum sint pauca media horūmq; & principiorū, per quæ necesse est mōstrare ea quæ post illa sunt.

Quemadmodum monstrauimus prima principia multis propemodū obnoxia destructiuis argumētorum modis, quōd ad ea facile sit instare: ut nulla ratione quæ definitione ostendi, quam non est facile consequi, possint: sic proportione quæcūq; respondebunt, suo modo talia manebunt. Proinde difficilem probationē secundo loco annuntiabunt, quæcumq; proxima sunt primis & principijs: quōd non contingat multo plures adinuenire rationes ad probationem talium, quæ principiorum. nam quia habēt rationes à principijs proprijs accipiēdas, quibus illustratur, clarissimas, eas nō continget sumere, nisi magno studio & indefesso labore. quāto enim urbs quæ proponitur, uel quippiam aliud, fuerit munimētis solidioribus erigēda: tanto laboriosior habetur illius compositio. sic in differendo quanto positio difficilioribus cōstruenda uenit argumentis: tanto minus potest confirmari. at principia, quibus probanda ueniunt propinqua, monstrauimus difficilia esse ut probentur & accipiantur: quia definitione tantum.

Proxima
principijs
haud facile
improbātur

Terminorum autem difficile argumentabiles ij omniū maxime sunt, quicūq; utuntur talibus nominibus, quæ primum quidem immanifesta sunt, simplicitérne dicantur, an multipliciter. adhæc autē quæ neq; nota utrū proprie, an secundū metaphoram de diffinito dicantur. Nam quia obscura sunt, non habet argumenta. quia uero ignoratur si absque metaphora dicitur quod tale est, non habet quod increpet.

Confertissimam rationum turbam in problema cuiusuis definitionis destruendæ præmonuimus, quōd omnia quæ in destructionem aliorum problematū conducerent, apposite aduocarentur ad definitionis interitum. attamen, quoniā non ad omne problema definitiuū æqua est argumētationis potestas, designabimus qui termini, quæ problemata definitionis, quasi extra aleam certaminis ponantur, tam insigni nota, ut nemo sit interrogantium, qui non clare perspiciat protinus proposito

Inter defini-
tiones quæ
sint nõ faci-
le argumē-
tabiles.

problemate definitionis, sit ne difficile argumentabile uel facile. Nam quicumq; termini seu definitiones nominibus istis uestiuntur adeo obscuris, ut nõ sit statim facile agnoscere, dicaturne hæ uno significato, an pluribus: uel utrũ proprie an improprie de definito, in omnes tales omnium maxime est difficile argumentari. nimirum impugnantur definitiones admodum facile, quæ deprehenduntur esse æquiuocæ seu multiplices: similiter quæ improprie & translatitiæ dicuntur. nã in sexto talibus argumentis iugulandas docuimus. At in definitiones, quæ nõ cognoscuntur multiplices uel improprie, nõ licebit admouere talia argumenta destructiua ob obscuritatẽ & ignorantiam illarũ. proinde immunes maxime omnium terminorum sunt illi ab argumentatione, qui taliter inmanifesti sunt. Licet igitur inter omnia prædicatorum genera definitio facile profligetur, tamen facta cõparatione definitionũ adinuicẽ, illæ difficile argumentabiles sunt, quæ tales notantur, quales modo diximus. Cũ enim sit summa uirtus ad bene differendũ in quoduis problema, in primis agnoscere naturã & robur ipsius, & citra quã non nisi futilliter obtrectare quis potest: si quis nõ habuerit manifestã definitionis probandæ uel improbandæ substantiam, in eam difficillime concurret generosus colluctator: quoniam ineptire & eiulare etiam quippiam norunt abecedarij.

Omnino autem omne problema quando difficile argumentabile, uel termino indigere arbitrandũ est, uel est eorum quæ multipliciter, uel eorum quæ secundum metaphorã esse dicuntur, uel non longe à principijs: uel quia non manifestum est primum nobis hoc idem, secundum quem dictorum modorum est quod dubitationem præstat. Nam cum est manifestus modus, manifestum quoniã aut diffinire oportebit, aut diuidere, aut medias propositiones inuenire. nam per hæc monstrantur vltima.

Numerus
eorum quæ
argre probã-
tur.

Vniuersaliter illa difficilem ferunt argumentationẽ, quæcũq; prima sunt & principia, & quæ vltima: in super quæ primis sunt proxima, & definitiones, quæ quales sint, non statim cognoscuntur: & demum id cuius modus difficultatis nescitur. quare quæcumq; conspiciet interrogas problemata difficilia, uel termino indigere credet, ut prima & principia, quæ diximus ad disceptationẽ ineundã nõ habere accessum aliquem, nisi is à definitione petatur: quæ ea sit, quæ certaminis & probationis ad principia ansam conædat. Vel esse eorum quæ utrum nul-

tipliciter dicantur, an non, latent: cuiusmodi sunt definitiones, quas qui non noverit multiples esse, citra puluerem non differet. Vel ex numero horum dici, quæ ignorantur an metaphorice sumantur: ut sunt quædam definitiones, quibus si inesse metaphora non intelligatur, nullus probandi dabitur locus. Vel redolere quædam naturam principijs proximam autumabit: quod careant argumētis multis, quæ excogitari possint ad probationem. Vel quia primum nō habet manifestum modū, quo problema propositū difficile sit. His enim omnibus formis contingit problema esse argumentatione difficile. Verū una est omniū prima causa difficillimæ disceptationis, ignorare modum quo difficile dicitur problema. Nam perspecto modo difficultatis, manifestum fiet quibus sit opus dogmatibus traditis. Si enim sit problema difficile, ut prima principiaq; constituūt, definitione fuerit opus ad argumētationē, & definire principia oportebit per quorū definitiones acceptione difficiles fidē conferet producere. aliter enim probationem non sentiunt. & ita dicendum est ferme de principio propinquis. si uero sit problema difficile ratione ultimorum, caput propositi aggredi conueniet, & inuenire rationes medias, quibus comprobetur ipsum ultimum, quas detorque ad fidem oportebit: ut causis habitis, & fundamento, & omnibus, quibus inniti potest, sumptis, deijciatur in conclusionē ipsum ultimum. Talibus enim absolutis, deceter differitur & absolute, & nō alias: quia ultima per medias propositiones & rationes confirmāda ueniūt continuo. quare perquirere fidem mediarum rationū licet ad ultimorum disceptationem. si autem manifestum sit esse difficile problema ob multiplicem definitionis acceptionem, per diuisionem in partes negotiū perficietur disceptationis. si propter metaphorice dici problema sit difficile, id monstrandum uenit. manifestum est itaq; in primis suspiciendum esse, utrum problema sit difficile ad differendum in ipsum, an nō: dein qualis modus sit difficultatis: demum quid unicuique modo conueniat ad differendum.

In multis autem positionibus (nō bene assignata definitione) non facile disputare ac argumentari. Vt utrum vnum vni contrarium, an plura. diffinitis autem contrarijs aliquo modo, facile est ostendere utrū contingit plura eidem esse contraria, an non. eodem autem modo & in alijs diffinitione indigentibus.

Id autē præterire non decet, qui definitione rem propositam pro-

Definitio
magnū ad
differendum
infrumētū

bari, uel reprobari dicimus, q̄ sepe in multis problematibus seu positionibus non licet facile concludere falsum, siue monstrare uerū, facta disceptatione ad illa per definitionē: ob id q̄ non legitima cōstituatur definitio. ut q̄ non cōtingit unī plura cōtrariari, nō quauis definitione posita monstrabitur. Nā qui definiret contraria, quæ abinuicē distant, seu quæ sese mutuo corrumpūt, his interrogans profecto non cōsequetur, unū unī tātū cōtrariari, seu nō plura unī cōtrariari: q̄ habeatur multa quæ abinuicē distāt, ut ab albo colores mediū plures distāt: & in saporibus similiter, & plerisq; alijs cōiectare licet, in quibus etiam eisdem corruptio monstratur mutua. Verū propria definitione horū cōscripta, facile colligere propositum conuenit. ut si definiantur contraria, quæ maxime abinuicem distant sub eodem genere posita, & eidem subiecto uicissim insunt, à quo mutuo se expellūt, nisi eorum alterum à natura insit. nam unum unī tantum plurimum & maxime distat, ut extremū ab extremo. Eodem modo in alijs discutitur omnis positio, proba definitionis institutione. quemadmodum hoc problema de cōtrarijs uocatum, utrum contingit plura unī contrariari, an non? quare animum interrogans ad eam intendet.

Videntur autem & in disciplinis quædam ob diffinitionis defectū, non facile describi. vt & quoniam quæ ad latus secat planum lineæ, similiter diuidit & lineam & locū. diffinitione autem dicta, statim manifestum est quod dicitur. nam eandem ablationem habent loca & lineæ. est autem diffinitio eius orationis hæc.

Defect⁹ de
finitionis tā
demonstratorib⁹ q̄ dialecticis iacturam adfert.

Non solum autem æstimare cōuenit defectum definitionis bonæ iacturam adferre dialectico ad ueritatem extorquendam, uel monstrandum propositum, quum etiā haud producta definitio in disciplinis & defectus ipsis demonstratoribus uim rei docēdæ auferat omnē & splendorem. Nemo enim facile describet, id est, demonstrabit, q̄ lineæ quæ ad latus secat planū similiter diuidit lineā & locū, nisi habita definitione. quā si quis cōsequatur, tū clarissime tū facillime id docebit. quoniā monstrabit eandē habere ablationē, id est, diuisionē & loca & lineas & superficiē per definitionē huius orationis, lineæ iuxta latus diuidit planū, seu (clarius) analogorū & eorū quæ adinuicē cōparantur similiter. sit autē parallelogrāmum quod describatur, necesse fuerit habere lineas & latera cōparata adinuicē, ut ex ipso nomine manifestū est, si dicatur igitur in ipso una costarū parallela, tunc similiter diuidet lineā &

spatium omne parallela, & in eadem analogia. uerū quia parallele positum non est clarum, ut res notior fiat, constituatur definitio analogi, unde lineæ analogæ ratio trahetur: quæ perfecte assumpta propositio, quod lineæ recta ad latus ducta quadrati seu parallelogrāmi quæ analogæ est similiter diuidit areā, superficiē, & latus, probabitur. esto itaq; ut analogæ definiatur, quæ habent magnitudines adinuicem comparatas similiter, quarū est eadem diuissio: at in parallelogrāmo lineæ analogæ sunt proportionatæ spatio & superfici. quare eadem fuerit diuissio eorum omnium & consimilis. Vides tali constructa definitione analogi siue lineæ analogæ, quæ recta circa latus dicitur diuidere planum, monstrari in parallelogrammo, omnium & spatij & lineæ & superfici eandem diuisionem. uerum sine illa non uidetur posse fieri, quod parallelum & lineæ parallela obscuriora sint, quàm ut ex earū cognitione assurgere possimus in cognitionē propositionis assumptæ. Parallela, id est, alternæ seu æquidistantes, lineæ sunt in eodē existentes plano, quæ licet ex utraq; parte in infinitū producerentur, nullo modo concurrerent. à quibus depromptum est parallelogrānum, superficies æquidistantium laterum, quod alio nomine dicitur quadratū. Summa rei igitur est, quia in parallelogrammo lineæ ad latus est analogæ cæteris in parallelogrammo existentibus, & omne analogum consimiliter diuiditur ad diuisionem alterius. quare per diuisionē lineæ analogæ ad latus, & alia diuidantur analogæ, manifestum est. uerum id non cognoscitur, nisi per definitionē analogi, & quia illa sunt analogæ. Vnde patet ob defectum definitionis tam in disciplinis, quàm disputationibus quædam non facile monstrari.

Simpliciter autem prima elemētorum: positis quidem diffinitionibus (ut quid lineæ, vel quid circulus) facillimū ostendere: uerum non multis ad vnumquodq; eorum est argumentari: eo quod non sunt multa media. si autem non ponantur principiorum diffinitiones, difficile: fortasse autem omnino impossibile. Similiter autem his, & in ijs quæ sunt circa orationes se habet. non igitur latere oportet, quando difficile argumentabilis est positio, quæ passa est aliquid eorum quæ dicta sunt.

Cum inciderimus in memoriam eorū quæ pertinent ad disciplinas, in quibus ob defectum definitionis difficilem esse demonstrationem rei propositæ, quæadmodū in dialecticis, diximus: exactiore modo id ipsum

omne attingendum est, & uniuersaliore hoc. In uniuersum autē prima principia & quæ his propinqua sunt, facillimū est definitione monstrare, positis definitionibus: ut habita definitione lineæ, uel circuli, & aliorum, quæ in disciplinis & geometria traduntur. sed non per multa media decurrit talis demonstratio uniuscuiusq; cum non habeatur alia q̄ quæ desumpta sunt à definitione. at nō constitutis definitionibus illorū neq; positis, difficile fuerit, aut simpliciter impossibile hæc demonstrare. neq; tantum id uerum est in his principijs disciplinæ, sed consimile his habetur & in disputationibus & orationibus dialecticis. quare non oportet ignorare dialecticū interrogantē, quòd quando positio aliqua fuerit difficile argumētabilis & problema, id fuerit & accidet ob aliquem horum prædictorum superiorum modorum: uel quia definitione egent, ut principia: uel pluribus argumentis, ut ultima: uel quia propinqua primis: uel quia obscura sunt, ut definitiones: uel quia difficultas nescitur. Quid sit linea, quid circulus, omnes intelligunt.

Quando autem erit ad dignitatem & propositionem, maior labor disputare, quàm ad positionē. Dubitare autē possit quispiam utrum ponenda sint talia, an non. nam si nō ponat, sed poscat & ad illa disputare: maius præcipiet quàm quod in principio positum est. si uero ponat, credet ex minus credilibus. si igitur oportet non difficilius problema facere, ponendum: si autē per notiora syllogizare, non ponendum. An discenti quidem non ponendum, nisi notius sit: exercitato uero ponendum, si uerum solum videatur: quare manifestum, quoniam nō similiter & interroganti & docenti existimandum esse ponēdum. Quo pacto igitur interrogare & ordinare oportet, pene sufficiunt quæ dicta sunt.

Inquisitio. Quum laboriosius sit & difficilius ostēdere propositionē & dignitatem per quam problema & propositum monstratur, quàm propositum: inquireret aliquis bona occasione, utrū differendum fuerit in propositionem, & ea tanquā problemate seu positione utendū, an non: sed sit ponenda sine probatione, & ea utendum per se. nam cum propositum in principio sit obscurum & habens dubitationē, uidetur illustrandum esse propositione assumenda. quare propositio uidetur probanda, priusq̄ ea utatur, ne per ignotiora procedatur, & credatur ex minus credilibus. uerū si tentet demonstrare propositionē ipsam, maius sen-

tiet interrogans opus, & laboriosius cognoscet esse disputare ad confirmationem propositionis quæ prius, dum differeret in positionem primo institutam. Quapropter si non oporteat problema difficilius institueri, quam id quod in principio positum est, propositio ipsa ad probationem propositi ponenda fuerit, & sine demonstratione ipsius ad propositi probationem ea utendum. Si uero oporteat per notiora facere syllogismos, & per propositiones notiores semper rem obscuram ostendere, non uidebitur utendum esse illis sine probatione. Dilutio. In disciplinis nihil ponere uel sumere oportet ad fidem faciendam, quod notum non sit, & clarius ea re per ipsum demonstranda. aliter enim scire non faceret: quod scire non contingit, nisi per causam & notius & prius. Verum in disputationibus & exercitijs uti licet talibus propositionibus ad probationem problematis sine talium probatione, dum modo ueræ & probabiles multum appareant. nam per probabiles ratiocinatur dialecticus. ut si oporteat monstrare infinitum non esse, alijs utetur rationibus dialecticis, alijs physicis: quod Aristoteles in tertio physicorum satis monstrat. Nomine dignitatis seu axiomatis & propositionis intelligit idem, uidelicet propositionem, qua probatur propositum: ut respondeant quadam proportione problemati & positioni. Nisi (quod maxime optauerim) uelis intelligere nomine dignitatis ipsum proloquium, quod ad demonstrationem accommodatur, & demonstratori committitur: propositionem uero, dialectico ad probationem attribueris. nam Aristoteles de utriusque generis probatione agit. proinde facile crediderim non multiplicasse citra magnam uim hæc duo, ut daret intelligere utranque fidem tum subtilitate, tum laconismo utriusque uoculæ. tu tamen quod uelis sequere, dum non acceperis dignitatem pro principio & propositione indemonstrabili tantum: ut sæpiuscule in posterioribus sumitur. Ex his omnibus manifestum esse potest, quam uariis sit & docentis & interrogatis, id est, demonstratoris & dialectici propositionum usus: quod dialecticus ponat propositiones probabiles & eisdem utitur: demonstrator uero sumit ad fidem manifeste ueras, uel eas probat. Quomodo igitur oporteat interrogare propositiones, & interrogatas disponere, pene sufficiunt quæ tradita sunt ad dialectici instructionem interrogantis.

Dilutio.

De responsione autem primum quidem determinandum, quodnam est opus bene respondentis, quemadmodum bene interrogatis. Est autem interrogantis quidem, sic deducere orationem, ut faciat respondentem dicere inopinabilia quam ea quæ propter positionem sunt ne-

cessaria: respondentis vero, non propter se apparere accidere impossibile, aut quod præter opinionem est: sed propter positionem. nam alterum fortasse peccatum, ponere primum quod non oportet, & positum non seruare aliquo modo.

Quonia duos dialecticos fecimus ministros, alterum interrogantem, alterum respondentem, quibus omne differendi negotium contributum est, & de interrogantis instrumentis, quibus aperto Marte hostem & respondentem inuaderet, & inductione & syllogismo, nec non eadem concernentibus studiose dicere curauimus: superest respondentem, quem quasi trucidasse gloriatur interrogans, iuuenus. Crudelis profecto est animi & plusquam hostilis misere cadenti denegare manum. at cuiquam dare arma quibus alterum ingulet, cuius non misereatur, cuius opus esse dicemus? Dialecticos itaque munimur uestimus, locupletabimus, confirmabimus respondentem: ut dum uiriliter resistit obiectionibus, & anfractibus temperatur, ueritas inquiratur, excutiatur, innotescat: si prius præmonuerimus interrogantis opus, quo peruium fiet & respondētis. Est autem interrogantis opus, sic interrogare & interrogatis deducere disputationem, ut faciat respondentem & urgeat confiteri magis inopinabilia, quam sit necessarium, uel consequatur ex positione & problemate posito. Inopinabilia autem sunt, quæ Arist. à δ' οξόταξ uocat, πρῶτα οξέα, id est, præter opinionem, quæ probabilibus sunt contraria, & impossibilia. Vnde exploratum emergit, respondentis opus esse, ut non propter se & suas responsiones appareat concludi & accidere uel impossibile uel inopinabile: uerum si aliquando uel argumentorum aliquid tale inferatur & monstretur colligi, oportet id fieri propter positionem & problema susceptum, ex quo posito tale quippiam nemo effugere potest. Quo munere duo intelliguntur: prius est, quod non ad hæc deducatur ex quibus propter responsionem malam cogatur fateri inopinabilia. quod contingit quando positio est probabilis, quam sustinet, & ob aliqua male concessa ad inopinabilia delabatur. Posterius uero est, quando sustinet positionem improbabilem, quod non impellatur ad absurdiora quam ferat positio. unum igitur commune est, ne aliena à positione cogatur dicere: cuius duæ partes sunt hæc. non enim idem est uitium, posita positione probabili deduci propter responsiones ad inopinabilia, & posita inopinabili positione, & quæ poni non debet, eam non posse defendere: sed detrudi ad inopinabiliora multo quam sit necesse. quare bonus respondens utrumque uitium ut euitet, amplexabitur duo hæc

Opus interrogantis.

Respondentis opus duplex.

*iustæ responſionis officia. Quidam codices habent, ἢ οὐτως μεταρᾶν
 γὰρ τὸν λόγον: quidam, ἐπαρᾶν: alij, ἐπάρᾶν: sed in idem ueniūt.*

Quia autē sunt indeterminata ijs qui propter exerci-
 tationē & experiētiā orationes faciunt (nam nō eadem
 considerationes & discētibus & docentibus & cōcertan-
 tibus: neq; his, & ijs qui exercēt semper seinuicem inspe-
 ctionis gratia. nam discēti quidem ponenda sunt semper
 ea quæ uidentur, neq; enim conatur falsum ullus docere:
 cōcertantium uero interrogantē quidem uideri aliquid
 facere oportet omnino, respondentē autem nihil uideri
 pati) & in dialecticis congressionibus, quæ non concerta-
 tionis gratia, sed experimēti & inspectionis orationes fa-
 ciunt, nondum enucleatum est quo pacto oporteat con-
 iectare respondentem, & qualia dare & qualia non, ad be-
 ne, aut non bene seruandam positionem. quoniam (in-
 quam) nihil habemus traditum ab alijs, ipsi aliquid dice-
 re tentemus.

Tribus quasi præsulibus, demonstratori, dialectico, & sophistæ omnē
 ratiocinandi curam omnes ferme prædicāt demandatā. at quid unū-
 quēq; considerare oporteat, nondū ab aliquo traditū est certa lege: licet
 nemo eos forsā dubitet diuersos habere scopos, diuersosq; fines. Nam
 demonstratoris finis est, scientiam immittere discēti. quare discēs de-
 bet semper ponere & concedere quæ uidentur sibi uera. nullus enim
 demonstrator cōtendit docere falsum, uel decipere, uel uincere. Sophistes
 uero finem habet, apparētem redargutionē per interrogationes. nam
 sophistica redargutio apparens est tantū. quinq; siquidē sunt quæ con-
 iectant & uolunt sophistæ, seu qui decertant & coaltercantur: re-
 dargutio, falsum, inopinabile, solœcismus, & facere nugari. in quorum
 aliquod sophistes incurrere respondētē studebit. Quare responden-
 tis fuerit eximia uirtus, tam diserte, & docte respondere, ut nullum
 appareat redargutionis uestigium sibi inesse. Dialecticus uero ratio-
 cinatur non doctrinæ, ut demonstrator, sine: non certaminis gratia, ut
 sophistes: sed experimenti & explorandæ ueritatis: qui finē habet ex-
 periri ueritatē probabilibus argumentis. at quid oporteat facere re-
 spondentem & considerare, & quomodo respondere, & qualia con-
 cedere, & qualia non conueniat, ut dicatur bene uel male defendere,

De finibus
 demonstra-
 toris dial-
 etici & so-
 phistæ.

Nullus anti-
quorū tradi-
dit præce-
pta dialec-
tici.

nondum manifestū est. quoniā nihil iuuant antiquorū præcepta, si quæ fuerint. quia nulla pro responsione dialectici lata extiterunt. quocirca amplior datur tractandi occasio respondentis partes, cui omnes antiqui deesse uoluerunt, ut re tam necessaria posteritatē tanq̄ dono omnibus fortunæ bonis non cōparabili demereamur: ita ut nobis acceptum ipsa bono iure referre debeat. Quid itaq; oporteat respondentē obseruare, nos ipsi propria industria tētemus præceptis concludere, ad maiorem respondentū gratiā. Vnde liquet, quod aliquādo in primo profitebamur, Aristotelem authorē fuisse dialecticæ, eāmq; præceptis artificiosē conclusisse. quū nullus, in quouis genere disciplinæ pollēs, antiquorū offendatur, qui de institutione interrogantis & respondentis tractarit. proinde admiranda in primis uenit Arist. diligentia, & studium in disciplinis efferendis efferuescēs: qui summus artis dialecticæ propagator & sacerdos, examen aggreditur eius rei quam à cunctis prætermisam, & omnibus magnopere necessariam sciuit.

Necesse est autem respondentem sustinere orationē, ponendo aut probabilem, aut improbabilem positionē, aut neutram. & aut simpliciter probabilem, aut improbabilem, aut determinate: ut huic alicui, vel alij. Nihil autē refert quomodocunq;, dum ea probabilis, aut improbabilis sit. nam idem modus erit bene respondendi, & dandi vel non dandi quod interrogatum est. nam cum improbabilis est positio, necesse est & conclusionē probabilem fieri: cum vero probabilis, improbabilem. nam oppositum semper positionis interrogans concludet. si autem neque improbabile probabile, neq; quod positum est: & conclusio erit talis.

Priusquā à legislatoribus leges ferātur, desideratur ciuitatis cōstruetio, & notorum congregatio, quibus imponātur leges. sic respondentī non cōmittentur præcepta positionis defendendæ, nisi ante cognita sibi fuerit positionis multiplex natura. nō enim est unius & eiusdem affirmatiuitatis positio omnis. Idcirco cōuenientissimū huic institutioni principiū fuerit, diuisio positionis: quæ in mēbra distribuet tam numerosam uarietatē. Omnis quidem positio aut probabilis, aut improbabilis, aut neutra existit. adhæc probabile & improbabile subdiuiditur, ut positio probabilis dispescitur in probabile simpliciter, & determinate. Et ea simpliciter dicitur probabilia, quæ omnibus uel plurimis uidentur.

Omnis positio
i differētia
triplici.

Determinate uero, quæ alicui philosophorū, ut Platoni, uel Socrati uidentur. Similiter improbabilis positio, altera est simpliciter improbabilis, altera determinate. Improbabilia sunt simpliciter, quæcūq; præter multorū uel omniū opinionē dicuntur. Improbabilia determinate, quæ repugnant alicuius philosophorum opinionē receptæ. Hæc subdiuisione non recipiet, quod neutrum appellatur. Nam ex eo quod neque probabilis neque improbabilis dicitur, positio neutra est. Et ea est, de qua neutro modo opinari licet: ut de astrorum paritate uel imparitate. quare notum esse potest non retineri illis particulis, simpliciter et determinate. Quocirca hac diuisione positionū, necesse est omnem orationē, id est, positionē ponere et sustinere probabilem, aut improbabilem, aut neutram. in super probabilem et improbabilem simpliciter, aut determinate esse. Nihil autem refert quolibet modo, siue simpliciter probabilis uel improbabilis, siue determinate probabilis sit uel improbabilis positio, quam sustinet respondens: dum omnis talis probabilis uel improbabilis sit. nam in utriusque est utriusque naturæ idem modus bene respondendi, uel male: et cōcedendi uel negandi, quod interrogatur. Nam cum habeat interrogans concludere oppositum positioni: qui eam demoliri uiribus argumentorum contendit, necesse fuerit posita positione improbabili, conclusionē per syllogismū adductam in oppositū, probabilem esse (nam probabile improbabili opponitur) si simpliciter, simpliciter: si determinate, determinate. Cum uero probabilis fuerit positio, interrogans cōcludere debet improbabile eadem ratione prius dicta. Quod si neutra fuerit, neque probabilis neque improbabilis positio, et conclusio neutra erit. Hoc ergo documentō semper sciet respondens, quid debeat concludere interrogans, qui naturam suæ positionis non ignorat. Augustinus autē in sua rhetorice quatuor thematum genera in controuersijs instituit: ἡ δὲ ὀξορ, quod (inquit) nos opinionis bonæ possumus dicere: ἀμφὶ δὲ ὀξορ, cōfusse opinionis: πρὸς δὲ ὀξορ, opinionis malæ. tamen (inquit) quidam parum diligenter græce loquentes, πρὸς δὲ ὀξορ pro his quæ sunt bonæ opinionis accipiunt. nam πρὸς δὲ ὀξορ est quod πρὸς δὲ τὴν δὲ ὀξορ, id est, cōtra opinionem bonam. ἀδὲ ὀξορ, nullius opinionis: nō autē, ut uulgo, malæ opinionis. Verum quomodo ad diuisionē nuper traditam reuocetur, quiuis agnoscere potest, et quæ sit utriusque habitudo.

Quoniam autem bene syllogizans, ex probabilioribus & notioribus propositum demonstrat: manifestum est quod quando simpliciter est improbabile quod proponitur, non dandum est respondenti, nec quod non uidetur

simpliciter, nec quod videtur quidem, minus autem con-
 clusione videtur. Nam cum improbabilis est positio, pro-
 babilis est cōclusio. quare oportet quæ sumuntur, probabi-
 lia esse omnia: & magis probabilia q̄ quod proponitur, si
 debet per notiora quod minus probabile est, cōcludi. qua-
 re si neq; tale est quippiā eorū quæ interrogantur, non po-
 nendū est respōdenti. Simpliciter autē si est probabilis po-
 sitio, dilucidū est quoniā cōclusio simpliciter improbabili-
 lis. Ponendū igitur & quæ vidētur omnia, & eorū quæ nō
 vidētur, quæcūq; minus sunt improbabilia cōclusionē.
 Nam sufficienter sic videbitur disceptatum esse.

*Triplicem positionis significatū elucidauimus, in quorum unū de-
 cumbet omnis respondentis assertio. idcirco ut intelligat & sciat, quid
 ad unamquāq; respondendum sit, unicuiq; sua constituetur obserua-
 tio. In primis si positio sit simpliciter improbabilis, nunquam debet
 concedere respondens propositiones interrogatas, quæ simpliciter nō
 sunt probabiles: uel si probabiles sint simpliciter, ex his tamen non po-
 test fieri conclusio probabilior, neq; eas concedere debet. Quoniā non
 per minus probabilia magis probabilia colligit bene syllogizans, qui ex
 probabilioribus & notioribus ostendit rem probandam. uerum cum
 improbabilis est positio, diximus conclusionē in oppositū adferendam
 esse probabilem. Probabilia autē omnia per magis probabilia mōstran-
 tur. quia per notiora minus notū est colligendum, & minus probabile
 per magis probabile. quare si ea quæ interrogantur atq; sumuntur ad
 reprobationem positionis improbabilis simpliciter, & probationē con-
 clusionis probabilis, talia non fuerint, nō debet ea admittere, neq; fateri
 respondens. Si uero simpliciter est probabilis positio, conclusio quæ in
 oppositum afferetur, ut dictū est, & etiam satis id manifestū est, sim-
 pliciter erit improbabilis: q̄ simpliciter probabile & improbabile op-
 ponantur. quare talis conclusio petenda erit à probabilioribus notiori-
 būsq;: cum oporteat semper ratiocinari per probabiliora. Ponet itaq;
 & cōcedet ea omnia quæ uidentur probabilia: & improbabilia, quæcūq;
 magis probabilia cōclusionē sunt futura. sic enim proba fiet discepta-
 tio ad inquisitionem ueritatis, dum talia concesserit modō demonstrata.*

*Similiter autē erit & si neq; improbabilis, neq; probabi-
 lis est positio. Nā sic & quæ uidentur omnia dandū, & eorū
 quæ nō vidētur, quæcūq; magis sunt probabilia cō-*

Quid obser-
 uabit respō-
 dens, dū po-
 sitionē susti-
 net impro-
 babilem.

Quid, si pr-
 babilē defē-
 dat, respon-
 dens curabit.

clufione. sic enim probabiliore accidit orationes fieri.

Quid custodire debeat respondens, dū positio simpliciter est probabilis, uel improbabilis, denūtiatū est: quid autē obseruabit, si positio neutra sit, id est, neq; probabilis, neq; improbabilis, cōsiderādū est: ut nō dubitet quid cōcedere debeat respōdēs interrogāti. Dabit igitur, quicūq; positionē neutrā sustinet, quæ probabilia sunt omnia: & ex improbabilibus, quæcūq; minus improbabilia sunt conclusione sequēte ex his. Sic enim contingit probas constitui disceptationes, ut ueritas eluceat.

Preceptum
ad positio-
nē neutram
tuendam.

Si igitur simpliciter quidem probabile, uel improbabile quod ponitur, ad ea quæ uidentur simpliciter, comparatio facienda. Si autē non simpliciter probabile uel improbabile sit, quod ponitur, sed respondentis: ad seipsum, quod uidetur & quod nō uidetur iudicando, ponendum uel non ponendum. Si uero alterius opinionem tutetur respondens, manifestum quoniā ad illius intelligentiam aspiciendo, ponere singula debet & negare. quare & qui curāt extraneas opiniones (ut bonū & malum esse idem: quemadmodum Heraclitus inquit) non dant, non adesse simul contraria eidem: non quia non uidentur eis hæc, sed quia secundum Heraclitū sic dicendum. faciunt hoc autem & qui suscipiunt abinuicem positiones. coniectāt enim ac si is dicat qui ponit. manifestum igitur quæ coniectandum respondentis, siue simpliciter probabile, siue alicui positum est.

Penultimo documento euacuauimus omnem illum inquisitionis locum, quæ obseruanda à respondente, si positio sit simpliciter probabilis uel improbabilis, efflagitat. quare his ne uerbum quidem recensendis adscripsero: ne chartas uana repetitione impleā, quæ in maiorem molem excreuerūt q̄ uolebam, latius se aperiente materia. Iam ad aliud membrum subdiuisionis me cōfero, quod dicebatur determinate probabile uel improbabile, & nō simpliciter. Cuius sunt duo modi. nā positionū probabiliū & improbabiliū determinatarū, alia est determinata à respondente, qua ostēdit suam opinionē. Alia uero est determinata, sed non à respondente: uerūm ab alio, cuius tamē sententiā defendit. si igitur prioris modi positionē determinatam defendat, qua suam sententiam profert respondens: debet considerare apud se, quæ

Ad positio-
nē determi-
natā, siue à
responden-
te siue ab alio,
documē-
tum.

uidentur sibi probabilia, & quæ nō: qua consideratione poterit intelligere & iudicare, quæ erūt ponendā siue cōcedendā, & quæ nō. Cæterum si determinatā positionē tutetur ab alio, siue probabilem siue improbabilem, respondens: diligenter disquirere debet, quæcumq; ab eo, cuius positionem defendit, traduntur: quoniā eadem cōcedere tenebitur & negare, quæ cōcedit & negat is, cuius est assertor. quare ad intelligentiā & traditionē illius, cuncta cōcedere uel inficiari debet respondens. & simpliciter, qui uelit extraneas & alias opiniones defendere, debet sequi etiam in reliquis earundē opinionum assertores. quæ admodum qui opinionē Heracliti, q̄ bonum & malum idem sint, quam breuiter in primo physicom attigit Arist. protegunt: non concedūt quòd sit impossibile contraria eidem inesse: non quoniam ita arbitrantur secundum se & credunt, sed quia id concedendum est ex positione & sententia Heracliti, quā susceperāt defendendā. simul id ipsum currāt, qui abinuicē acceptas positiones defendūt. nā hi perpēdūt & cōiiciunt illorum opiniones, q̄ ut iudicauerunt illos respondere, ita ipsi conantur & uolunt respōdere. quare si determinata fuerit positio, siue à respondente, siue altero: manifestū est, quid respōdendo dandum sit: deniq; quid oporteat considerare respondentem, siue simpliciter probabilem siue improbabilem, siue determinate, tueatur positionem.

Quoniam autem est necesse omne quod interrogatur aut probabile, aut improbabile esse, aut neutrū, & ad orationem, aut non ad orationē attinere quod interrogatur: si sit quidem quod videtur, & non ad orationem, dandum est dicendo quòd videtur. Non enim interimitur, posito eo, quod in principio. Si uero nō videtur, & non ad orationem, dandum quidem, & consignificandum quòd nō videtur, ad deuitationem absurditatis. Si uero sit ad orationem & videatur, dicendum quoniam videtur quidem, sed ualde propinquum ei, quod in principio est, & interimitur, eo posito, quod propositum est. Si autem ad orationem quidem, ualde autem improbabile postulatum, dicendum quòd accidit, hoc posito, at ualde absurdum esse quod proponitur. Si uero neq; probabile neq; improbabile, si nihil quidem ad orationem, dandum nihil determinando. Si autem ad orationem, consignifican

dum & interimitur, posito eo, quod in principio est. Nā sic & qui respondet, nihil videbitur propter hoc pati, si quidē præuidens singula posuerit: & qui interrogat, assequetur syllogismum, positus ab eo omnibus probabilioribus cōclusionē. Quicunq; vero nō ex probabilioribus cōclusionē conātur syllogizare, perspicuū quoniā nō bene syllogizant. quare cū sic interrogant, non ponendū.

Percurramus positionū & problematū multiplices campos, in quibus semper, cum respondens uersaretur, definiuimus quid in unoquoque cāpo uigili cura obseruaret: ut fructus immarcessibiles inde colligeret abunde, nulla aduersarij iniuria offenderetur, nullis minis argumentorū premeretur: uerū libere & inoffense per omnes illos patientissimos incederet, uagaretur, saltaret. Nunc uero subiiciemus omnes interrogationum modos: quos si perspexerit, nullis laqueis uinci-ri poterit. Hos ergo diuisione, instrumento admodum necessario, qua ferme non aliter q̄ gladio acutissimo singula diuidūtur, secabimus. Ad hęc omnibus partibus, quę ualde utilia sint, largiemur. nam quas concedere uel non oportet, ipso lumine clarius manifestabimus: tandē poterit quiuis respondentiu scopū consequi speciosissime. Diuiditur autem interrogatio omnis, quemadmodum & positio, in probabilem, improbabilem, & neutram: & insuper omnis interrogatio, & probabilis, & improbabilis, & neutra, subdividitur in interrogationē ad orationem, uel non, pertinentem. Nuncupatur quidem interrogatio ad orationem pertinens, quę cunq; pertinet ad syllogismū, quo in problema & positionem differitur. Non pertinens autem ad orationē, quę uanē interrogatur, & ad rem nihil conferens propositā. Ex his itaq; diuisionibus palam est, omnē interrogationē probabilem, uel pertinere ad disputationem, uel non: similiter & omnē improbabilem, & demum omnē neutram ad orationē pertinere, uel non. Verū quomodo oporteat respondentem fateri, uel non, tales interrogationes, quę notę sint, cuiuscunq; discriminis fuerint, doceamus certissimis atq; firmissimis dogmatibus. Primum autē si sit probabilis interrogatio, uel ad orationem pertinet & syllogismū, uel non. q̄ si nō pertineat ad orationē, eam respondens tenetur concedere, dicendo eam esse probabilem. nam laudabitur, qui concedat probabilia: at interrogans, qui nihil potest hinc colligere, neq; ea concessa uti ad syllogismū in positionē, uanus & intempestius dixeretur. si uero sit probabilis ad orationē & disputationē conferens, eā

Interrogatio
onū format
triplices.

Interrogatio
ōnis uel
est ad rem,
uel non.

De modo
spōdēdi ad
interrogatio-
nem proba-
bilem.

fatebitur respondens interrogationē: ast dicet illam ualde esse propin-
 quā proposito, & quasi per interrogationē sumi propositum, licet ea
 posita destruat positio. sic enim nō uidebitur probabilibus instare,
 neq; proteruire, neque pati aliquid ab interrogatione: q̄ similitudinem
 monstrat inter interrogationē & conclusionem, qua euertitur positio.
 Cæterum si interrogatio improbabilis sit, considerabit respondens, an
 sit pertinens ad syllogismū in positionē an nō. q̄ si impertinens uidea-
 tur, illa est danda: eo q̄ nihil potest inde colligere interrogans, & ma-
 gis indicatur interrogantis futilitas uel ingenij inopia, cui cū ultro hæc
 dentur, non habet quod monstrat, quæ requirit. Veruntamē, ne rudis
 & nescius notetur respondens, qui cōcedat improbabilia, aperta bucca
 denuntiabit, quod inopinabilis talis est interrogatio: uerū eam ponit
 & dat disputationis gratia, ut experiatur quid colligi possit: simul ne
 uideatur refugere cōgressum, sed potius amplam uelut cōcedere disse-
 rēdi officinam interrogāti. Si uero improbabilis interrogatio ad ora-
 tionē conducat, debet respondens dicere, q̄ posita illa & concessa, de-
 monstratur propositū: attamen, quia ualde absurda est, & à nullo sa-
 næ mentis concēderetur, eam diffitetur. Quod si interrogatio neutra
 fuerit, nec pertineat ad orationē, dāda est à respōdente sine annota-
 tione aliqua. si uero ad orationē attineat, oportet respondentē signifi-
 care, q̄ concessa illa, destruitur positio: uerum quia indifferens est &
 utriusq; particeps, neq; magis probabilis, q̄ improbabilis, ideo eam nō
 cōcedit, neq; diffitetur: sed eam dubitat. sic manifestum est quomodo se
 habeat ad interrogationes respōdens. Nam si obseruarit hæc præce-
 pta, nihil uidetur pati propter responsiones datas. & præcognoscens
 quid sequatur ex his, concedit omnes. Nam opus bene respondētis est,
 ut cōcessis omnibus probabilioribus cōclusionē, is qui interrogat, possit
 ratiocinari dialectice. Est namq; dialecticus congressus, quando neuter,
 neq; interrogās, neq; respondens inique & sine lege omnia peruertit.
 At quicumq; per inopinabiliora & minus probabilia contendunt mō-
 strare probabiliora, ipsis talia interrogantibus non oportet responden-
 tem dialectice assentiri: q̄ uelint uti dialectice talibus, uiolatis omnibus
 dialecticæ rationis legibus. quare non oportet suspicari respondentem
 dialecticū, q̄ in omnibus debeat interrogāti credere, & p̄ nutu quod-
 uis dare. Hactenus igitur de interrogationibus respōdenti manifestis.

Similiter autem & in ijs quæ obscure & multipliciter
 dicuntur, occurrēdū est. Nam quia datū est respondētī,
 non discenti, dicere, non disco, & multipliciter dictū non

Ad interro-
 gationē im-
 probabilem

Ad neutra
 interroga-
 tionē respō-
 sio seruāda

ex necessitate confiteri vel negare: manifestum quoniam primū quidem nisi planū sit quod dicitur, non cunctandum, vt dicat, haud intelligo. nam sæpe ex eo q̄ non clare interrogantibus dant, occurrit aliquid difficile. Si autem notum quidem sit, multipliciter autem dictum, si in omnibus quidem verū vel falsum sit quod dicitur, dandum simpliciter quod dicitur, vel negandum si vero in aliquo quidem sit verum, in aliquo autem falsum, significandum est quòd multipliciter dicitur, & quia hoc quidem falsum, illud autem verum. Nam cum posterius distinguitur, immanifestum si & in principio ambiguū animaduertit. Si autem non præuiderit dubium, sed in alterum aspiciens posuerit, dicendum ad eum qui in alterū ducit, quoniam non ad id aspiciens dedi, sed ad alterum eorum. Nam pluribus existentibus quæ sub eodem nomine vel eadem oratione sunt, facilis est ambiguitas. Si vero & dilucidū sit & simplex quod interrogatur, aut sic aut non, respondendum.

Quem oportuit tenere ordinē & modum in respōsionibus interrogationum manifestarū & simpliciu, satis ample præscripsimus: uerum quo intuitu debeat respondēs ad obscuras, siue multiplices siue simplices interrogationes aduertere, hoc præsens institutū terminabit. fiunt enim interrogationes huiusmodi, & multiplices & simplices obscuræ. quare de talibus agamus, in quas similiter occurret & secundū prædictum modum, quo in manifestas, si prius habeatur interrogatio nota. nam nunq̄ tenetur respōsionem ferre respondēs, nisi ante intellexerit ipsam. sed sine mora & uerecūdia prompte debet dicere interroganti, se non intelligere. nam quia potest respondens dialecticus & non intelligēs respondere & dicere, q̄ nō intelligit, & multipliciter dictum non tenetur ex necessitate cōfiteri, uel negare, qui diuidere in mēbra possit: manifestum est quòd nisi sit in primis notu, quod dicitur, respondentis, hic sine maiori dilatione debet profiteri ingenue suam ignorantiam & citra dissimulationē dicere, quòd nō intelligit interrogationē: ne incurrat grauius incommodum, dum præcipiti iudicio & simulata eruditione respondet ad interrogationes. nam usu uenire solet, ut ij qui re non intellecta & quæstione interrogantibus respōdent, habitu & uultu emē-

Ad interrogaciones obscuras, siue simplices siue multiplices institutio

tiente cognitionē, in scædas incitiæ lacunas deijciatur ridiculi. affectat enim hi fastuosi in caperata fronte simulare disciplinam. quare nō est mirum, si uno errore admissō, difficiliora multo eos incommoda persequatur. Probus igitur respondēs & prudens nō tumultuario quodā furore sententiā feret, neq; respondebit: sed maturo & trāquillo iudicio interrogatione cognita negotiū absoluet. quōd si incognita ipsa fuerit, nō dedignabitur confiteri, se ignorare: neq; nisi manifesta sit, sententiā dicet. at ubi notā acceperit, rimabitur, an sit multiplex uel simplex. quōd si simplex fuerit interrogatio, quæ nota facta sit, eam concedet uel negabit, quemadmodum traditum est prius, respondēdo sic uel non, sine distinctione. Ast si nota sit, & multipliciter dicta interrogatio, quā cognouit uel in omnibus esse ueram, & eam dabit & concedet sine distinctione. Vel in omnibus falsam, & eam negabit similiter. ut hanc, omnis canis est substantia, simpliciter fatebitur esse ueram: hanc autem nō dabit, Ajax non fuit. & ita in similibus in toto ueris uel falsis. Verum si in aliquo quidem sit uera, in altero autem falsa, utendum est distinctione, priusq; fiat ulla respōsio, & præmonitione multiplici- tatis, qua altera dicatur uera, altera falsa. Nam si differret distinctionē interrogationis multiplicis, donec ea factus esset syllogismus, ut ignorans huius multiplici- tatis in principio & non animaduertēs, dānatur: q̄ simpliciter concesserit quōd multiplex est, & partim uerū, partim falsum. Si autē contigerit respondentē non animaduertisse, nec præuidisse dubiū & multipliciter dictū (est enim ἀμφίβολον multiplicis quædā species) sed ad alterum aduertēs & considerās, quōd uerū est ipse concessit, ad interrogantem qui alterā partem falsam opponit in reprobationē sententiæ datæ, respondebit, se non concessisse tali significatione, qua falsum monstratur: sed altera, in qua uerū collocatur. Nam facilis est dubitatio & monstratur maxime, quōd non concessit secundū illud, quādo multa sunt significata sub æquiuoco siue amphibolo specie differētia, quōd non distinxerit. quare congruū fuerit diuidere tale ante respōsionē. Vnde colliquescit, quis modus respōdendi sit habēdus, quādo obscura est interrogatio, siue multiplex, siue simplex.

Quoniam autē omnis propositio syllogistica, aut earum aliqua est, ex quibus syllogismus, aut propter aliquā illarum: manifestū q̄ quandoq; alterius gratia sumetur, ex eo q̄ plura similia interrogāt. Nam aut per inductio- nem, aut per similitudinē, plerunq; uniuersale sumūt. singularia igitur omnia ponendum, si sint uera & probabi-

lia. ad vniuersale autem tentandum instantiã ferre. Nam sine instãtia vel quæ sit, vel quæ videatur, prohibere orationẽ, proteruire est. si igitur multis apparentibus, nõ dederit vniuersale, qui non habet instantiã: manifestum est quoniam proteruit. Amplius si neq; contra argumentari habeat, & nõ verum, multo magis videbitur proteruire. quãuis nec hoc sufficiat. nam cõplures orationes opinionibus cõtrarias habemus: quas difficile est soluere. velut Zenonis, q̃ non contingit moueri, neq; stadium pertransire. sed non propter id, quæ sunt opposita his, non ponendum. Si igitur qui neq; contra argumẽtari habet, neq; instare, non ponit: dilucidum quoniam proteruit. est enim in disputationibus proteruita, responsio præter dictos modos, syllogismi destructiua.

Aperiendæ sunt interrogationum formæ respõdenti, ut cõmodius disceptationẽ retinere possit citra proteruitã. Interrogãtur autẽ propositiones aliæ ad syllogismũ seu (ut prius dicebatur) ad oratione: & tales propriẽ syllogisticas cõuenit appellare, ex quibus propositũ concluditur. Aliæ vero interrogantur propositiones, propter syllogisticas: & tales sunt, quæ sumũtur ad constitutionem propositionum syllogisticarum per inductionẽ. nam nõ syllogisticas interrogari contingit syllogisticarũ gratia, cũ manifestũ sit eas alterius gratia sumi & interrogari à conclusione & principio probãdo: ex eo q̃ plura similia interrogant. Per inductionẽ enim & similitudinẽ in multis conãtur accipere interrogantes syllogisticas & vniuersales, quibus tandẽ habitis, syllogismum in rem propositam constituũt. Neq; tamen uelim auguretur quis, numq̃ aliter accipi propositiones vniuersales & syllogisticas, q̃ per inductiones, exemplares propositiones, parabolas, & analogiã: cum interdum & prosyllogismis vniuersales accipere licet. quod insinuasse uidetur particula (plerũq;). Quomodo igitur se habere debeat ad interrogationes illas, quæ vniuersaliũ causa suscipiuntur, respondens, nũc mōstremus: quia de interrogationibus ad syllogismũ seu orationẽ quam plurima dedimus notanda. singularia profecto respondẽs cõcõdet interrogata, si uera & probabilia existant, per quæ inductio ipsa exultat. uerũ conandũ est, ut instãtia asseratur ad vniuersale ex particularibus corruatũ. Non enim quẽadmodum in syllogismo expositis propositionibus necessaria ui infertur conclusio: sic in inductione

Propositio-
nes interro-
gant quẽdã
syllogisticæ,
quãdã nõ.

demittitur. nam inductio necessitatē non habet, ut sæpe dictū est. non enim oportet, si homines currāt, & equi, & canes, omnia currere animalia. Cauebit tamen respondēs, ne impediatur uniuersalis cōclusionē ex talibus particularibus ueris & probabilibus: qui non habeat instantiā, quæ uere prohibeat uniuersalis compositionē, uel quæ apparēter & probabiliter id efficiat. aliās proteruire diceretur respondēs: quam labem toto animo propulsare à se debet. Maxime is proteruire dicitur, qui neq; instantiā ullā profert, neq; habet quod opponat & obijciat in id, cur uerū non cōcludatur ex illis particularibus uniuersale: licet nō sufficiat ad prohibendū cōclusionē uniuersalis, habere rationes in oppositum: quæ plurimā consistant opinionibus ueris contrariarū rationes, quas etiā difficile est soluere: ut sunt Zenonis rationes cōtendētis nihil posse moueri, neq; posse quippiam stadium aliquod pertransire. uerūtamen non propter tales rationes negare oportet uel non ponere propositionē his oppositā, quæ est approbata, & cōtingit moueri. Quatuor rationes cōmémorat Arist. Zenonis in sexto physicorū, quæ difficultatem soluentibus & respondentibus asserūt. Prima quidem est ea quæ nihil moueri probare contēdit, propterea quòd prius ad medium oportet peruenire id quod fertur, quā ad finē. at magnitudo ipsa est infinita, infinitū autem percurri non potest. Secunda ea est quæ uocatur Achilles. est autē hæc, quæ tardius nunquā apprehendetur currēs à uelocissimo: ante enim necesse est eat persequens, unde mouit fugiēs. quare semper aliquo, id quod tardius est, antecedere necesse est. Reliquas ibidem inuenies, quas omittimus, ut ad rem per soluendā properemus. In omnibus itaq; qui neq; argumētari habet contra uniuersalis constructionē ex particularibus cōclusam, neq; instare aliquo modo potest, manifestum quoniam is respondens proteruit, inceptit, & morosum plus æquo se præbet, qui uniuersale negat. Nam proteruia in disputationibus, est responsio quæ sine instātia & ratione, destruit syllogismi cōtextū.

Sustinere autē & positionē & diffinitionē, ipsum sibi ipsi oportet præargumentando. Nam ex quibus interimunt interrogantes quod proponitur, manifestum quoniam is aduersandum.

Peropportunum fuerit respondēti, qui uelit defendere positionem aliquā, siue problema, ut prius in seipsum argumentetur, seu præuideat, quibus argumentis & incur sibus positionē à cōgrediēte demoliri cōtingit, & ordinare quæcūq; ad obiectiones afferri possunt. Nam qui præsenferit, ex quibus interimere tentabunt interrogantes positionē

Rationes
Zenonis ad
destructionē
motus.

In seipsum
argumentari
debet
respondens.

Et propositū, manifeste agnoscent, quibus resistendum sit. minus enim (ut dicitur) ferunt tela præuisa quā inopinata, & ab eisdem cauere facilius est. quare paratior exhibit ad certamē sustinendū de quouis problemate siue definitiuo siue generico uel alio, qui præsenferit argumēta & rationes, quibus positionis interrogans moliri potest destructionē.

Inopinabilem vero suppositionē cauēdum sustinere. Erit autē inopinabilis multipliciter. nam & ea, ex qua absona contingit dicere. vt si omnia dicat aliquis moueri, aut nihil: & quæcunq; peioris moris esse eligenda, & quæ contraria cōsilijs. vt quæ voluptas bonū, & iniuriam facere melius, quā iniuriā pati. nam nō vt orationis gratia sustententem, sed vt ea quæ videantur dicentem, oderunt.

Præter cætera appetere debet respondens, quot modis dicatur inopinabilis positio (nam nomine suppositionis, ut sepe dictum, utitur pro positione & problemate) ut ab ea cauere possit. nemo enim rem incognitā non reformidat, neq; ab ea cauere potest. Porro dupliciter est positio inopinabilis. Vel quia ex ea absurda quædā & præter opinionē contingit fateri: ut qui dixerit omnia moueri (ut Heraclitus) aut nihil (ut Zeno) Ex talibus enim positionibus nemo est tam infelicis ingenij qui nō multa incommoda colligere possit. Vel quæcunq; peioris moris eligenda quis defendit, & quæ cōtraria sunt omnium cōsilijs. ut eā positionē si quis constituerit, uoluptatē esse summū bonum (ut Eudoxus) uel iniuriā facere melius esse quā pati, defenderet, quemadmodum effutiunt ab omni uera religione & pietate alienissimi quidam: qui multo præstantius dicunt, iniuriā facere quā pati. Tales enim oderunt audientes, qui peioris moris positiones defendunt: nō propter disputationem & exercitiū, sed ut eligentes hæc & amantes, quæ dicunt & sustinēt. Quidā codices habēt, οὐ γὰρ ὡς λόγος χάρην ὑπέχοντα, alij ὑπεχόμενον, tu lege ut uoles. Boetius legit, sermocinationis causa inferentē.

Duplex positio inopinabilis.

Quæcunq; vero orationū falsum syllogizant, soluendum interimendo id propter quod fit falsum. Nam non is qui quoduis interimit, soluit: ne quidem si falsum est quod interimitur. habere enim potest plura falsa, oratio. vt si quis sumat sedentē scribere, Socratē uero sedere. accidit enim ex his, Socratē scribere. interēpto igitur Socratē sedere, nihil magis soluta est oratio, quanuis falsum sit postulatū, sed non propter id oratio falsa. nam si quis

fit sedens, nō scribens autē: non amplius in tali, apte accommodabitur eadē solutio. quare non id interimendū, sed sedentem scribere. non enim omnis qui sedet, scribit. Soluit igitur omnino, qui interimit id ppter quod fit falsum. nouit autem solutionem, qui scit q̄ propter id falsa oratio. quemadmodum in ijs quæ falso describuntur. nō enim sufficit instare, ne quidem si falsum sit, quod interimitur. Sed & id propter quod falsum, assignandum. sic enim erit manifestum, vtrum præuidens aliquid, an non, facit instantiam.

De recta solutione.

Quemadmodum non sufficiebat ad impediendum uniuersalis conclusionem, sine ratione instantia: sic nō apte & conuenienter dissoluet syllogismū, qui solum dicit, cōclusionē falsam esse, q̄ altera præmissarū sit falsa: sed oportet reddere causam falsæ cōclusionis determinatā. nā necesse est semper cōclusionē falsa in recto ratiocinio, & alterā præmissarum esse falsam, uel utraq; ut qui colligeret, quodd omnis lapis est animal, quoniā omne coloratum est animal, omnis lapis est coloratum, igitur est animal: propositio seu maior est causa conclusionis falsæ, cū assumptio sit uera. in talibus syllogismis, in quibus tantum altera falsa est, nō est difficile agnoscere causam falsæ conclusionis. Verum quoniā contingit utraq; esse falsas, non sufficiet ad diluendum falsitatē conclusionis, q̄ aliqua præmissarū sit falsa, dicere: cum etiam ex falsis concludatur, ut in secūdo Priorū monstratur. quare afferenda est illa quæ causa sit conclusionis falsæ. ut sit syllogismus ex ambabus falsis, Omnis sedēs scribit, Socrates sedet, igitur scribit: huius cōclusionis falsæ, nō est assumptio causa, licet falsa sit. nam si cōstituatur illa uera, Socrates sedet, non minus falsa erit conclusio. quare notum est, q̄ causa falsæ conclusionis non erat assumptio falsa: cū ea posita uera, adhuc conclusio sit falsa. nā si quis alius à Socrate sit sedēs, & non scribēs, non amplius in Socrate & in tali assumptione apte conueniet illa solutio, quæ dicebatur, quia assumptio falsa sit, & conclusio. proinde non uenit interimēda assumptio, sed propositio hæc, omnis sedens scribit, quæ causa est conclusionis falsæ, quia falsa sit: cum non omnis qui sedet, scribit, uera sit. fecimus enim aliū quendam à Socrate sedentē, & non scribentem. quocirca is tantū soluere dicitur, qui interimit id propter quod sit falsa conclusio. Vnde lucidum euadit hac oratione (quanuis falsum sit postulātū) non esse intelligendam propositionē seu hanc orationē, om-

nis sedēs scribit: sed assumptionem & minorem hanc, Socrates sedet: quod Arist. monstrat illam falsam, esse causam conclusionis falsæ, & non hanc. simpliciter autē is nouit solutionem, qui scit causam ob quam falsa est conclusio (nam cognitio causæ scientia est, ut dicitur in Posterioribus) nō autē qui solum scit propositionē esse falsam: quemadmodū notum esse potest in ijs, quæ in geometria falsō describuntur. non enim sufficit in talibus dicere, propositionē esse falsam secundū dictionē: sed & propter quid falsa conclusio sit. sic enim manifestū fit, quod sciens & intelligens facit instantiam, & non fortuito quodam euentu.

Est autem orationē prohibere cōcludi, quadrupliciter. Nam aut interimēdo id propter quod fit falsum. A ut ad interrogantē, instantiam dicendo. sæpe enim non soluit quidem: qui tamen interrogat, non potest longius producere. Tertium autē, ad interrogata. accidit enim ex interrogatis quidem non fieri quod volumus, eo quod non bene interrogata sint: addito autē aliquo, fieri conclusionē. si igitur non amplius potest producere interrogans, ad interrogantem erit instantia: si autē potest, ad interrogata. Quartum autē, pessima est instantiarū, quæ ad tēpus. nā quidam talibus instant, ad quæ disputare pluris est tēporis quā præsentis exercitationis. Instantiæ igitur, ut dictū est prius, quatuor modis fiunt. Solutio autē est earū quæ dictæ sunt, prima tantum: reliquæ autē prohibitiones quædam & impedimenta conclusionum.

De solutione orationis recta per interitū propositionis falsæ, dictū est: nūc de prohibitionē est uidendum. non enim idem sunt, soluere & prohibere orationē. nā soluere est ipsius cōclusionis, proinde semel tantum contingit soluere: at prohibere, est præmissarum ratione. quod contingit quadrupliciter. Prohibet namque respondens ne oratione & syllogismo inferatur conclusio, in primis quando destruit propositionem ob quā falsum concluditur ab interrogante. Et differt hic modus prohibendi à solutione. nā non soluitur oratio, nisi factō syllogismo & cōclusionē illata: quod soluere sit causam assignare & reddere falsæ cōclusionis: at prohibitio hæc non finit conclusionē inferri, sed ne inferatur, affert propositionē falsam esse, qua interrogans uult colligere. Secundo prohibet, ne quid colligatur, respondens, quando fit ad interrogantem instantia, & non ad orationem: ut quando non impedit oratio-

Prohibitio
argumenta
tionis quæ
druplex.

nem dictam, sed quia interrogans dubitat instantiæ solutionem obiectæ, prohibetur oratio ad propositam peruenire conclusionē. Tertio impedit, quando ad interrogata instat, etsi uera sint quæ interrogantur: quia male interrogantur, uel quippiam deficiat, uel non habeant rectam habitudinem ad syllogismum. proinde quum nihil inde concludi demonstrat respondens, tunc dicitur instare ad interrogata: ut qui dicit, ex particularibus, uel negatiuis ratiocinari, uel quia non bene hæc disponuntur. Ad interrogantē uero fit, ut dictum est, quando facta instantia non destruitur oratio, quin colligat: uerū, quia interrogans obiectam instantiā non potest soluere, ad interrogantem dicitur facta instantia. Postremus instandi modus, est ad tempus: quando fit instantia quæ maiori tempore indiget ut discutiatur, quæ ferat præsens aliqua disceptatio. prohibetur tamen interrogans colligere tali instantia: quod oporteat primū dissoluere instantiam obiectam. uerū quia demonstrare instantiā non impedire conclusionem, maioris & difficilioris est negotij, quàm requirat disputatio, ad tempus dicitur esse. In hanc profectop plurimi delabuntur: qui alio prætextu argumenta nequeunt effugere: quia omnium pessima est instantiarū. Quatuor igitur sunt modi instandi: uel quia præmissæ falsæ sunt, uel male disponuntur, uel quia instantiam non intelligit interrogans, uel si intelligat, tam breui tempore disputationū non potest reprobare. unde notum est, ex his quatuor instantijs tantum primam significationem pertinere ad solutionem: reliquas uero esse impedimenta & prohibitiones, ne conclusio inferatur ex interrogatis: quibus potissimum conueniet uti, dum morosior nescio quis interrogans impetum fecerit turbulentiorē.

Inculpatio uero orationis, & secundum ipsam orationem, & quando interrogatur non eadē. Plerunq; enim, quod non bene disputatur oratio, is qui interrogatur, est causa: co quod non concedat ex quibus probe erat disputare ad positionem. nam non est in altero solo, bene absoluere commune opus. Necessariū igitur quandoq; ad dicentem, & non ad positionē, argumentari: quando is qui respondet, cōtraria interroganti obseruat corroborans. proteruientes igitur, altercatorias, & non dialecticas faciunt exercitationes. Amplius autē quia exercitationis & experimenti gratia, & non doctrinæ huiusmodi sunt orationes, perspicuū quoniam non solum uera syllogizan-

dum, verum etiam falsum: nec per vera semper, sed quandoq; & per falsa. Sæpe enim vero posito, interimere necesse est disputantē. quare proponēda falsa. quandoq; autem & falso posito, interimendū per falsa. nihil enim prohibet, alicui videri quæ non sunt, magis quàm vera. quapropter ex ijs quæ illi videntur, oratione facta, magis erit suafusus quàm adiutus.

in ipso huius libri uestibulo partiti sumus quod reliquū erat, in tria membra, ad cōmodiorem huius cognitionē. Primum cōtinuit præcepta, quæ ad ordinē interrogātorum & respondendorū pertinebant. Secundum uero mōstrabit orationū increpationes & uitia: & primū, inculpationē orationis secundū se nō esse eandem ipsi quæ ratione interrogationis profecta est. nō enim ea est inculpatio in disputatione, quæ secundum se inquiritur & perpeditur, ac si per interrogationē fiat. nepe oratio secundū se considerata, increpatur ea, quæ a syllogistica est, siue per falsa demonstrat, siue per ignotiora: de cuius modis mox dicemus. at increpatio disceptationis, quæ interrogatione assurgit, est quādo is qui interrogatur, nō dialectice respondet. nam sæpe non est causa prauæ disputationis interrogās, qui propositiones interroget conueniētes ad positionē: sed respondēs, qui non concedit interrogationes ex quibus licebat bene & dialectice disputare ad positionē & problema. Nō enim in solo interrogāte est constitutum, syllogismū componere dialecticū, quæadmodum neq; in respondente: sed in utrisq; disputatione siquidē & syllogismus dialecticus commune est opus & interrogātis & respondentis. nam interrogās ex concessis à respondente conclusionē deicit. proinde oportet, ut proba fiat disputatione, utrunq; concurrere ad syllogismi absolutionē. quod fiet, si interrogās, ut dictū est, interroget: & respondens respondeat similiter. quod si taliter non responderit, necessarium fuerit dialecticas interrogationes ad propositū non fieri. ut qui opposita his quibus est opus ad differendum concedat, nō autē ea ad propositū attinētia. idcirco cogitur interrogās discedere à proposito, & ad dicentem, id est, respondentem argumētari, & eas propositiones, quas concessit, non ad positionē. quare necessarium fuerit non dialecticas exerceri disputationes, sed proteruientes & altercatorias: quæ interrogans omni modo contēdat circūuenire respondentem. uerum huius altercationis & uitiosæ disputationis respondēs est causa, nō interrogans: qui propositiones ad opus quærat opportu-

Nō eadē inculpatio orationis secūdu se & quādo interrogatur.

nas. Insuper orationes ipsæ per se consideratæ aliquæ sunt falsæ: quas tamen, dum probabiles fuerint, nemo iuste increpare debet. quoniã disputatio dialectica exercitiũ & experimenti fit gratia, non autẽ disciplinæ & sciẽtiæ. quare non ueniet increpandus interrogans, qui falsã requiret: quoniã non solum habet ratiocinari uerum, sed & falsum. in utranq; enim partem contradictionis disputat per probabilia, quibus contendit nũc positionem ueram, nunc falsam ratiocinari. quum igitur sit positio uera, in quam certandũ est, interrogatæ propositiones, quibus euertere curabit interrogans, falsæ erunt: quòd oporteat colligere falsum positioni ueræ oppositum. nam si ueræ essent, cõclusio uera constitueretur. quoniã ex ueris sequitur uerum semper. quare si disferat dialecticus in positionẽ uerã, quam nõ nisi falsis oppugnare licet, necesse fuerit interrogantẽ propositionibus uti falsis ad syllogismum. Interdum positionem falsam licebit & per falsa interimere: cum nihil prohibeat, ut ea quæ nõ sunt uera, sed falsa, magis uideãtur esse, & probabilia existant, quàm uera. quocirca si fiat syllogismus ex ijs falsis, quæ illi uidentur magis, q̃ uera, credet rei ostensæ & conclusæ.

Dialecticus
ex falsis dif-
ferit.

Oportet autem eum qui bene transfert, dialecticẽ & non contentiosẽ transferre. Vt geometram geometricẽ: siue falsum siue uerum sit quod concludendum est. quales autem dialectici syllogismi, dictum est prius.

EI lapsus nõ
dialecticus
est increpã-
dus.

Qui uelit transferre orationem ex ueris ad falsum, uel contra, ex falsis ad uerum, ut oppositum per oppositum ostendat: id faciendum est dialecticẽ, id est per probabilia, & nõ contentiosẽ per apparẽtia tantum & cute tenus probabilia. Vt geometer geometricẽ monstrat, quãdo per principia geometriæ demonstrationes corrogat. sic dialecticus dialecticẽ differet, qui propositiones probabiles, siue ueras siue falsas, afferet ad syllogismũ comprobatiuũ cõclusionis. tales esse syllogismos dialecticos, qui ex probabilibus sunt, dictum est.

Quoniã autem malus particeps, qui impedit commune opus, patet quòd & in orationibus. nã cõmune quippiam quod proponitur & in illis est: præterq̃ in concertantibus. his autem nõ est eundem utrũsq; finem assequi. nam plures vno impossibile est vincere. Differt autẽ nihil siue in respondendo, siue interrogãdo id fiat. nam & qui cõtentionosẽ interrogat, prauẽ disputat: & qui in respondendo non dat quod uidetur, neq; suscipit quicq; quod

vult interrogans interrogare. Manifestū igitur ex ijs que dicta, ꝓ non similiter inculpandum & secundum seipsam orationem, & interrogantē. Nam nihil prohibet orationem quidem prauā esse, interrogantem vero, vt possibile est, optime contra respondentem disceptare. nam contra proteruos nō possibile fortasse statim sumere quales quis vult: sed quales fieri possibile, faciendi syllogismi.

Quū malus is sit, qui cōmune quoddam bonū opus impedit, manifestum est ꝓ in orationibus dialecticis is malus est dicēdus & increpandus, qui cōmune opus dirimit: ut qui disceptationis & congressus dialectici occasionem aufert. nā commune quidpiam per syllogismum experimenti gratia proponitur interrogāti & respōdēci. quare siue hic, siue ille ipsum impediuerit, exprobrabitur. In cōcertationibus & sophisticis digladiationibus nullum assignatur cōmune opus. nam utriq; decertantes sophisticæ, cupiunt uincere apparēer. uerum impossibile est uictoriā esse utriq; cōmuni: quum uno plures non sit possibile uincere. Nihil differt siue interrogās, siue respondens cōmune impediuerit opus. nam impediēs uterq; contentiosam disputationē effecerit: ut interrogās, si contentiose interroget: & respondens, si non det probabilia, neq; possit interrogās accipere à respondente que uult ad dialecticum congressum per interrogationes. quare manifestū est non esse eandem increpationē orationis secundum se, & in interrogatione. nam cōtingit mala oratione secundū se considerata, interrogantē bene differere in respondentē. ut si proteruus sit & difficilis respondens, non facile accipiet probam orationem ad differendū in ipsum. quare quibusuis conatur laxessere, & inopinabilibus ratiocinabitur: quum tales illi concedat morosus is, & non probabiles, quibus iusta ueniebat disceptatio facienda. quare postq̄ solum habet connectere syllogismū ex concessis, si inopinabilia ab eo admittantur, illi talibus pugnam minabitur nam cum probabiles sciscitatur, eas refugit respondens, quibus oportet differere in positionem: quas cum non admittat desideratas, quibus potest, non quibus uult, congregitur differens.

Quoniam autē est indeterminatarum quando contraria, & quando ea quæ sunt in principio, sumunt homines (nā plerunq; per seipsos dicentes, contraria dicunt: & abnuentes prius, dant posterius. eo ꝓ interroganti & cōtraria, & quæ in principio, plerunq; obediūt) necesse est pra-

Increpatur oratio quod respōdens vel interrogans cōmune opus impedit.

uas fieri disputationes. causa autē est qui respondet, hæc quidē nō dans, illa autē talia dans. manifestū igitur quoniā nō similiter inculpandū & interrogātes, & orationes.

Vitiosam reddi oppositorū ut positionis orationē indicat terminato

Sæpe contingit malas & vitiosas esse disputationes, ob id quod non determinantur & ignota sint, quando opposita, & quando ea quæ ex principio, accipiunt. ut qui omnia ponit secundum fatū esse, & quippiam liberum nobis inesse, is se dicere opposita ignorat. & qui infinitum à seipso complecti dicit, is idem faciet finitum & infinitum. similiter si dicatur & ponatur, quod diuitiæ sunt bonum, & interrogans inquirat, sit ne quo bene & male contingit uti, bonum, an non? si dixerit respondens, uel non, uel sic: uidebitur fieri disceptatio sophistica. nā si dixerit, non esse bonū, cui conuenit bene & male: nō habetur simpliciter destructio positionis: quia bonū multiplex sit. Proinde in omnibus illis causa est reprehensionis respondens, qui non utitur distinctione & determinatione, alia concedendo, alia negando. nā disceptatio sic in confusione posita, nō poterit esse proba. Ex his patet, orationē non eodem modo dici increpandā, ut est in interrogatione, & per se cōsideratur.

Orationis autē secundum seipsas quinque sunt inculpationes. Prima quidem, quādo ex interrogatis non cōcluditur, neque quod propositū est, neque omnino quicquid cum sint vel falsa, vel inopinabilia, aut omnia, aut plurima, in quibus consistere debet cōclusio. & neque ablati quibusdam, neque additi, neque his quidem ablati, illis vero additis, sit conclusio. Secunda autem, si ad positionē non fiat syllogismus: & ex talibus, & eo modo quo dictū est prius. Tertia uero, si additi quibusdā fiat syllogismus: hæc autem sint deteriora ijs quæ interrogantur, & minus probabilia cōclusionē: etiam si ablati quibusdā. nam quandoque sumunt plura necessarijs quare nō eo quod hæc sunt, sit syllogismus. Amplius, si ex inopinabilioribus & minus credibilibus conclusionē: aut si ex ueris, sed maiore opera indigentibus demonstrari, quā problema.

Increpatur oratio secundum se quinque modis.

Demonstrauimus distinctionē inter increpationē orationis per se cōsideratæ, & ut interrogatur. Nunc modi increpationum orationis secundum se numerantur quinque. quarū prima est, quādo ex illis interrogatis nihil cōcludi omnino potest, sed sunt asyllogistica: siue falsæ sint,

sive inopinabiles: sive quaedam, sive omnes, à quibus inferatur conclusio. Insuper neq; ablatis quibusdam, neq; appositis potest cōcludi intentio. simpliciter quando inepta est coniugatio & asyllogistica, quarumcunq; fuerit propositionū, illa per se est uitiosa. secunda, quando syllogisticae sunt propositiones, quæcunq; fuerint: sed non cōclusivæ propositi. sicut dictum est prius, id est, in prima increpatione: sive sint inprobabiles, sive probabiles, sive ueræ, sine falsæ. ut est Parmenidis in primo physicorū ratio. Tertia, quando per additionē potest syllogismo cōcludi propositum: uerūtamen quod apponitur, est deterius interrogatis & positis, & minus probabile conclusione. Quando enim notiora relinquuntur, & accipiuntur ignotiora, talis oratio est increpatione digna. Quarta, quando per ablationem fit syllogismus: quod cōtingit, si plures necessarijs ad syllogismum, quæ tantū duæ sunt, sumātur. Quinta uero, quando ex inopinabilioribus & minus credibilibus conclusione: uel ex ueris, sed difficilioribus ad demonstrandum, quā problema & positio. Quidā codices habent, $\epsilon\tau\iota\ \acute{\alpha}\ \epsilon\grave{\iota}\ \epsilon\upsilon\delta\ \omicron\ \xi\omicron\tau\ \epsilon\grave{\rho}\omega\mu\upsilon$: ego uero lego, $\acute{\alpha}\delta\ \omicron\ \xi\omicron\tau\ \epsilon\grave{\rho}\omega\mu\upsilon$.

Non oportet autem ex omnibus problematis syllogismos existimare similiter probabiles esse, & suasibiles. natura enim statim sunt aliqua quidem faciliora, alia uero difficiliora, eorū quæ interrogātur. quare si ex aliquibus, ut fieri potest, maxime probabilibus, cōiecturam fecerit: disputatum bene est. Manifestum igitur quoniā orationis non eadem inculpatio, & ad problema & secundū se. Nam nihil secundum se quidem orationem prohibet esse vituperabilem, ad problema autē laudabilem. & rursus ediuerso, secundum se quidem laudabilem, ad problema autem vituperabilem: quando ex pluribus est facile cum probabilibus tum ueris concludere.

Licet uelimus syllogismū dialecticū fieri ex propositionibus probabilibus, ad differendū in quoduis problema, nō tamē augurari cōuenit, q̄ omnium problematū propositiones sint similiter probabiles & credibiles: quoniam problematum uariæ sint differentiae. nam quaedam facile probantur, quaedam difficile: ut de astrorum paritate uel imparitate. quare non est possibile, quæ magno intervallo dissident, eisdem probari & similiter credibilibus. uerum abunde & pulchre fuerit disceptatum ad unumquodq; problema, quādo continget ex probabilibus

Nō eadem
propositio-
nes omnis
quadrant
probandis.

maxime, quantum feret negotiū, fidem facere non inconstantē. quare nō est increpanda oratio, quōd maxime probabilem non faciat positionē. Vnde manifestum esse potest, non esse eandem increpationem orationis secundum se, & ad problema collatæ. nam diximus, ex eo q̄ sumerentur propositiones obscuræ, eas esse secundum se increpabiles. At si conferantur problematibus, q̄ illis uideantur probabiliores, nō erunt dignæ increpatione: & contra, quæ per se inculpabiles sunt, ad problema sūt uituperabiles. ut si ex pluribus problema mōstrari possit, tum probabilibus, tum ueris & notis, qui mōstrauerit ignotioribus problema, increpabitur: quōd notioribus magis sit ostendendum.

Erit autem quandoq; oratio etiam concludens q̄ non concludens deterior. quando illa quidē ex absurdis concludit, cum non sit tale problema: hæc autem indigeat talibus quæ sunt probabilia & vera, & nondum ex assumptis sit oratio.

Ad problema oratio per se inculpabilis est ueriosa, & contra.

Orationē secundū se cōsideratā & ad problema non æqualiter increpari, ex eo fit notu, quōd tam datur oratio quæ ad problema confertur deterior, & quæ ipsum cōcludit, q̄ nihil colligens. secundum se quidē peior est oratio, quæ non per posita colligit p̄positū, ea, quæ per accepta syllogistice ostēdit. Verum si ad problema fiat relatio, aliquando uidebitur oratio nō cōcludens melior concludente: ut si colligat ex ijs quæ sunt absurda & inconsueta, problemate non existente tali.

Eos autem qui per falsā verum concludunt, non iustum est inculpate. Nam falsum quidem semper necessē est per falsa syllogizare: verum autem est quandoq; per falsa syllogizare. manifestum autē id ex analyticis. Cum autē demonstratio sit alicuius dicta oratio, si aliquid est aliud quod ad conclusionem nullo modo se habet, non erit ex illo syllogismus. si autem appareat, sophisma erit, non demonstratio. Est autē philosophema quidem, syllogismus demonstratiuus: epicherema autem, syllogismus dialecticus: sophisma uero, syllogismus cōtentiosus: aporema autem, syllogismus dialecticus contradictionis.

Oratio q̄ colligat falsum, nō increpanda.

Non semper fuerit iustū eos redarguere & increpare, qui per falsā uerum ipsam colligūt: q̄ dixerimus nōnunq̄ falsa ueris probabiliora. Quicūq; igitur per falsa probabiliora ueris ratiocinabuntur, dialecti-

cam obseruant legem: at si per falsã obscuriora colligeret, digni increpatione uenirent. Falsum autẽ, quod tantũ per falsum est, si probabilius altero fuerit, ad probationem alterius falsi afferetur. sed de his copiosus est in secundo analyt. Priorum tractatus. Ad demonstratiõẽ uero quicquid assertur, debet esse proprium & immediatum: quæ sit oratio & syllogismus, alicuius cõclusionis appellata per prima & uera. quare si quid afferatur ad conclusionem demonstrandam, quod nullo se habet modo, id nullam proprietatẽ referat, neq; fiet ex illo syllogismus, neq; conferat ad demonstratiõẽ. quod si uideatur cõferre ad demonstrandam cõclusionẽ, non erit per id demonstratio, sed sophisma. Est autẽ $\phi\lambda\sigma\sigma\phi\mu\mu\alpha$, syllogismus demonstratiuus: $\epsilon\pi\iota\chi\epsilon\rho\mu\mu\alpha$, syllogismus dialecticus: $\sigma\phi\sigma\mu\alpha$ autem, syllogismus cõtentiosus: $\alpha\pi\sigma\theta\eta\mu\alpha$ uero, syllogismus dialecticus contradictionis.

Si uero ex utriusq; quæ uideantur, aliquid ostendatur, non autẽ similiter uideantur: nihil prohibet quod ostenditur, magis altero uideri. Sed si hoc quidẽ uideatur, illud autem neutra parte: aut si hoc quidem uideatur, illud autem non uideatur: si similiter quidem, similiter utiq; erit, & non. si autẽ magis alterum, sequetur quod est magis.

Conferuntur & propositiones problemati uaria habitudine. nam uel utraq; sunt probabiles, non tamẽ æqualiter, ex quibus ipsum problema ostẽditur: sed una est magis probabilis, altera minus. nihil certe prohibet, quod demonstratur problema per has, utriusq; esse probabilis: quũ possibile sit, nõ ualde probabilibus existẽtibus propositionibus, cõclusionẽ ualde esse probabile. si uero altera sit probabilis, altera neutra, id est, neq; probabilis, neq; improbabilis, accedet ad naturã præstantioris. Vel si una sit probabilis, reliqua autẽ non sit probabilis, sed inopinabilis, cõsequetur naturã maioris, id est, probabilioris seu probabilis, & nõ opinabilis. si uero similiter, id est, similes sint propositiones & æqualiter probabiles, uel non: & cõclusio similis erit, uel nõ. speculationẽ illã omitto, qua inquirũt docti, oporteatne magis credere præmissis quàm cõclusioni: quod multis uoluminibus cognoscam fuisse definitam. Habent codices, $\delta\upsilon\delta\epsilon\iota\mu\ \kappa\omega\lambda\upsilon\alpha\ \tau\ \delta\epsilon\iota\chi\theta\epsilon\iota\mu\ \mu\epsilon\lambda\lambda\omicron\upsilon\ \rho\ \epsilon\iota\kappa\tau\epsilon\iota\varsigma\ \delta\omicron\kappa\epsilon\iota\varsigma$, id est, nihil prohibet, quod ostenditur, magis utroq; uideri.

Conclusio
quomodo
naturã præ
stantiorẽ
sequatur.

Est autem quoddam & idem ad syllogismos peccatũ: quando ostenditur per longiora, quod cõtingit per breuiora, & quæ orationi assunt. Vt quod est opinio magis al-

tera, q̄ altera: si quis petat ipsum vnūquodq; maxime esse, esse autem opinabile, ipsum quod vere est. quare quorūdam magis esse ipsum. ad quod autem magis, magis dicitur esse. esse autem & ipsam opinionē veram: vel erit magis exacta, quā alia. petitum est autem, & ipsam opinionem verā esse, & ipsum vnumquodq; maxime esse: ita vt ipsa opinio maxime vera, certior sit. sed quæ nequitia? an quòd facit circa id cuius est oratio, latere causam?

Vitiosa oratio plus a quo redundans est.

Si magni sit honoris, posse in perspicuā & uiuam quandam imaginē transmutare, quod latet: profecto flagitijs & increpationibus plenum fuerit, quod palam est, tanq̄ in Scotini scoto occultare. Verum qui per longiora & plurima, quædam ratiocinari contendunt, quæ breuius & quasi signo manifesta euadere possunt, hi obtenebrant ueritatem, & fidem: quare non peccati notam effugient. ut qui uelit ratiocinari & probare, quòd quædam opinio est magis opinio q̄ altera: huius fides facilis habetur, quoniā in quibuscūq; est quippiam proprie idem, & quippiam nō proprie idem, seu, si mauis, ipsissimum, & nō, in his est magis & minus: at in opinione est aliquid proprie idem, & non idem: ipsissimum, & nō. vel sic in paucis mōstratur: Omne quod proprie & improprie dicitur, est magis & minus: opinio autem proprie & improprie dicitur: igitur opinio altera magis q̄ altera. Si quis itaq; ipsum propositū per multa ostendat, quæ in paucis eadem licet accipere, peccabit. ut qui quærit, in quibus aliquid idem proprie & non, habetur, in eisdem αὐτοῦ ἑαυτοῦ, id est, ipsum unūquodq; maxime esse. simul accipit proprie maxime opinabile esse αὐτοῦ ἄλλωθεν, id est, ipsum quod uere est. quare manifestū est opinabile maxime, ut αὐτοῦ ὁ ἑαυτοῦ, id est, ipsum opinabile, magis esse opinabile quibusdam: at id omne quod ad magis fit, id magis dicitur esse: ut si ad scibile, sciētia: & ad magis scibile, magis sciētia dicitur. & si sensus ad sensibile, & ad magis sensibile magis sensus. postq̄ igitur opinio dicitur opinabilis, & magis opinabilis dicitur magis opinio: at αὐτοῦ ὁ ἑαυτοῦ, id est, ipsum opinabile quod est ipsius ueri, est magis opinabile: igitur αὐτοῦ ὁ ἑαυτοῦ, id est, ipsa opinio erit magis opinio, quæ est ipsius ueri, q̄ altera, uel magis exacta dicitur alijs opinionibus. nam quæadmodū opinabilia nō sunt æqualia, sed alia magis & alia minus: sic & opiniones alia magis, & alia minus. qui autem per talia propositi demonstrationē curat, quærit opinionem quandam ueram proprie. nam petitum est αὐτοῦ ὁ ἑαυτοῦ, id est

ipsam opinionē, ueram esse, & αὐτοδ' οὐκ ἄσῳρ ipſius ueri, simul αὐτοὺς οὐκ ἄσῳρ, id est ipſum unumquodq; maxime esse. ex quibus conclusum est propositum, quod opinio aliqua magis est opinio quā altera. ut ea opinio quæ maxime uera est, exactior altera dicitur. In talibus itaque orationibus uitium fuerit, q̄ longo uerborū ambitu & externa multiplicatione cōclusionis causa obtenebratur & mediū per quod fit syllogismus. Libenter legerem αὐτοδ' οὐκ ἄσῳρ ἀληθῶς, ubi legitur δ' οὐκ ἄσῳρ αὐτοαληθῶς. ut diceretur proprie opinabile, quod uerum est. non enim est opinabile αὐτοαληθῶς, id quod proprie uerum est. quis enim quā clarissima principia, quæ proprie uera sunt, esse opinabilia diceret, nisi qui scientiam & intellectum opinionem fecerit? Ad id facit, quod sequitur, ubi habetur, αὐτοδ' ὄξαυ ἀληθῆ. & iterum, αὐτοδ' ὄξαυ ἀληθῆ εἶναι: non autē δ' ὄξαυ αὐτοαληθῆ. Deniq; ut argumētatio fiat ab eo quod ipſum opinabile dicitur, ad ipsam opinionē dictā. In istis omnibus accipias ipſum, ut proprietatē dicat, ut αὐτοδ' ὄξαυ, id est ipsa opinio, propriam opinionē monstrat, & maxime dici uult. nam αὐτό sic à Platone accipitur. Verum ne quid desideres, & quia totus erat corruptus latinus codex, & quia nō nisi græco sententia sermone intelligatur, hunc contextum subiiciemus: εἰ δ' ἔτις ἀμαρτία κ̄ αὐτῆ κατὰ τῶς συλλογισμῶς, ὅταν δ' εἴη δ' ἄμαρτοτέρων, ἐν δ' εὐχόμεον δ' ἔλαττόνων, κ̄ ἐν τῷ λόγῳ ὑπαρχόντων. οἷον ὅτι εἰ δ' ὄξα μάλλον ἔτερά τεράς, εἰ τις αἰτιῆται το αὐτοὺς κ̄ αὐτοὺς μάλλον εἶναι, εἶναι ἢ δ' οὐκ ἄσῳρ αὐτοαληθῶς, ὥς ἐ τῶν ἴσῳρ μάλλον αὐτό. πρὸς ἢ δ' μάλλον, μάλλον ἢ λεγόμενον εἶναι, εἶναι δ' ἔτι αὐτοδ' ὄξαυ ἀληθῆ, ἢ ἔσαι μάλλον ἀκριβῆς τῶν τινῶν. ἢ τῆται ἢ, κ̄ αὐτοδ' ὄξαυ ἀληθῆ εἶναι: αὐτοὺς κ̄ αὐτοὺς μάλλον εἶναι, ὥς αὐτῆ ἢ δ' ὄξα ἢ μάλλον ἀληθῆς, ἀκριβέστερα εἰ. τίς ἢ ἢ μοχθηρία; ἢ ὅτι ποιεῖ, πρὸ δ' ὁ λόγος, λαυθάνει ἢ αἰτιον;

Oratio autem est manifesta, vno quidem modo & publicissimo, si sit concludens sic, ut nihil oporteat interrogare. vno autem, & qui maxime dicitur, cum sumpta quidem sint ex quibus necessariū est conclusionem esse, quæ quidē sint per conclusiones conclusa. Insuper si id omititur, quod valde probabile est.

Oratio tribus modis manifesta & uera deprehenditur. Primo, qui manifestissimus & omnibus notus est: quando ex talibus propositionibus colligit rem propositam, ut nihil cogatur interrogans petere à respondente ad cōclusionem illius ostendendā: q̄ tam claræ sint propo-

Oratio tribus modis manifesta. Primus.

s. cundus. sitiones, ut nemo sit tam prophanus, qui nō eas cognoscat. Vana pro-
 fecto est notissimarū interrogatio. quare talis oratio quæ decurret ex
 notis & maxime probabilibus propositū concludens, nota primo mo-
 do dicatur. Secundo autem, qui maxime dicitur, id est, qui cōsuetus est,
 quādo fit oratio & syllogismus ex ppositionibus manifestis, nō per se,
 sed quæ per alias cōprobatae sunt manifestæ: quæ admodū cōtingit pro-
 syllogismis uti ad propositiones probandas, quibus differendum est.
Tertius. quando igitur fit syllogismus propositionibus his, quæ manifestæ sunt
 per alias, is clarus est hoc modo. Tertio, quando omittitur altera præ-
 missarum, q̄ clara sit & omnibus peruia, ea oratio dicitur manifesta:
 quod accidit in enthymematibus. Quibusdam uoluminibus sic legitur,
 ὅτι τὰ ἐλημμένα μὴ ἢ ἐξ ὧν ἀναγκαῖον εἶναι, ἐν ᾧ ὁ δὲ συμπερασ-
 μάτων συμπεραζόμενα: in alijs, συμπεραζόμενος. Insuper τὸ
 σφόδρα ἐν δ' ὄξωρ habent quidam, ἐν δ' ὄξωρ uero alij.

Falsa autem oratio vocatur quadrupliciter. Vno qui-
 dem modo, quando apparet concludere quæ non cōclu-
 dit. vocatur autem apparēs, litigiosus syllogismus. Alio
 modo, quando concludit quidē, non tamē ad propositū.
 quod accidit maxime in ijs quæ ad impossibile ducūt. Aut
 ad propositum quidem cōcludit, nō tamen secundū pro-
 priam disciplinam. hoc autem est, si ea quæ nō est medi-
 cinalis, videatur esse medicinalis: aut geometrica, quæ nō
 est geometrica: aut dialectica, quæ non est dialectica: siue
 verum siue falsum sit quod accidit. Alio autem modo, si
 per falsa concludit. huius autē erit quandoq; quidem cō-
 clusio falsa, quandoq; autē vera. nam falsum quidem sem-
 per per falsa concludit: verum autem possibile est & nō
 per vera, vt dictum est prius. Quod autē falsa sit oratio,
 dicentis peccatū potius est, q̄ orationis. at ne quidē di-
 centis semper, sed cum lateat ipsum q̄ falsam orationem
 dixit aliquam. eo q̄ secundum se suscipimus cū pluribus
 veris quippiam amplius. Si ex ijs quæ maxime videntur
 interimit aliquid verorum (talis enim existens, verorum
 demōstratio est) oportet sanē positorū aliquid non esse
 omnino. quare erit huius demōstratio. Si autem verum
 cōcludat per falsa & valde absurda, cō pluribus deterior

erit, quæ falsum syllogizant. erit autē talis, & quæ falsum cōcludit. Quare manifestū, q̄ prima quidem cōsideratio orationis secundum seipsam est, si cōcludit. secunda autem, vtrum verū an falsum. tertia vero, ex qualibus quibusdam. Nam si ex falsis quidem, opinabilibus autē, rationabilis. si autē existētibus quidem, sed inopinabilibus, praua. si vero & falsa & valde inopinabilia sint, dilucidū quòd praua, aut simpliciter, aut ad rem.

Mendax oratio quatuor modis fieri dicitur. Vno quidem modo & primo, si uideatur concludere propositum, non tamen colligat: sed sit asyllogistica. quam iure optimo uocaueris litigiosam, quæ ex apparentibus & non existētibus uideatur colligere, at non colligit. Nam inter modos litigiosorum syllogismorum hic reponebatur, qui non colligeret ex apparentibus tantum. Secundo, quando oratio ipsa colligit, sed nō propositū ex acceptis. quod maxime uidetur accidere orationibus per impossibile quippiam demonstrantibus. in ostensione enim per impossibile, propositum non concluditur, sed tantum deductione ad impossibile reuersio fit ad propositum. De cuius natura & modis in secundo Priorum analy. disseritur, ubi & syllogismus falsi dicitur, & nō propositū colligens. Tertio modo falsa est oratio, quæ assumptis concludit propositū, sed nō per propria proposito demonstrado. ut si quid medicinale per ea quæ non sunt artis medicinae, sed per aliena quædam mōstret: uel quippiam demonstrat geometricū, per nō geometrica, siue uerū siue falsum concludat, nihil refert: quòd tantū hoc modo falsa dicitur, quoniā per nō propria proposito ostēdat. ut ea quæ ementitur medicinale probationē ad medicinale mōstrandū, quæadmodū illa quæ affertur ad fidē, q̄ uulnus siue ulcus aliquod difficillime sanetur, quòd rotundū est: quoniā figurarū omniū capacissima sit, quæ circularis est. oportet enim in singulis rebus subiectis proprias asferre & subiectas ratios: ut in phisicis, phisicas: in logicis, logicas. nō enim omnibus omnia sunt conuenientia. Quæ igitur rationes fuerint extra rē subiectā adductæ, siue uerū siue falsum collegerint, falsæ denūtiantur. Postremo dicitur falsa oratio, quæ per falsa quid concludit & immediata (sunt enim & falsæ propositiones immediatæ uti immediatæ ueræ) nō tamen propter quid, sed quia est, cuius aliquando cōclusio falsa fuerit, aliquando autem uera. nam cōtingit falsis propositionibus & uerum & falsum concludere: ut sæpe dictū est, & monstrat in secūdo Poste

Falsa oratio
quadrifariā
Primo.

Secundo.

Tertio.

Quarto.

dum est. Petere autē videtur id quod in principio quinque modis. Manifestissimo quidem & primo, si quis id ipsum quod monstrari oporteat, petat. hoc autem in eo ipso quidem, nō facile latere potest. in synonymis autē, & in quibuscunq; nomen & oratio idem significat, magis. Secundo autē, quando quod particulariter oporteat demonstrare, vniuersaliter quis petat. vt qui argumentatur, & contrariorum vna disciplina, omniū oppositorum postulauerit vnam esse. nam videtur, id quod oportebat secundum se ostendere, cū alijs petere pluribus. Tertio, si quis quod vniuersaliter est ostendere propositum, particulariter petat. vt si de omnibus cōtrarijs propositū est, de aliquibus postulet. videtur enim hic, quod cum pluribus oportebat ostēdere secundū se, extrā petere. Rursus si quis diuidens, petat problema. vt si oportet ostendere medicinam sani & ægri, extrā, vtrūq; postulet. Aut si quis eorum quæ sequuntur seinuicem ex necessitate, alterū petat. vt latus incommensurabile esse diametro, si oporteat ostendere, quōd diameter lateri.

Supereſt ut reliqua duo vitia, quæ orationem ipsam cōspurcant fœdissime, pro huius secundæ partis complemento aperiamus: ut intelligat respondēs omnibus modis, quæ cōspicere debeat. Vitisarū autem orationū nomina sunt, petitio principij, & contrariorū: quarum modos suo ordine digere mus manifestissime, si indicauerimus de petitione principij sermonē institui secundum opinionem. nam quo modo interrogans petat principium secundum veritatem, in secundo Priorū analyti. elucubratur, & quot modis accidat: ut si omnino non syllogizatur, uel si per ignotiora, uel si per similiter ignota, uel si per posteriora quippiam ostendatur. nempe talibus cōmittitur petitio principij in demonstrationibus, secundum veritatem: in dialecticis autē, secundum opinionem hominū. quare de talibus modis secundum opinionem, quōd dialectica quæ uidentur magis q̄ uera contempletur, agendum est. Petere itaq; uidetur, & secundum opinionem interrogantes, principium quinque modis. Primus est manifestissimus, & ob id non iniuria primum accubitum possedit, quo id ipsum quod monstrandum uenit, petitur. in tali enim modo quo idem queritur omnino, potest quis per facile pror-

Petitio pri
cipij quibus
pliciter secū
dū opinio
nem.

sus idem cognoscere, & principij ueram petitionem. Est autem petitio principij secundum opinionem, ne per ignota erremus, ut in genere sumptio in eo cuius non uidetur propositi demonstratio. ast ubi idem petitur, magis latet, si transmutatis nominibus idem queritur: ut contingit in synonymis, & definitionibus pro nomine acceptis, & in orationibus eiusdem pro alijs consimilibus. qui autem definitionem pro nomine accipit, apparenter petit principium. nam nomine ignoto, contingit per definitionem ostendere: quod definitio notior sit. quare talis petitio est apparens, non uera, principij. alia autem licet accipere inter ueras principij petitiones exempla. & uniuersaliter, quæcūq; duo inter se conuertuntur, similiter inmanifesta uel manifesta, ad alterius ostensionem accepta, faciunt petitionem principij secundum ueritatem. quæ etiam non prætermisit Arist. annumerare in analyticis. Per synonyma, intellige polyonyma. ut qui uellet probare hominem, rationalem, petit terrigenam uel mortale. Secundo modo petitur principium, quando id quod oportet demonstrare particulariter, uniuersale petit ad illius probationem. ut qui uellet ostendere, quod contrariorum est eadem seu una disciplina, quæ particularis est oratio, hæc uniuersalem petit, omnium oppositorum esse unam disciplinam: is petere principium uidetur. nam quod oportebat per se monstrare, cum alijs multis requirit. non tamen uera est principij petitio, sed apparens. Tertio, si quis comprobaturus uniuersale propositum, secundum partem requirat, hoc est, particularia quædam illius efflagitet ad uniuersalis fidem. ut qui uelit ostendere, omnium contrariorum est eadem disciplina, requirat quod sani & ægri, boni & mali, parisi & imparisi eadem sit disciplina: quibus tandem colligere tentat propositum: quodammodo uidetur petere principium: quod id quod oportebat per se ostendere, alia à se requirat, quibus corroboret id ipsum. non tamen re ipsa petit: quod sit ratio inductiua, quæ à particularibus ad uniuersale progreditur. Quarto, si quis partes requirit ad totum comprobandum, is uidetur principium petere. nam qui membra seorsum petit, ut totum monstraret, uidetur principium petere: quod partes sint totum. ut qui uult monstrare, medicinam esse sani & ægri scientiam, querit sit ne sani scientia: dein sit ne ægri: demum colligit esse utriusque scientiam. Est quidem petitio apparens, sed non uera, si partes ipsæ conferant manifestius totum. Postremo, quando quis alteru eorum quæ mutuo se inferunt & consequuntur, sumit ad alterius confirmationem, uidetur petere principium. ut qui debet monstrare, quod diameter lateri est incommensurabilis, requirit, quod latus sit incommensurable diame-

Secundo.

Tertio.

Quarto.

Quinto.

tro quadrati. illæ enim se inferunt mutuo. quare eadem videtur, neq; una alteram videtur posse probare. Hæc profecto videtur petitio principij, & quæ similitu. verum nõ fuerit necesse re ipsa & secundum veritatem, si alteru altero fuerit credibilius, & notius. si legeris, οἱορ τῶν πωλεῦντων σύμμετρον τῆ δὲ μέτρω, ut quidam habent codices, oportebit te intelligere, quod diameter lateri dicatur commensurabilis, ut seruetur conuersio utriusque.

Aequaliter autem & contraria petunt ei quod ex principio est. Nam primo quidem, si quis opposita petat secundum affirmationem & negationem. Secundo autem, contraria secundum oppositionem. vt bonum & malum, idem. Tertio vero, si quis vniuersaliter postulans, particulariter petierit contradictionem. vt si quis sumens contrariorum vnam disciplinam, sani & ægri diuersam esse petat. A ut si hoc petens, in vniuersali oppositionem tentet sumere. Rursum si quis petat contrarium ei, quod ex necessitate accidit per ea quæ posita sunt. Et si quis ea quidem nõ sumat quæ opposita, at alia petat duo, ex quibus erit opposita contradictio. Differt autem contraria sumere tantillum ab eo quod est in principio. quoniã huius quidem est peccatum ad conclusionem (nam ad illam aspicientes, quod in principio est dicimus petere) contraria autem sunt in propositionibus, eo quod ipsæ aliquo modo se habent adinuicem.

Absoluta est traditio illa multiplex petitionis principij. quare ad aliam properare nunc conuenit, quæ est contrariorum petitio. nam utriusque suscepimus negotium. Petitio autem contrarij, id est, oppositi in orationibus, est quedam conciliatio, qua accipit à respondente interrogans aliquam propositionem, qua habita conatur accipere oppositam ab eodem: unde repugnantiã uelit inferre responsionu. Hæc in quinque membra discernimus. Primu quidem est, quo queruntur secundum affirmationem & negationem opposita, quibus habitis alterum destruitur uel construitur positum. ut qui uelit accipere à respondente affirmatiuam propositionem, querit illi oppositam negationem: uel contra, qui curat habere negatiuam, requirit oppositam affirmationem secundum contradictionem. Secundum fuerit, accipio contrariorum ad positionem & syllogismum contrariorum, uel secundum ea quæ opposita contrariatur, ut qui defendit cum Heraclito, bonum

Petitio contrarij.

Petitionis contrariorum quinque forma.
Prima.

Secunda.

& malū esse idem: is in ipsum cōgressurus, inquireret sit ne sanitas uti-
 lis cui adest subiecto: morbus uero, inutilis. q̄ si sanitas sit utilis adue-
 niens subiecto, ea est bonū: & morbus inherens subiecto, malū. at quæ-
 cumq; in eodem subiecto eadem, & adiuicē sunt eadem: bonū autē &
 malum sunt in eodē subiecto: igitur si sanitas est utilis, & morbus. *Plu-
 rimū arriderē huic lectioni, quæ proferret orationē ad hunc modum,
 δ'εὐτεροῦ ἢ, τ'ἀναορτία κατὰ τὸν δευτέρω θ'εῖπ: nō autē, κατὰ τὸν
 δευτέρω θ'εῖπ. quare tu ipse perpēdes, sit ne dicendū: secundū autē, cōtra-
 ria secundū ipsam positionē: an, secundū oppositionē. Tertio autem, si
 quis uolens omniū cōtrariorū eandem disciplinā accipere, cōfugiat ad
 suā particularē oppositā, quā petit habere: ut sani & ægri diuersam
 esse disciplinam: sic, nōnne medicina est ipsius sanitatis, seu finem habet
 ipsam sanitatē, & nō morbū: cum eius sit sanare, & nō morbum effi-
 cēre: unde non omniū eandem esse contrariorū disciplinā, uult habere.
 Hic modus à primo uidetur differre, quōd hic sit tantū in cōtradictō-
 rie oppositis, & magis latens petitio: ille uero est in omni oppositione
 secundū affirmationē & negationē, & minus fugiens. Quarto modo,
 qui huic est præposterus, ut in parte petitio ad uniuersale contendit:
 quēadmodū si sani & ægri q̄ eadē est disciplina, acceperit, in uniuersali
 conetur accipere cōtradictionem, q̄ non omniū contrariorū eadem
 est disciplina. Insuper si quis petat cōtrariū ei quod ex necessitate ac-
 cidit per posita: ut si sint posita, uoluptas secundum naturā est, omne
 autē secundum naturā, bonū est: sequitur ex his necessario omnē uolup-
 tatem bonū esse. erit autē sic contrariū accipiēs à positis, etiā si ipsa
 non accipiat opposita. Postremo modo, si quis nō accipiat opposita ad
 propositū: uerum talia petat duo, ex quibus erit opposita cōtradictio,
 hoc est, ex quibus sequuntur duo cōtradictorie opposita, ut affirmatio
 & negatio. nihil enim refert, uel cōtradictionē querere, uel ea ex qui-
 bus cōtradictio sequitur, seu duas cōplexiones propositionū, è quibus
 corriuantur opposita. Differt autē petitio principij à petitione cōtra-
 riorū, id est, oppositorū: q̄ petitio principij est peccatū cōclusionis. nā
 quod debet concludere & ostendere, petit. at contrariorum petitio, est
 præmissarum & propositionum assumendarum ad syllogismum.*

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Ad gymnasiam autem & exercitationē talium oratio-
 num, primū quidem assuescere oportet conuertere ora-
 tiones. Sic enim & ad id quod dicitur, copiosius nos ha-
 bebimus, & in paucis, plures sciemus orationes. nam cō-
 uertere, est transsumētē conclusionem cum reliquis in-

terrogationibus, interimere vnū quippiam eorū quæ dicta sunt. necesse enim si conclusio nō est, vnam aliquam interimere propositionū: si quidem omnibus positis necesse erat conclusionem esse.

Post multiplices atq; præclaras traditionū cōstitutiones, demū perducti sumus ad eam partē, cui supremā manum nos oporteat impingere: quā exercitationi astipulari insinuauimus, dū huius libri tres partes cursim attigissemus. Aphorismos itaq; cōstituemus per faciles, quibus differētes nobile certamē certabūt. nimirū ad hanc partē videntur destinari, quæcumq; de locorū inuēitione prodita sunt: & quæcūq; de interrogationis & respōsionis modo præcepta uersabantur, illuc tēdūt omnia. nā talibus instrumēta, & quasi munimēta sternebantur ad captandā exercitationē. nimirū est dialectici, dicere ad alterū, quod inuentū est. Primus autē est ad exercitationē plurimū conferēs, assuetudo conuertendi orationes & syllogismos. nā usus syllogismi cōuersiui admirabilem quandā parit copiam, quū per illum promptus quis efficiatur ad differendum, admodum pauca habendo, in multa. Conuertere quidem syllogismum est capere oppositum conclusionis, siue contrarium siue contradictoriū, cum altera assumptarū propositionum, ad inferendū alterius assumptarū interitū. seu (quod hic dicitur) conuertere syllogismū, est transsumere cōclusionē, id est, cōclusionis oppositū capere: cū reliquis interrogationibus, hoc est, cū altera præmissarum, interimendo reliquā interrogationū dictarum. Non enim oportet in conuersione syllogismi transsumere conclusionē, cum utrisq; positis propositionibus simul, sed cū altera tantū. Verū quòd secundū utranq; indifferēter propositionē assumptā cum conclusionē cōuersa & trāsumpta, reliqua propositionū interimitur, propterea dicitur, cum reliquis interrogationibus. Vnde potest liquidum esse, q̄ per conuersiuum syllogismū copiosi erimus ad rem propositā, & quòd in paucis plures sciemus orationes & syllogismos. nam habentes unū syllogismū, ex eo per conuersionis usum & artificium nāscimur quatuor. Quum enim liceat conuertere syllogismū, accepta cōtraria propositione cū utrauis præmissarum, duo fieri possunt syllogismi. nā si accipiatur contrariū conclusionis cum maiore, fiet unus syllogismus: & alter, eodē contrario cū minore. Insuper duo fient similiter, accepto cōclusionis contradictorio. nam si sumatur contradictoriū conclusionis cum maiore, inferetur oppositum minoris: si uero cum minore, oppositū maioris. quare quatuor fiunt syllogismi per syllogismi unius conuersionē uariam.

Exercitatio
nis cōstitutū
tur pcepta.

Primus ad
exercitatio
nē mod⁹ est
syllogismi
conuersio.

Per cōuersi
onē syllo
gismi qua
tuor alijs
gunt.

De conuerſiuo ſyllogiſmo copioſum habes tractatū in ſecundo Priorū analytic. Libens cum Boetio legerē, Ad exercitatiōē autem & meditatiōē: non autem, ad gymnāſiā & exercitatiōē, ut idem ſignificetur: quōd Ariſt. habeat, πρὸς δὲ γυμναſίῳ ἢ μελέτην. neq; repugnat huic Suidas, qui inquit, μελέτη, ἀσκησις. nam hoc meditatiōē & exercitatiōē mentis dicit. Ad hæc uerū eſſe cognoscitur id, ex eo quōd hæc animo & memoria tenenda præcipit.

Ad omnē autē poſitiōē & ꝓ ſic & ꝓ nō ſic argumentū cōſiderandū: & cū inueneris, ſolutionē ſtatim quærendū. Sic enim ſimul accidet, & ad interrogandū, & ad reſpondendū exerceri. Et ſi ad nullū aliū habemus, apud noſiſſos ſenſim cōparanda ſunt, quæ attinēt ad ipſam poſitiōē argumēta. nā id ad cogendū multā copiā præbet, & ad redarguendū magnū habet adiumentū, quādo quiſpiam promptus eſt argumētari: & ꝓ ſic, & ꝓ non ſic. nam ad cōtraria accidit facere obſeruationem.

2
Differendū
in utraq;
partem con-
tradictiōis.

Oportet differētē in utranq; partē cōtradictiōis argumentū cōſiderare, & in poſitiōē cōſtructiuas & deſtructiuas ratiōes experiri: ſimul inuētis argumentis ad utrāq; partē iudiciū annectere, quo tanq̄ æqua lance librentur ſingula, & demū quo ſententiā & ſolutionē argumentorū producere poſſit: ut ad omne problematis genus paratior conſtituatur. Nam tali documēto confirmatū ſimul continget & ad interrogandū ſeu proponendum & reſpondendū exerceri plurimū. Nihil autē refert, ſiue in alterius poſitiōem hæc argumēta utriuſq; ordinis ſpectanda ueniāt, ſiue nō: quia nō minus ualebit hæc cōſideratio apud ſe facta, q̄ ſi in alterū eſſet pugnaturus. ut qui modo argumentis cōſtructiuis munit ſecundum ſe poſitiōē cōſtructam, modo deſtructiuis impedit eandē: agnoſcit quæ cōferant ad utranq; partē, & deligit. Hoc etenim ſtudium plurimā ſuggeret differēdi ubertatē, nec non maxime uirilem: quod ad urgendū & redarguendū (ſi opus fuerit) magnum poſſidet præſidiū, quo promptitudo ad argumentandū in utranq; cōtradictiōis partē paratur. nam qui ſic promptus eſt ad utrāq;, facile obſeruabit ad oppoſita. at qui in oppoſitis & facile & clare rationibus perſpicere poteſt, quid uerum, & quid falſum, & quid probabile, & quid improbabile: hunc nemo ineptū ad differendū iudicauerit. Legūt quidam, παρὰ ἀλλήλα τε παρὰ βῶλῳ ἐκλέγονται πρὸς τὴν ἀντιθεσίμ ἐπιχειρήματα: alij, τὴν αὐτὴν θέσιμ: ego priorem contextum

magis probarē, quo monstrantur deligenda esse argumenta ad oppositionē & utranq; partem contradictionis: ita tamē, ut non suggillem alterum, quem Aldus sequitur, Boetius, & pleriq;.

Et ad cognitionē & eā, quæ secundū philosophiam est, peritiā posse conspicerē, & cōspexisse quæ ab utraq; accidit suppositione, nō parū instrumentum. reliquū enim horum, recte eligere alterū. oportet autē ad id quod tale est, esse bono ingenio. & hoc est secundū veritatē bonum ingeniū, posse bene eligere verū, & diffugere falsum. quod qui nati sunt bene, possunt probe facere. nā qui amāt, & qui odiūt, quod profertur, facile discernūt optimū.

Tanta vis est ipsius præparationis & exercitationis in utranque partē contradictionis, ut non tantū ea impellere uiriliter interrogās possit respondentē, uerum fateri: sed etiā consequatur adiumentum ad ueritatē in omnibus explorandā. Quid enim potest effundere promptā discernendæ ueritatis facultatē, q̄. disceptandi in utranq; partē ratio? Valebit itaq; ipsa & ad cognitionē, & ad eam solertiā quæ est secundum philosophiā, hoc est, ad ueri cognitionē. nam philosophiæ totus conatus ad ueritatē & scientiam suscipitur. Nam si paruum non est instrumentum ad ipsam philosophiā, posse conspicerē quid uerū, & quid falsum in utraq; parte contradictionis, quæ tantū in ueritate sit posita & ueri contēplatione: quis dubitabit potestātē illā, qua in utranq; partē problematis & contradictionis promptē differere contingit, ad philosophiā conducere & ueri inuentionē? quum ea uerū & falsum examinetur, & demū ostēdatur. Illud idē satis in primo Topic. docuimus, quum de triplici usu, & utilitate diceremus huius methodi & dialecticæ. Quū igitur ipsa facultate manifestū sit, utraq; partē contradictionis agitari argumentis: quid amplius ad ueritatem accipiendā alterius partis requiratur, præter iudiciū, profecto nihil inuenies: quo recte eligat potiorē ueritatis partē. Verum ad bene iudicandū & ueri inuentionē oportet boni esse ingenij. Is enim est uere dextri ingenij, qui uerū apprehendere & deligere potest, & falsum diffugere & omittere: dū res in ambiguo & ancipiti collocatur. Non enim dexteritas illa animi relucet in rebus perapertis & necessarijs, in quibus nō est electio alterius. Bene natos autem hos esse oportet, qui bene iudicare & facere possint. nam tales amāt, quod bonū & rectū est: & odiūt, quod turpe & obliquū. quare eorū quæ proferuntur, & in utranq; partē pro-

3
In utranq;
partē exerceri
ad philosophiam
prodest.

ponuntur, quod optimū fuerit, sequētur, bene discernēt, & uerū iudicabūt, & falsū repudiabūt. Rudibus autē rationes sic in utraq; partē deflexæ non conferent ad ueritatē consequendam: quibus neq; præcepta, neq; artes profunt, reclamante natura. εὐψύχια, quo nomine utitur Arist. bona indoles, ingenij dexteritas, seu bona habitudo dici potest.

Et ad ea quæ sæpissime incidūt problemata, scire oportet orationes: & id maxime de primis positionibus. nam in his fastidiunt sæpe qui respondent.

4
Ratiões ad
cōsuetā p-
blemata te-
nendæ.

Ad promptā differendi facultatē plurimū conducunt rationes hæc, quæ deducuntur ad communia & consuetā problemata. Non enim ex æquo uulgariter omnia defenduntur: uerum sunt positiones & problemata, quæ à quouis ferme sustinētur. in talia itaq; argumenta præmeditata & prompta, omnē tarditatem & differendi auferent difficultatem: ita ut nullus hæsitandi in congressibus detur locus, idq; maxime faciendum est ad primas positiones, id est, ad principia constitutere rationes crebras oportet, & scire, q̄ difficile sit ad illa abūdare argumētis, nisi quis prius præmeditetur, quod uel per prima uel probabilia ueniat disceptandū. at neutrū feceris, nisi præconcordata ratione. simpliciter uidentur multo magis præparadæ rationes & discutiendæ in rem uulgarē, quæ positionē constituit difficiliore, q̄ in aliā facilis impugnationis consuetā: q̄ in illā non nisi magno sudore contingat sæpe quęcūq; differere: uel ob id, q̄ rationes non offendantur pro uoto in talem: uel quia respōdentes nolunt respondere & cūcta fastidiūt, quod uerbū ἀπὸ δὲ ὁμοιωτικῶν repræsentat. Quædā enim fuerūt antiquorū positioēs, quæ principijs ipsis prorsus repugnabāt: ut Antisthenis, qui non esse contradictionē defendebat: & Heracliti, qui omnia semper moueri: & Zenonis, qui nihil moueri contēdit. quare oppositæ illis opinionēs, positiones faciēt de principijs, in quæ non fuerit facile ad destructionem munire argumenta.

Amplius terminorū copiosos esse oportet, & pbabiliū & primorū se habere prōptos. nā per hæc fiūt syllogismi.

5
Definitioēs
tractandæ
sunt.

Conuenit dialectico definitionū abundantiā, tum probabiliū tum primorum: quas habere promptas tenetur. nam per definitiones rationes producūtur fortissimæ, nō tantū in dialecticis, sed & in scibilibus. quū oporteat scire, in primis demonstratorē, definitiones: ut quid linea, quid punctus, quid figura: qui habeat per has demonstrare cōclusiones scibiles, quæ admodū dialecticus struit syllogismos per definitiones probabiles.

Tentandū autē & ea, in quæ sæpissime incidūt disputationes, tenere nā quemadmodū in geometriā antè opus est circa elementa exercitatū esse, & in numeris circa capitales prompte se habere, & multū refert ad hoc & aliū numerum cognoscere multiplicatū: similiter quoq; & in orationibus promptū esse ad principia, & propositiones memoria scire oportet. nam perinde ac in memoriæ sensorio solum, loci positi statim faciunt ipsas res memorare, & hæc faciunt ad ratiocinandum promptiorem. eo q̄ ad determinatas illas inspiciat secundum numerum.

Tenēdi sunt maxime illi loci qui cōmunes circūferuntur, per quos ad multa problematū genera differere cōueniat. nam in tales incidunt ratiōes plurimæ: ut sunt illi quos opportunissimos sæpe uocauimus, à casibus, coniugatis, à generationibus, & corruptionibus, à maiore, & minore. nā uti in geometriā circa elementa & principia exerceri oportet ad theorematum & conclusionum demonstrationes, & in arithmetica circa capitales numeros prompte se habere conuenit: quòd per illos exercitiū fiat, quibus cæteri cognoscūtur per multiplicationē (capitales numeros intelligimus, ab unitate ad denarium, qui præcipui sunt & primi assurgentes, ex quorū cōmixtione seu multiplicatione cæteri nascūtur) sic in disputationibus dialecticis prompte se habere oportebit ad locos communes & principia atque propositiones, quas memoriter scire debet. Quēadmodum enim in memoriæ sensorio & sensū interiore constitutæ, pulchro ordine & consequenti adinuicē, res singulæ bene memorabiles sunt: quæ uero nullū ordinē tenent, prauè & difficulter: sic & loci statuta lege ordinati plurimū iuuant ad memoriā. nā à locis uidētur reminisci aliquādo, quod celeriter ab alio ad aliud transit, ut ex lacte ad albū, ex albo ad aerē, ex hoc ad humidū, à quo postmodum autūni reminiscitur, id quærens anni tempus: sic in differendo cōmunes loci sunt determinādi, ex quibus multa accipere licet. nam hi promptiorē & copiosiorē facient dialecticū: quòd facilius sit inspiciere ad determinata secundū numerū & ordinata, q̄ incerta & confusa. Proinde communes loci ad omnia problemata constituenda erūt. De obseruatione memoriæ & præceptis, quibus in mentē reducimus quippiam, habes Arist. in fine libelli de memoria & reminiscencia inscripti. Legunt quidam, τὰ φρονήσιον ἢ ἡ εἰς τὰ πλεονεξίαι ἐπιπέσει σὺν οἱ ἄλλοι λόγοι κατέχαι: Cæteri, δὲ ἰάλογοι.

6
Maxime sci
enda princi
pia.

Et propositionē communem magis quàm orationem in memoria ponendum. Nam principij & suppositionis copiosum esse mediocriter, difficile.

7
Magis loc⁹
est tenēdus
quàm syllo-
gismus.

Insuper oportet propositionem communem, id est, locum (nam locū in rhetorice Arist. definit propositiones ex æquo cōmunes similiter omniū, quā significationē hic recipit) magis quā syllogismū memoriter tenere. nam qui scit cōmunem locū, pluribus abundabit ad differendum, quā qui syllogismū habeat: quōd ex uno loco ad multa problematū genera trahantur uariæ rationes. ut ex loco à contrarijs non in unū problema differetur, sed in quā plurima: at qui syllogismū habet, tantū ad id cuius est syllogismus, contendere potest. quare locum & propositionem cōmunem memoriter magis tenere oportet, quā syllogismū & orationē. quia difficile est abundare mediocriter principio & suppositione, hoc est propositionibus communibus, quæ sint principia ad differendum in problemata. Principiū enim & suppositionē intelligimus, quōd per demonstrationem non ponatur, locos cōmunes. Faber exemplari uetusto suffultus legit, propositionemque communem magis quā positionem. cuius lectio hæc producitur, πρὸτασίν τε κοινῶν μὲν ἁπλῶν ἢ θίσι μὲν ἐν μὴ μὴ θετέροι. alij λόγον habent omnes codices, quos sequimur. & per orationē, concipimus syllogismū ad problema: & propositionē cōmunem, locum ipsum, à quo hauriuntur rationes ad multa problemata.

Amplius orationē vnā plures facere assuescendum: velut iij, qui occultissime abscondūt. Tale autē erit, si quis quā plurimum abscedat ab affinitate eorum, de quibus est oratio. Erunt autem potiores orationum vniuersales maxime, quæ id pati possint. vt quoniā non est vna plurium disciplina. sic enim & in ijs quæ sunt ad aliquid, & in contrarijs, & coniugatis est.

8
Vniuersalis
in multa di-
stribuenda
est.

Iuuabit accipere vnā propositionem vniuersalem: quam in multas distribuere est assuescendū. uerum ad id cōmodius consequendum uidebuntur trāssumptiones à positis utiles: quæ admodum dictū est in occultatione, esse abeundū ad remotiora, & discedendū à propinquis proposito. nullæ profecto sunt propositiones, quæ id pati possint, accommodatiores quā vniuersales. nā tales in plures facile transeūt, per diuisionē in membra. ut qui hanc acceperit, quōd plurimorū non est eadē disciplina: quare nec oppositorum, nec contrariorū, nec relatiuorum, & reliquorum similitum.

Oportet autē & reminisci vniuersales facere orationes: tamen si fuerit disputans particulariter. Sic enim & plures licebit vnā facere. similiter autē & apud rhetores in enthymematibus. Eundem autem quā maxime fugere, contra vniuersale ferre syllogismos.

Operæ est pretiū, etiamsi particularis fuerit positio, ut cōdifferens in vniuersalem transferat. ut posita hac, boni & mali est eadem disciplina, eam conuenit transmutare in vniuersalem, ut hanc, omnium oppositorum est eadem, per interrogationem. sic enim continget pluribus abundare. Dum modo caueat ad vniuersale certamen, seu non differat in vniuersalem propositionem: quam uelit assequi.

9
Particularis
in vniuersa
lem positio
traducēda,

Et semper oportet cōsiderare orationes: si in pluribus communibus disputantur. Nam omnes particulares in vniuersali disputatæ sunt, & inest in particularibus eius quod est vniuersale, demonstratio. eo quod non est syllogizare quicquam sine vniuersali.

Oportet considerare orationes & syllogismos factos, an vniuersales propositiones habeant, & in vniuersalibus disputentur. nam omnis syllogismus uel utraq; propositiones, uel alteram vniuersalem habere debet. Ex particularibus enim non est syllogismus.

10
Cōsiderāda
vniuersalia

Exercitatio autem facienda: inductiuarum quidem, ad rudem: syllogisticarum autem, ad expertum. Et retandū accipere ab ijs quidem qui in syllogismis triti sunt, propositiones: ab ijs vero qui in inductionibus, similitudines, in hoc enim utriq; exercitati sunt.

Cum duo sint disceptandi genera, inductiuū, & syllogisticum: inductiuum quidem conuenit rudibus. a quibus, ut differatur, per inductionem similitudines querendæ sunt, & partes: quæ magis sunt illis notæ, q̄ totum & alia. syllogisticum uero, expertis & eruditis accommodatur. quare ab eis accipere tentandum est propositiones ad syllogizandū utiles & necessarias. sic enim fiet, ut utroq; modo in utroque hominum genus disputetur, dum singulis singula adaptantur.

11
Vtrumq; dif
ferendi ge:
nus tenēdū

Omnino autem exercitationis grātia disceptantibus, tentandum afferre aut syllogismū de aliquo, aut propositionē, aut solutionē, aut instantiā: siue recte quis dicat, siue perperā, vel ipse, vel alter: & ad quippiā uterq;. Ex his

Q. iij.

enim facultas: exercitatio autem, facultatis gratia.

I 2
Ex quib⁹ fa-
cultas disse-
rendi fit, a-
gnoscentiū.

Vniuersaliter in congressibus dialecticis & exercitijs congregien-
tem, tenere oportet uel syllogismū aliquē in problema, uel propositio-
nem aliquā ad id utilem: respondentē uero, uel solutionem syllogismi,
uel instātiā ad propositionem. Ex illis enim est facultas & potentia,
cuius gratia exercitatio conficitur. Nihil quidem refert uter recte uel
male dicat, siue interrogans, siue respondens de re aliqua. nam cærtus
est modus bene interrogandi & respondendi, & male.

Et maxime circa propositiones & instantias. est enim
(ut simpliciter dicam) dialecticus, propositiuus & instan-
tius. Est autē proponere quidem, vnum facere quæ sunt
plura. oportet enim vnum omnino sumere, ad quod est
oratio. Instare autem, quod vnum est, facere plura. nam
aut diuidit, aut interimit: hoc quidem dans, illud autem
non dans, eorum quæ proposita sunt.

I 3
Interrogās
debet habe-
re propositio-
nes, & respō-
dens instan-
tias.

Cum dialectici duplex sit munus, interrogare & respōdere, ad ex-
ercitationē conuenit scire & memoriter tenere, quod sit uniuscuiusq;
opus. Dialectici autem munus interrogantis est, proponere propositio-
nes ipsas, à quibus & propositiui nomē induit. Proponere autem est,
unū facere, quæ plura sunt. syllogismo enim colligit & unit quæ di-
spersa quasi uidentur & dissociata. Respondentis uero negotium est,
instare, unde & instantius dicitur. Instare autē est, unū plura facere.
nam aut diuidit, aut destruit, partē alterā concedens, aliā uero negans
interrogatorū, & eorū quæ pponūtur. Cōferet utiq; ad differēdu, te-
nere & propositiones memoriter & instātiās: q̄ illis fiat disceptatio.

Non est autem cum omni disputandum, neq; contra
quemlibet exercitādum. Nam necesse ad aliquos, prauas
fieri orationes. ab eo enim qui omnino tentat apparere,
diffugiendum. iustum autem omnino tentare syllogismo
concludere. veruntamen non pulchrū: eo q̄ non opor-
tet aduersus quoslibet facile consistere. quandoquidē ne-
cesse est prauiloquium inde emergere. nā qui exercitati
sunt, nō possunt abstinere à disputatiōe, sine altercatione.

I 4
Non eū om-
nibus cōgre-
diendum.

Cum disputatio dialectica ad uerum relationem quandam habeat,
manifestum esse potest, nō muneris esse dialectici in quēcumq; differe-
re, neq; cum quouis congregi: quod non desint pleriq; qui adeo moro-
si sint, ut cum illis non nisi prauæ & cotentiosæ disputationes cōgre-

rantur. huiusmodi sunt, qui etiã summe probabilibus instant & occurrunt, quiq; tantũ fugere uel repugnare impense satagũt. in quos cogitur interrogãs forsan fractis dialectices legibus omni argumetorũ genere disceptare: nisi pulchrius duxerit abstinedum esse à congressu talium. Profecto satius fuerit desistere ab impugnatione talium mōstrorum, q̄ misere & turpiter talibus moueri. Ab eo etiam qui tantũ sophistice respondet, & uult uideri sapiens, fugiendum. Licet etiam iustum esset reprobare stultas illas opiniones, ne plus æquo insolescant suis delirijs placentes, tanq̄ dictis ex tripode: qui similes profecto simijs sunt, quæ cum catulos q̄ deformissimos pariant, existimãt tamen his nullos procreari formosiores. uerũtamen, quia pulchrum non est cũ talibus pugnare (non enim sine contetiosa disputatione & uitiosa negotiũ perageretur, quod exercitati nõ facile ferãt has importunitates) tanq̄ uani & indigni cum quibus colluctandum sit, hi dimittendi sunt.

Oportet autem & factas habere orationes ad huiusmodi problemata, in quibus cum paucissimorum copia eas ad q̄ plurima utiles habeamus. illæ verò sunt uniuersales, & ad quas in pròptu quippiã adinuenire difficile est.

Plurimũ iuuabit interrogantem promptitudo illa uniuersalis accipiendæ per syllogismũ, quam plurimis adaptare congruit. quare studebit interrogãs facere syllogismos & memoriter tenere confectos ad talia problemata, quæ ad multa pertinet. tales autem syllogismi erũt, qui fient ad propositionem uniuersalem. nam propositione uniuersali monstrata, facile fuerit multis abũdare. eã tamen non nisi magna cum difficultate quis syllogismo consequitur. difficilius certe fuerit uniuersales colligere propositiones, q̄ particulares. quare in talibus monstrãdis dãda fuerit generosior opera, tũ ob difficultatẽ, tum usum inde emergentem plurimum. quem utinam omnes felicibus auspicijs consequi tantum ualeant, quantum illis bene precamur. FINIS.

IS
Studẽdum
est habere
syllogismũ
ad uniuersa
sale.

ERRATA. PRIMVS NUMERVS, FOLIUM:
secundus, paginam: tertius, versum indicat

54, 2, 11, taciturnitate. 105, 2, 37, multorum. 119, 2, 55, monstratur.
129, 2, 4, alterã. 133, 1, 25, motũ. 141, 2, 19, modis. 142, 1, 19, op
positũ. 147, 1, 17, fortitudinẽ. 152, 2, 3, subsistat. 182, 1, 4, igitur.
183, 1, 31, proprijs. 209, 1, 24, definitionẽ. 216, 1, 3, & honestũ.
227, 2, 34, bonũ. 235, 2, 17, hominẽ. 244, 1, 36, illo. 254, 2, 28,
adiunctus besti. & lin. 29 quadrans dodranti. 259, 2, 9, animal.

